SC.17.Pl.5.

37
27 C
23

MAG 137

Digitized by Google

Digitized by Google

# DE PIORUM
*IN SINU ABRAHÆ*
# BEATITUDINE
ANTE CHRISTI MORTEM.

Digitized by Google

# DE PIORUM
## *IN SINV ABRAHÆ*
# BEATITUDINE
## ANTE CHRISTI MORTEM
## *OPUS*
# LIBERATI FASSONI
EX ORDINE SCHOLARUM PIARUM.

*Si Lazarus videtur in ſinu Abrahæ, locoque refrigerii, quid ſimile Infernus, & regna cælorum? Ante Chriſtum Abraham apud Inferos, poſt Chriſtum Latro in Paradiſo.* S. Hier. ad Heliod. in Nepot. Epitaph.

ROMÆ MDCCLX.
EX TYPOGRAPHIA JOANNIS ZEMPEL PROPE MONTEM JORDANUM.

*SVPERIORVM PERMISSV.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# MARCO FUSCARINIO
## EQUITI PROCURATORI S. MARCI
### PATAVINÆ ACADEMIÆ TRIUMVIRO
VIRO HONORIBUS, INGENIO, LITTERIS FLORENTISSIMO

LIBERATUS FASSONI

*S. P. D.*

VEnetorum ego hominum laudibus, Veneto nunc in primis Chriſtianam Rempublicam adminiſtrante Pontifice, nullam parem inveniri poſſe orationem exiſtimo. Nam cum ſuperiore anno valetudinis, atque animi cauſſa in urbem me veſtram, MARCE FUSCARINI, Eques ampliſſime, contuliſſem, tantam mihi cives optimi, atque humaniſſimi benevolentiam præſtiterunt, tantam populi eſſe pietatem adverſus Deum, & Superos, tantam denique omnium, in ſa-

cris

Digitized by Google

cris præſertim ædibus, elucere modeſtiam, religioniſque vim intellexi, quantam fortaſſe antea, ne ſuſpicione quidem, & conjectura, informare potuiſſem. Vidi enim, penituſque perſpexi, quod olim Julius III. Pontifex Maximus ad veſtrum Ducem, & Senatum ſcripſerat, *Venetiam eſſe ſemper ipſam, piam* nimirum omni tempore, *& nobilem* [1], ejus dicti, aut potius oraculi veritatem ipſo eſſe rei exitu cumulatiſſime comprobatam. Itaque raptus facile ſum in Venetorum ſpectaculum, ut, ſi quis de præclariſſima urbe ſermo interdum, ut fit, exoritur, eo delecter plurimum, in eo libentiſſime, ac ſuaviſſime conquieſcam. Ut autem egregiam iſtam meam de civitate, ac gente Veneta opinionem publico aliquo officii genere declararem, id ego non cupiebam vehementer ſolum, ſed diligenter quærebam, nec opportune oblatam mihi teſtificandi animi erga vos mei paſſus ſum occaſionem elabi. Inveni enim rationem, & viam, qua labores hos meos tibi, Veneto homini, ejuſque civitatis viro longe primario inſcriberem, inventamque ultro, & quam citiſſime arripui: quod ad animi mei fructum, atque lætitiam duco eſſe permagnum.

Fores mihi amicitiæ tuæ patefecit, aut aditum potius ad te aperuit probatiſſimus Senatui, populoque Veneto vir, Bernardus Maria de Rubeis, Dominicanæ lumen Familiæ, quem ego virum honeſtatis, amplitudiniſque gratia nomino. Ejus officiis, bonitatique naturæ debeo, meum ut opus auſpiciis in vulgus emanet tuis. Argumentum ſi ſpectes, tale id quidem, opinor, eſt, ut tanta iſta dignitate viro offer-

1 In Brevi an. 1550.

offerri, commendarique potuerit, quod uberius, atque opportunius ex iis rebus intelligi poteſt, quas in extremo libro Mathematicorum ſecutus docendi artem collegi, atque explicavi. Atque illud quidem a doctiore homine ſcribi poterat, a diligentiore fortaſſe non poterat. Nam cum de ſumma ingenii mei imbecillitate egregie mihi teſtis eſſem, & conſcius, nullum ſubterfugiendum laborem putavi, quominus id, quod ſuſceperam, induſtria ferrem, ut poteram, diſputatio vero propius, quam per vires meas liceret, ad argumenti præſtantiam videretur accedere. Quæritur enim, doctiſſime Vir, piorum ne animi, qui olim in ſinu Abrahæ, tanquam in portu otii, & tranquillitatis pleniſſimo, quieſcebant, beatæ vitæ effectrice Dei præſentia fruerentur, ante ſcilicet, quam unigena Filius humanæ ſalutis tranſigeret, oppetita morte, myſterium. Qua in re quantum inſit difficultatis non ſolum, ſed dignitatis, & amplitudinis, cognoſcent facile omnes, qui judicare una tecum propter ſcientiam poſſunt, aut hunc librum non gravabuntur evolvere. Et commodum accidit, ut eruditiſſimi, ac Veneti hominis opinionem toto opere conanti minuere, Venetus mihi, idemque eruditiſſimus offerret ſe vir, omni laudum genere florentiſſimus, in cujus nomine diſputatio mea ederetur. Sic enim planum cuique rebus ipſis faciam, unius me veritatis ſtudium ad ſcribendum impuliſſe, præterea nihil. Immo, ſi quæ propterea offenſiuncula, quod equidem nullo modo crediderim (adverſarium enim quadam naturæ meæ conſuetudine omnibus rebus ita tracto, ut liberalius non potuerim), in alicujus

ani-

animo facta eſſet; id omne iſta nominis inſcriptio tui ſic enervaret, ac tolleret, ut ne appareret quidem.

Reſtaret altera, eáque difficilior orationis pars, quæ copioſe, atque ornate de tuis laudibus diceret. Quam ego nunc minime omnium puto neceſſariam. Nam quantum ad hunc locum attinet, ſilentio miſſis Chriſtiano homine dignis virtutibus, ad tria ſumma capita omnis de te laus referri poteſt, ad amplitudinem generis, ad litterarum gloriam, ad honores, & magiſtratus. Ac ſane, ut verbis utar viri ſanctiſſimi, & eloquentiſſimi ſcriptoris, Hieronymi in luculenta ad Heliodorum epiſtola, *præcepta ſunt Rhetorum, ut majores ejus, qui laudandus eſt, & eorum geſta altius repetantur, ſicque ad ipſum per gradus ſermo perveniat, quo videlicet avitis, paterniſque virtutibus illuſtrior fiat, & aut non degeneraſſe a bonis, aut mediocres ipſe ornaſſe videatur.* At primum, cum egregie tibi perſuaſum eſſet, quod e veſtigio addit Hieronymus, naturæ bona, ſi quidem ſeveri eſſe volumus, in animi laudibus non ponenda, parentumque nec virtutes, nec vitia liberis tribui, video a te vitam ſic inſtitutam fuiſſe, ut malueris relictam a majoribus gloriam amplificare præclare factis, quam in illa otioſe acquieſcere; plane ut difficile dictu ſit, plus ne tibi majores, an tu majoribus virtute tua præluxeris. Quod ſi nihilominus habenda generis ratio eſt, cui Fuscariniæ gentis obſcura eſſe poſſit, aut inaudita nobilitas, ut hic palam efferri, popularique gloria decorari a me debeat? Ne longius abeam, Sebastianus, proavus tuus, nonne Hagæ Comitum propter eximiam in gerendis rebus felicitatem,

atque

atque ſolertiam ad publica, graviſſimáque negotia a Senatu veſtro adhibitus? In Nicolaum autem Patrem, cum acutiſſimo ingenio, mentiſque perſpicacitate excelleret, nonne omnia Veneti honoris, & gloriæ inſignia contulerunt? Quem locum apud cives obtinuit? Quo numero fuit? Qua auctoritate, & gratia floruit? Itaque & in ſanctum illud, nobiliſſimumque conſilium, quod Sapientum apud vos eſſe dicitur, adlectus eſt, & duodequadraginta abhinc annis Lutetiam Pariſiorum Legatus extra ordinem miſſus, Ludovico XV. de inito imperio gratulaturus. Geſta ſunt hæc in luce, atque in oculis omnium, ut nullum a me, quod poſui, orationis lumen deſiderent.

Quid enim de ingenio non ſolum, ſed de eruditione tua dicam? Quotus quiſque eſt paullo in litteris curioſior, ad quem illius fama non pervenerit? Vererer equidem, ne, ſi ab optimarum artium ſtudiis laudare te vellem, commemorabili illa Feſcennii Nigri Imperatoris voce utereris. Cui cum de recenti facto recitare neſcio quis Panegyricum cuperet, Imperator loqui hominem vetuit, &, *ſcribe*, inquit, *laudes alicujus ducis optimi, vita functi, & dic, quid ille fecerit, ut eum nos imitemur. Nam viventes laudare irriſio eſt; maxime Imperatores, a quibus aliquid ſperari, aut timeri poteſt* [1]. Pace ego tamen tua dixerim, magne Vir, ſubiraſci mecum non potes. Noſti tu quidem, quod in primo de Officiis ſcitiſſime præcepit Tullius, cavendum eſſe, ne aſſentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos ſinamus; in quo falli facile eſt: tales enim nos



1 Spart. in Nig. cap. 11.

eſſe putamus, ut jure laudemur; ex quo poſtea naſcuntur innumerabilia peccata. Verum neque homo ego ſum, ut narrat de Calliſthene Q. Curtius [1], aulæ, & aſſentantium accommodatus ingenio, &, me tacente, te autem repugnante, & invito, palam de te loquuntur, atque honorifice prædicant Bibliotheca non ſolum tua, ſelectiſſimis libris, manuque ſcriptis codicibus, tum reliqua id genus pretioſiori ſupellectile, quæ litteratum hominem, eundemque locupletem, decet, copioſiſſime referta, atque inſtructa, ſed pulcherrimi etiam fœtus ingenii, & monumenta doctrinæ, cujus eximias vel ab ipſa adoleſcentia ſignificationes dediſti ſcriptione illa tua valde probabili de ea, quæ ex tempore eſt, eloquentia. Paucis etiam ante annis [2], ut bene de patria mereſeris, ſcripſiſti, atque edidiſti de Litteratura Veneta præclarum ſane opus; & luculentum. Ibi recondita, multiplicique in arte verſaris, ibi per omnes eruditionis, humanitatiſque partes excurrit, atque evagatur oratio, ſic, ut dubium videri poſſit, magis ne editionis dignitatem, atque magnificentiam, litterarum nempe elegantiam, & nitorem, pulchritudinemque chartæ, ac ſimilia, an potius auctoris doctrinam, & ſcientiam mirari, atque ſuſpicere oporteat.

Id, Marce Fuscarene, ignotum eſſe ſtudioſis hominibus poteſt, id obſcurum, non illud mehercule, quantos in omni eruditionis genere progreſſus habueris: eo magis, quod magnum ingenium tuum eſſe, magnumque optimarum artium ſtudium, tum omnem liberalem, & dignam homi-

1 Lib. 8. cap. 8. 2 An. 1752.

homine nobili a te perceptam doctrinam, & ſæpe, & publice Senatus veſter judicio ſuo graviſſimo, & maximo comprobavit. Nam quæ ſingula vel præſtantiſſimorum civium cohoneſtare, amplificare etiam dignitatem poſſent, plura in te ornamenta ſummo omnium aſſenſu, & approbatione congeſſit. Florentiſſimæ Bibliothecæ, cujus ubique illuſtris, & pervagata eſt gloria, S. Marci cognomine, præfecturam geris, publici hiſtoriarum ſcriptoris, quod perhonorificum apud vos, & ampliſſimum eſſe ſolet, perſonam, ac munus ſuſtines, Patavinamque Academiam, lumen, atque oculum totius Italiæ, nedum Reipublicæ Venetæ, admirabili quadam laude moderaris, ut te, & collegis tuis Triumviris ſtudioſiſſime providentibus, nihil ſane habeat, quod anteactis ætatibus magnopere invideat. Galilæi, Hermanni, Vallisnerii, Bernoulliorum magnum quidem nomen Philoſophis ( de doctrina enim nunc quærimus), & ſanctum eſſe videbitur. Neque ego importunius repugnaverim. Sed numquid Polenorum, Suzziorum, Valſechiorum, Lucchiorum parum noſtra memoria nobilitata eſt ſapientia? Numquid Morgagnii, cæterique Academiæ doctores, ſummis ingeniis, & maximis ſtudiis præditi homines, parum habent celebritatis, & gloriæ? Vere hoc affirmare poſſumus, ſplendorem Patavinæ Academiæ univerſæ Italiæ, exteriſque gentibus ita lucere, ut tibi illa, & collegis tuis, equitibus ſpectatiſſimis, plurimum debeat. Ac tu quidem ipſa re oſtendiſti, quanto in errore verſarentur ſtultiſſimi illi apud Tullium diſputatores, qui Philoſophiæ, litterarumque tractationem principibus civitatis

non ita decoram eſſe exiſtimarent [1]. Cæteros pudeat, quod alibi idem Cicero graviſſime admonet, ſi qui ita ſe litteris abdiderunt, ut nihil poſſint ex his neque ad communem afferre fructum, neque in adſpectum, lucemque proferre [2]. Te vero, ſi id mihi propoſitum eſſet, quibus ego ornarem laudibus, qui tot annos ita vivis, ut ab nullius unquam te tempore aut commodum, aut otium tuum abſtraxerit, vidiſtique diligentiſsime, ne quid privatis ſtudiis de publica opera diminueres? Dicerem, te Legatum Vindobonam, ut ſolet, tum Romam, ubi celebre adhuc, & clarum Fuscareni nomen permanet, atque ad poſterorum memoriam, ut credibile eſt, permanebit ( placuiſti enim non diu ſolum Clementi XII. ſui juris, majeſtatiſque retinentiſsimo, ſed Benedicto etiam XIV. ſumma auctoritate, ſapientiaque Pontifici), rurſus Legatum extra ordinem miſſum ad Sardiniæ Regem, opinionem viciſſe omnium, quæ de virtute tua erat. Dicerem, ab eo uſque tempore, quo Lutetiam Pariſiorum una cum Patre in Legationem profectus es, tuam ad gerenda negotia, atque ad difficillimas obeundas res eluxiſſe prudentiam. Dicerem, a Legationibus revocatum in patriam, ne diutius tanta vis virtutis, atque ingenii peregrinata abeſſet ab oculis & Senatus, & curiæ, auctumque præfecturis, & magiſtratibus, quos expoſui, in Sapientum præterea collegium cooptatum, opera, ſtudio, auctoritate ſaluti, utilitatibuſque Reipublicæ omni te tempore providere. Dicerem...... Sed quid tandem dici, quæſo, a me poſſet, atque invul-

1 In Lucul. ſub init. 2 Pro Arch. cap. 6.

vulgus perferri, quod novum, atque inauditum de te, præſertim Venetis, videretur? Nota enim, ut vides, ſunt omnia, teſtata, & illuſtria; noti honores, quos tibi Senatus longe ampliſſimos detulit; notum, quam ſummum, principemque in locum civitatis perveneris, magis propter optimarum artium ſtudia, navatamque cum laude Reipublicæ operam, quam propter fumoſas majorum imagines, nobilitatemque familiæ.

Hic jam igitur plura non dicam, nec importunius prædicando de te, atque obſtrependo, ullam tibi exhibebo moleſtiam. Habes enim, ſpectatiſſime Eques, atque doctiſſime, quæ me cauſſa permoverit, ut ad amplitudinem tuam hoc officii genere complectendam acceſſerim; habes etiam, cur eam orationis partem, qua te alii ſummis laudibus proſequerentur, ego, ut poſui, minime omnium eſſe arbitrer neceſſariam: præſertim cum vitam ſic agas, ut citius recte factis nobilitari te cupias, quam propter recte facta laudari. Libentius ego tam opportunis loco, & tempore de ſplendore, ac majeſtate Veneti imperii dicerem. Libentius commemorarem, quanta, & quam Chriſti legibus conſentanea in univerſo Senatu prudentia exſtet, & emineat in conſtituendis, temperandiſque civitatibus. Libentius illud adjungerem, quam floreſcat quotidie magis Veneta tota Reſpublica patrum veſtrorum, ſapientiſſimorum ſine dubio hominum, inſtitutis ſervandis, & quaſi veſtigiis perſequendis: omnino ut in illam quadret, quod ſacræ admonent litteræ: [1] *auſer impietatem de vultu regis, & fir-*

[1] Proverb. cap. 25. ver. 5.

*& firmabitur juſtitia thronus ejus*. Sed, ne eo me imprudens demittam, unde enatare non poſſet oratio, divina vetant oracula, quæ ut conantem loqui me reprimunt, voceſque intercipiunt, ita ad Venetorum Rempublicam ſumma cum ejus laude, dignitatéque conveniunt. Eſſe enim apud Tobiam ſcio, *ſacramentum regis abſcondere bonum eſt* [1]. Finem igitur ſcribendi facio, & illud unum te magnopere oro, atque obſecro, ut qualem te ſemper dignitatis tuæ obſervantiſſimis, & doctis hominibus præbuiſti, talem te mihi pro naturæ tuæ conſuetudine hoc tempore impertias, auctorem ſcilicet hujus, quidquid eſt, operis, non doctum illum quidem, & eruditum, ſed tamen bonarum artium ſtudiis deditum, in fidem, & clientelam tuam recipias.

1 Cap. 12. ver. 7.

LE-

# LECTORI BENEVOLO
## *SALUTEM.*

ETſi diu, multumque, admiratione etiam ſumma mea, rogaverit, obteſtatuſque me Typographus ſit, ut aliquid præfarer, breve ſaltem Lectori monitum ſcriberem, exorare me tamen, facilem alioquin hominem, nullis precibus potuit. Vetus illa quidem conſuetudo eſt: ego autem, quod moneam, habeo plane nihil. Singula enim ſuis quæque locis, & tempore diſputo. Si quis igitur moneri ſe cupit, is caput ultimum adeat. Nam ibi quid præſtiterim, quid docuerim, ex totius operis ſerie Mathematicorum, quam ſequor, ratione, & via longe utilius, atque opportunius colligo, quam ſi longam orationem ſcripſiſſem. Vale, & meis ſtudiis, ſi me amas, fave. Sin aliter, ut voles.

# JOSEPH M. GIURIA A S. JO. BAPTISTA
CLER. REG. PAUPERUM MATRIS DEI SCHOLARUM PIARUM

PRÆPOSITUS GENERALIS.

QUum Opus inſcriptum *De Piorum in ſinu Abrahæ Beatitudine ante Chriſti mortem* a P. Liberato Faſſoni a S. Joanne Baptiſta Ordinis noſtri Sacerdote compoſitum duo ex Noſtris, quibus id curæ commiſimus, probaverint, ipſius edendi facultatem quantum in Nobis eſt, Auctori concedimus.

Dat. Romæ in Ædibus Noſtris Scholarum Piarum apud S. Pantaleonem die 3. Auguſti 1760.

Joſeph M. Giuria a S. Jo. Baptiſta Præpoſitus Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

*Stephanus Quadrius a S. Carolo Secretarius.*

*IM-*

*IMPRIMATUR,*

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*D. Archiep. Nicomed. Viceſgerens.*

---

## ADPROBATIONES.

DE *Piorum in ſinu Abrahæ Beatitudine ante Chriſti mortem* egregie prorſus, eleganterque ſcribentem vidi Cl. Virum Ordinis Scholarum Piarum Alumnum, Liberatum Faſſonium: & uti mens, & voluntas erat Rmi Patris S. Palatii Apoſtolici Magiſtri Thomæ Auguſtini Ricchinii, quicquid excellens Auctor de hoc argumento diſſerit, diligenter expendi. Opus eſt, mea quidem ſententia, & eruditionis copia, & rerum magnitudine præſtans. Nihil habet immixtum, quod vel Catholicæ Eccleſiæ doctrinæ, vel Chriſtianæ pietati adverſum videri queat. Illud ego denique tantæ dignitatis eſſe cenſeo, ut in publicam lucem fauſte, feliciterque prodire mereatur.

Romæ ex Cœnobio S. Auguſtini v. Id. Sextil. An. Dñi 1760.

*F. Auguſtinus Antonius Georgi Ord. Erem. S. Auguſtini Publicus in Rom. Sapientiæ Archigymnaſio Scripturæ S. Profeſſor, & S. R. C. Conſultor.*

JUbente Reverendiſſimo P. Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici legi librum inſcriptum: *De Piorum in ſinu Abrahæ Beatitudine ante Chriſti mortem*: editum a V. C. Liberato Faſſoni ex Ordine Scholarum Piarum; atque in eo nihil inveni aut alienum a Catholicæ Eccleſiæ doctrina, aut bonis moribus contrarium: Immo cum ſententiam, quam de beatitudine Sanctorum ante Chriſti mortem tuetur Auctor, veriſſimam putem, dignum eſſe arbitror, qui in publicam lucem edatur.

Datum ex Ædibus S. Petri ad Vincula die 10. Auguſti 1760.

*D. Michael Angelus Monſacrati Abbas, & Sacræ Congregationis Indicis Conſultor.*

---

*IMPRIMATUR.*

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. S. Palatii Apoſtolici Magiſter.

DE

# DE PIORUM
## *IN SINU ABRAHÆ*
# BEATITUDINE
## ANTE CHRISTI MORTEM

## *PRÆFATIO.*

1. VOLUNTATE non adductus mea , ſed viri cumprimis ſummi , longeque doctiſſimi auctoritate , monitis , ſtudiis confirmatus ſubdifficilem , & quæ in media Theologia verſatur, controverſiam dirimere inſtituo . Eſt autem illa ejuſmodi , animi ne ſanctorum hominum , qui ante Chriſti mortem , migrationemque ad Inferos obierunt , Dei conſpectu , & præſentia , quam viſionem tritioribus verbis beatificam dicimus , in ſinu Abrahæ fruerentur . Quæſtioni locum nuperrime dedit , optimus , idemque ingenioſiſſimus , atque eruditiſſimus vir , Joannes Cadonicus , Sacerdos Venetus , nunc merito magno ſuo Cremonenſis Canonicus , cui ea penitus animo inſedit cogitatio , Patres , qui in lege veteri morum integritate , ſancti-

tatiſque opinione floruerunt, in Dei conſpectum exeuntes e vita ſtatim admiſſos fuiſſe, ante ſcilicet, quam Dei Filius cruci ſuffixus mortem ſua morte proſtraverat, pretiumque pro ſalute humani generis ſolverat. In quam ſententiam concordi Theologorum noſtrorum, ut ipſe de ſe confitetur, doctrinæ contrariam qua cauſſa, & re homo ornatiſſimus venerit, paucis exponam.

2. Compoſuit, ediditque Cremonæ anno 1747. librum inſcriptum, *Vindiciæ Auguſtinianæ ab imputatione Regni Millenarii*, ubi nimirum acre ſtudium, ac diligentiam in id unice contulit, ut Auguſtinum ab illa fœditate erroris, cui, niſi in omni vita, aliquando certe faviſſe vulgo credebatur, dedita opera defenderet. Cum autem difficillima, atque impedita ſapientiſſimi viri loca, quæ crucem aliis quodammodo fixerant, explicaret, vidit, maculam illam perniciosam Reipublicæ facile deleri, ac tolli poſſe, ſi concedatur, duo Auguſtinum ſtatuiſſe, primum Angelos ſuo conſtare corpore, deinde bonos, qui ante Chriſti obitum nullis conſcientiæ labibus inquinati e vivis exceſſerant, ſempiternam animi felicitatem, ſive beatitudinem, quæ Dei viſio eſt, ſine ulla mora iniiſſe. Duo hæc, judice Cadonico, revera poſuit vir ſanctus, ut ex multis, atque illis quidem luculentiſſimis ejuſdem teſtimoniis acuto, & diligenti cuique perſpicuum eſt. Præſtat autem Aurelio Auguſtino has opiniones, nominatimque alteram, veluti proprias, & ſuas affingere, quam errorem fœdiſſimum, & capitalem tribuere, *qui fidem in ipſo deſtruit catholicam* (*a*), nec manibus ullis elui poteſt. Tanti ergo Antiſtitis auctoritate, atque doctrina permotus Cadonicus eandem ſententiam non tenendam ſolum cenſuit, ſed in Vindiciis, quas dixi, quibus maxime potuit rationibus, argumentiſque firmavit, niſi quod ſæpenumero affirmet, præ ſeque ferat, ſe, tanquam certam, ſtabilemque doctrinam non proponere, quidquid identidem de æterna illa piorum beatitudine aſſeverat. Quam Cadonici opinionem Joannes Lamius, cum ejus librum pro ſuo munere referret in tabulas, & ſibi vehementer probari apertiſſime oſtendit, & ſummis laudibus cumulavit (*b*).

3. Non eandem tandem Cadonici opus, Cremonæ in primis, apud omnes iniit gratiam, non ubique præcones invenit.

(*a*) In Epiſt. Dedicat.
(*b*) Novel. Litter. Fior. an. 1749. col. 554. 568. &c.

venit. Biennio poſtquam prodierat, forte pervenit in manus Friderici Pallavicini, e Societate Jeſu Theologiæ doctoris, quo porro tempore locum de viſione Dei tractabat, ac pro veteri conſuetudine, inſtitutoque Majorum de Millenariorum erroribus explicabat. Fecit ea res, ut aliqua Auditoribus ſuis dictaverit, quibus doctrinæ jam a ſe traditæ, ſcriptoque exceptæ proſpiceret, atque adeo Cadonicum confutaret, ratus Auguſtini nomini, & gloriæ ſatis præclare conſuli, ſi cum Bellarmino, Tournelyo, cæteriſque Theologis detur, Auguſtinum principio quidem ſenſiſſe cum Millenariis, poſtea tamen reſipuiſſe, veritatéque probe cognita, immutaſſe ſententiam. Tum Cadonicus dialogos ſcripſit tres, ſuſceptaque Vindiciarum defenſione, Pallavicino, tacito nomine, occurrit, & ſuas de perpetua Auguſtini ὀρθοδοξίᾳ, ac de veterum beatitudine ante Chriſti mortem opiniones roboravit. Dialogi tamen in lucem publicam non exierant. Privatorum contenti judiciis frequentiam, multitudinemque vitabant. Sed cum Auctor litterariæ Italorum hiſtoriæ tum ejus controverſiæ, tum dialogorum mentionem, quæ Cadonico parum urbana, atque honorifica videbatur, feciſſet (*a*), fractis tandem repagulis, & abjecto quaſi pudore, Roboreti emanarunt in vulgus anno 1753. copioſa aucti præfatione, qua editionis cauſſa, & alia id genus permulta exponuntur. Itaque ex Vindiciis, atque ex tribus dialogis ſuperior illa Cadonici opinio, veluti ex ſuis fontibus, petenda eſt.

4. His autem ordine, ac more tantum hiſtorico declaratis, confeſtim attributam mihi provinciam ingrediar, ita adminiſtraturus tamen, atque ornaturus, ut argumenta quidem mea libere, ut ſoleo, palam, confidenter proponam, nullam nihilominus vocem ſcienti mihi effluere patiar, qua alterius rationis, atque partis adverſarius jure merito offendatur. Nam, ut loquar cum Tullio, *maledicta, contumeliæ, tum iracundiæ, contentiones, concertationeſque in diſputando pertinaces indignæ mihi philoſophia videri ſolent* (*b*). Quo fiet, ſpero, ut nec ipſe Cadonicus meum factum, aut conſilium reprehendat, vel ferat graviter, & acerbe, in eum me locum adductum, ut tempore, atque officio coactus Theologorum noſtrorum cauſſam, defenſionemque ſuſceperim. Il-

A 2 lud

(*a*) Tom. 2. lib. 3. cap. 2. num. 4. Vid. Tom. 7.
(*b*) Lib. 1. de Fin. num. 8. edit. Olivet.

Digitized by Google

lud igitur conabor efficere, bonorum animos, qui, antequam Chriſtus moreretur, ex corporis vinculis diſceſſerunt, & quibus nihil luendum, aut expiandum ſupererat, in beatum Dei conſpectum continuo non veniſſe. Ut autem in re perobſcura, nec ab eiſdem Theologis (abſit verbo contumelia) accurate, aut de induſtria explicata, ratione, ac via differamus, prætexenda aliqua nobis exiſtimo, & quæ dubitationem non habent, ab iis, quæ in quæſtione poſita ſunt, diligentiſſime ſecernenda.

CA-

Digitized by Google

# CAPUT I.

*Initia quædam, ac veluti fundamenta dirimendæ controverſiæ. De variis Inferorum locis, potiſſimumque de Limbo. An Gehenna, quam dicimus, in Sole conſtitui debeat. De Chriſti ad Inferos deſcenſione. Abſurda Burneti explicatio. Quæ Inferorum loca re, ac præſentia Dei Filius adierit, quos illinc eripuerit, ſalvoſque eſſe voluerit, quorum pœnas aliqua ex parte allevaverit. Ordo totius operis.*

5. ITaque illud in primis certum, atque exploratum eſt, ſummoque omnium aſſenſu approbatum, neminem ante Chriſtum in cœlum aſcendiſſe, ut ibi beatus ſempiterno ævo frueretur. Divinitus id David, Paulo interprete, atque adſcriptore, multo ante cecinerat in hæc verba: *aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (a), confirmavitque judicio ſuo graviſſimo, & maximo idem Paulus cap. 10. ejus epiſtolæ, quæ eſt ad Hebræos. *Habentes itaque*, ait, *fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, ideſt carnem ſuam, & Sacerdotem magnum ſuper domum Dei, accedamus &c.* (b). Sic enim, præter alios, Paulinum illud teſtimonium explanavit, Græcæ eloquentiæ, & ſanctitatis lumen, Joannes Chryſoſtomus: *quid hic dicit introitum? Cœlum, & progreſſum ad ſpiritualia*. Quam initiavit, *hoc eſt, quam conſtruxit, & a qua incæpit. Initiatio enim, ſeu dedicatio eſt de cætero initium uſus. Quam conſtruxit*, *inquit*, *& per quam ipſe eſt ingreſſus*. Viam novam, & viventem. *Hic*

(a) Ad Epheſ. cap. 4. ver. 8. (b) Ver. 19 — 22.

*Hic oſtendit ſpei plenitudinem. Recentem, inquit. Contendit oſtendere, nos omnia habuiſſe majora, ſiquidem nunc apertæ ſunt portæ cælorum, quod nec Abrahami quidem tempore contigit. Et recte dicit viam novam, & viventem. Nam prima via erat mortis, ducens ad Inferos, hæc autem vitæ* [1]. Itaque Dei Filius triumphantis ritu in cœlum abiens fores, quæ miſero illo, funeſtoque Adami flagitio intercluſæ fuerant, patefecit, piorumque animos, quos ab Inferis eripuerat, & tanquam e cuſtodia eduxerat, ſecum in æternæ beatitudinis, deliciarumque omnium domicilium introduxit. Eleganter, vereque Hieronymus in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum: *flammea illa romphæa, cuſtos Paradiſi, & præſidentia foribus Cherubin, Chriſti reſtincta, & reſerata ſunt ſanguine*. Sed quoniam quæ perſpicua ſunt, longa eſſe non debent, Patrum, & Theologorum conſentiente auctoritate contenti eſſe poſſumus.

6. Deinde ne hoc quidem in medium vocari poteſt, Dei Filium, poſtquam in cruce profudit animam, ad Inferos re, & præſentia deſcendiſſe, id eſt abdita illa, ac ſubterranea loca adiiſſe, in quibus defunctorum animi verſabantur. Quæ loca, ſeu receptacula non unius, nec ejuſdem ſunt generis. Eſt enim horribilis, atque obſcuriſſimus carcer, ubi mali, atque impii ſempiternis ſuppliciis, cruciatibuſque torquentur, in infima terræ regione conſtitutus, idemque Gehennæ, Abyſſi, Inferni nominibus propriis, & ſuis deſignatus. Audiendum enim nullo modo cenſeo Anglum illum ſcriptorem, cognomento Swindenium, qui nuper Infernum, tanquam e ſuis ſedibus, ex interioribus nempe terræ receptaculis ſuſtulit, ad Solemque imitatus Gigantes magnis conatibus abſportavit [2].

Eſt

1 Homil. 19. num. 1. in cap. 10. epiſt. ad Hebr. Tom. 12. edit. Montfaucon. Sed homiliam ego 18. cum Suarezio (in 3. par. diſput. 42. ſect. 1.), cui Mutiani interpretatio ad manus fuit, dixiſſem, niſi diuturno uſu edoctus, aliorumque crebris in hoc genere erroribus excitatus, quæ in rivis interdum reperio, ea conſtanter ſolerem in fontibus (qua ex re maximas capio utilitates) perquirere.

2 I. Egit id Auctor in opere de natura, & loco Inferni, quod in vulgus Londini exiit anno 1714., & magno multorum riſu exceptum eſt. Quibus ille rationibus moveatur, ecce tibi breviſſime. Primum a vetere deſiſtit ſententia, quod a falſis initiis profecta ſit; a falſis autem initiis profecta vera, ut docet Tullius, eſſe non poſſint. Ea initia duo ſunt, exiſtimaſſe antiquiſſimos Chriſtianos, eſſe terram non globoſam, neque rotundam, ſed

pla-

Eſt præterea Purgatorium, in quo piorum animi, ut ipſa loquitur vox, definito, certoque tempore expiantur, ut eis dein-
de

planam, cœlum vero inſtar arcus ampliſſimi, & maximi ex cryſtallo compacti terræ longe, lateque imminere, eamque, veluti fornicem, tegere: quibus ex rebus neceſſario fieri debuit, ut Infernum in terræ latebris, atque receſſibus a cœlo remotiſſimis conſtituendum eſſe putaverint.

II. *Poſt* hæc in ea ſceleratorum ſede, atque regione verum, & qui proprie dicatur, ardere ignem, demonſtrare noſter inſtituit ex teſtimonio Marci commemorantis *γέενναν τῦ πυρὸς* (cap. 9. ver. 46.), & ſuorum auctoritate, Barrovii ſcilicet, Hammondi, Bilſonii, Bullingeri, ſimilium, quorum tamen in locum commodius feciſſet, ſi Patres, quorum ea de re admirabilis conſenſio eſt, ſubrogaſſet. Putat autem, atque docere nititur, ignem ejuſmodi, noſtro ſimillimum, conſervari in terræ medio, ac permanere non poſſe, cum ignis ſulphure, nitro, aere, veluti pabulo, indigeat, quas ſane in terra res fruſtra deſideres, ac perquiras, ne ſempiternus ille ignis totus paullatim intereat, vaneſcat, atque abſumatur. Non obſtare porro, nec officere Dei potentiam, quæ nullis circumſcripta terminis reperire viam, & rationem poſſit, qua is etiam ſine pabulo vigeat, neque extinguatur diuturnitate temporis: ad prodigia enim confugiendum non eſſe, ubi certa, ac naturalia ſuppetunt conſtituendarum rerum inſtrumenta. Cavendum quippe, ne, quod in communi proverbio verſatur, Jovem in ſcenam vocemus. Addit Geometra acutiſſimus, plus aquæ, quam ignis, in terra deprehendi, longe autem minorem eſſe terræ magnitudinem, quam ut hominum, ac Dæmonum prope innumerabilem multitudinem capere poſſe videatur. Neque vero placet auctori opinio Henrici Mori, exiſtimantis, Infernum oriturum eſſe ex Mundi conflagratione, quo nempe tempore mare, fluvii, aquæ omnes areſcent, abibuntque in vapores. Nam id Philoſopho objicit, ex ſecunda Petri epiſtola ſatis conſtare, comburendam eſſe terram, ac diſſolvendam (cap. 3. ver. 10. & 11.), Infernum præterea jam exiſtere (cap. 2. ver. 4.), ibique peccati pœnas nequam Angelos luere.

III. Illum igitur ex terræ medio ablatum in Sole tandem, diu quæſitum, inveniſſe ſe putat. Macte virtute, Swindeni, profugum hunc fortiſſimis adſtringe vinculis, ne forte hinc etiam elabatur, ad Cometaſque, Wiſtono duce, ſe conferat. Gigantum opus eſt viribus, quas, præter te, nemo habeat. Sed quid ego currentem inutiliter incito? Primum, inquit, Solis ignea natura eſt. Non dubitaverim. Quis enim in hac Phyſicæ gloria piper illud Ariſtotelis ferre poſſit? Naturæ ergo ejus, pergit, convenienter facimus, qui in Sole Inferni ſedem, ac domicilium collocamus. 2. Tantus autem globus eſt Sol, ut ſuum impio cuique, ſuum Dæmonibus locum facile aſſignare poſſimus, cum magnitudo Solis terreſtris globi magnitudinem multis partibus ſuperet, ut docent, qui hæc viderunt, Aſtronomi. 3. Jam ex vetere Pythagoræorum ſententia, quam Copernicus, tanquam ex cineribus, excitavit, Sol Mundi centrum tenet, cœlum vero Empyreum, veluti extimum, reliquos omnes ſtellarum globos complecti intelligitur. Ut autem in Empyreo pii vivunt, tanquam in ſupremo, atque altiſſimo Mundi loco, ſic mali centrum incolunt, remotiſſimum ab illo carcerem, atque cuſtodiam. Nam quod eſt
magnis

de ad æternam patriam aditus patere poſſit, in quam nihil maculoſum, nihil coinquinatum ingreditur. Tertium poſtremo rece-

magnis omnium aſſenſionibus comprobatnm, cœlum, & Infernus ſibi mutuo opponuntur, ut virtus, ac vitium, Deus, & Diabolus, lux, & tenebræ, atque ita quidem, nulla ut major repugnantia eſſe poſſit. Quæ eſſe nequeunt, niſi locum excruciandis ſceleratis, atque impiis conſtitutum in Sole agnoſcamus. 4. Hoc autem ſi fecerimus, multa facile explicabimus, atque illuſtrabimus, quæ cæcis jacerent in tenebris, niſi hujus ſententiæ veluti lumen accederet. Tale profecto eſt chaos, ſive infinita illa propemodum locorum diſtantia, qua dives voluptarius, amandatus ad Inferos, & leniſſimus Hebræorum parens Abrahamus, in mediis cruciatibus procul conſpectus a divite, inter ſe disjunguntur. 5. Quin ei opinioni Moſes ipſe præluxiſſe videtur. Divinus enim ſcriptor Solem procreatum eſſe narrat poſt admiſſum a Diabolo flagitium, non obſcuro ſane, nec tenui indicio, enm ſtatim cum ſuis aſſeclis, ac ſatellitibus præcipitaſſe in hunc ſnppliciorum locum, ut ibi ſceleris pœnas perſolveret. 6. Accedit, quod vetuſtiſſimi populi Solem Dei loco habuerunt, divinos illi cultus ab omni antiquitate adhibentes; ſcilicet nequiſſimi illi de cœlo, & gradu dejecti ingenio, atque artificio ſuo perverterunt miſerum hominnm genus, ut, ſummo, veroque Deo poſthabito, imperii ſui ſedem, ubi æterna perferre debent ſupplicia, venerarentur, ac colerent. 7. Quid plura? Tantum abeſt, ut ſacræ litteræ, quod aliquis vereri poſſet, hanc de Inferni loco opinionem ullo modo labefactent, aut enervent, ut ea potius vim, pondus, ac firmitatem accipiat ex divino Apocalypſis teſtimonio. Sic enim Joannes cap. 16. ver. 8. & 9. *Et quartus Angelus effudit phialam ſuam in Solem, & datum eſt illi æſtu affligere homines, & igni. Et æſtuaverunt homines æſtu magno, & blaſphemaverunt nomen Dei, habentis poteſtatem ſuper has plagas, neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam.*

IV. Atque hæc demum eſt nova in ſpeciem Swindenii de Inferni ſede, domicilioque ſententia. Ad quam confirmandam duo ultro nos addimus, ut homini gratificemur, Solis maculas, de quarum natura, & origine tantopere inter ſe certant Aſtronomi, nihil aliud fortaſſe eſſe, qnam impuriſſimos illos, & ſpurciſſimos ſpiritns, qui ex Sole quandoque minitabundi terram proſpiciunt. Deinde ſi Infernus, ideſt ſi ignis noſtri ſimillimus, cujus maxima eſt vis, edacitas, copia, in intimis terræ receptaculis perpetuo ardeat, a longo jam tempore homines, ejuſdem terræ incolas, exuſto, atque perrupto fornice, in ſummis totius corporis doloribus interituros, atque ad nihilum occaſuros fuiſſe. Itaque præclare, & clementer fecit Swindenius, qui funeſtiſſimo malo conſuluit, propnlſavitque periculum. Magnam etiam Vallio, celebri Hiſtoriæ Pædobaptiſmi auctori, gratiam debemus. Nam cum opus, de quo agimus, attente, antequam in vulgus exiret, legiſſet, auctor Swindenio fuit, ut illud in lncem emitteret, neque hoc contentus amici cauſſam conjecturis quibuſdam ex Newtoniana Aſtronomia petitis firmavit, quas in extrema operis parte videre eſt.

V. Sed omiſſo quæramus ſeria Indo. Opinionis hujus levitatem quarto poſt anno, quam liber prodiit, Rochlitii uberrime diluit, ac refutavit, ſcriptor apud ſuos probabilis, Joannes Gaſpar Loeſcherus Parergorum ſacrorum exer-

receptaculi genus eſt, ubi excipiebantur bonorum animi, quibus nulla peccati pœna, nec macula luenda eſſet, ibique

B omnis

exercit. 8., quam ego tamen videre non potui. Vir quoque doctiſſimus, idemque acutiſſimus, Joannes Vincentius Patuzzius initio præfationis, quæ præit operi de futuro impiorum ſtatu, lectorem monet, ſe dudum fere omnia congeſſiſſe, ac paraſſe, quæ oppugnando Swindenio opportuna, atque utilia videbantur; poſtea tamen, ut inter ſcribendum fit, mutato ſtudio, ac voluntate, novum hoc opus de afflictis impiorum fortunis aggredi voluiſſe, quæſtione illa de ſede Inferni, & ſuppliciorum loco in aliud tempus rejecta.

VI. Nos, quando adhuc vir egregius, maximis implicatus occupationibus fidem datam non liberavit, pauca animadvertemus, varioſque, in quos incidit homo Anglus, errores proferemus in lucem, ſed brevitate, quanta maxima poſſumus. Aliud enim nunc agimus. Itaque Infernum in media terra, aut non multo aliter ponendum eſſe, tota Patrum conſentit antiquitas, lumen ſacris litteris præferentibus. Nam, ut in Numeris cap. 16. narratur, cum nonnulli olim de populo Hebræo ſeditionem feciſſent, & a Moſe impie rebellaſſent, terra ſtatim *aperiens os ſuum devoravit illos cum tabernaculis ſuis, & universa ſubſtantia eorum, deſcenderuntque vivi in Infernum* (ver. 32. & 33.); quod paullo ante ipſe Moſes (ver. 30.) totidem fere verbis eventurum prædixerat. Sunt autem hæc teſtimonia tantæ perſpicuitatis, ac roboris, ut inſtar omnium eſſe poſſint. Nugatur ergo Swindenius, qui ad ſedandam invidiam divinis libris, Joanne præſertim, & Moſe, ad ſui erroris defenſionem abutitur. Sibi enim ubique conſtant divinæ litteræ. Manichæi olim, teſte Athanaſio, atque Auguſtino (lib. 16. cont. Fauſt. cap. 20.), male intellecto illo Davidis oraculo, *in Sole poſuit tabernaculum ſuum*, docuerunt, Dei Filium, redeuntem in cœlum, corpus ſuum in Sole collocaſſe, atque adeo cum una divinitate ad Patrem abiiſſe. Swindenius contra non corpus divini Filii, ſed ſuppliciorum locum ibi conſtituit, idque ex ſacris litteris & ipſe conatur exprimere. Quid autem ex opinionibus tam inter ſe repugnantibus colligas, niſi utroſque argumento eſſe firmiſſimo, quam pueriliter homines loquantur, & ſentiant, cum bene ſibi fidentes divinarum litterarum oracula ſuo interpretantur arbitrio, Patrum auctoritatem, & conſilia non ſecuti?

VII. Quamvis enim aliqui veteres, quo loco Inferni regio poſita ſit, definire noluerint, eamque nonnulli, ut Joannes Chryſoſtomus, extra hunc Mundum ſtatuerint, nihilominus illud etiam ab Hieronymo ſcriptum eſt, *Infernum ſub terra eſſe, nemo jam ambigit*. Protulit hoc teſtimonium ex Hieronymi Commentariis in cap. 4. (quod enim 14. dicatur, librarii errorem id eſſe arbitror) Paulinæ ad Epheſios epiſtolæ Bertius (de Theol. diſc. lib. 10. cap. 17. num. 1. edit. Pedep.), ſed, ut candide fatear, in iis ego Commentariis, etſi magna diligentia uſus ſim, invenire non potui. Aliud ſe mihi tamen ibi obtulit teſtimonium, cujus non longe diſpar eſt ratio. Nam vir ſanctus explicaturus nonum ejuſdem cap. 4. verſiculum, quaſi communem Patrum, atque Interpretum afferret ſententiam, *inferiora autem terræ*, ait, *Infernus accipitur*. Hæc igitur, atque alia plura, ſumma doctor dignitate, Hieronymus. Auguſtinus vero, qui fulcire Theologiam putatur, etſi olim viſus ſit diſſentire, in ſecundo tamen Retractat. cap. 24. ita ſe corrigit: *de Inferis magis*

*mihi*

Digitized by Google

omnis doloris, ſaltem qui extrinſecus irrumperet, expertes, & beata quadam liberationis ſpe ſuſtentati tranquille interea, pla-

*mihi videor docere debuiſſe, quod ſub terris ſint, quam rationem reddere, cur ſub terris eſſe credantur, ſive dicantur, quaſi non ita ſit.*

VIII. Neque vetus hæc, atque pervagatiſſima Chriſtianorum ſententia, a falſis initiis manavit, inde nimirum, quod terram planam eſſe putaverint. Nam potius ducta credi debet ex ſacris litteris, quæ ſæpe eam ſceleratorum regionem in media terra poſitam eſſe, luculenter ſignificant (VI.). Documentum ejus rei capere poſſumus ex Hieronymi, atque Iſidori, quæ nunc quidam in manibus habeo, teſtimoniis. Nam Hieronymus interpretationem, quam dixi, ſtatim tribus divinarum litterarum locis ornat, atque corroborat, Iſidorus vero Hiſpalenſis agit hunc in modum. *Sicut autem cor animalis in medio ejus eſt, ita & Infernus in medio terræ eſſe perhibetur. Unde & in Evangelio legimus*, in corde terræ. Lib. 15. Orig. cap. 9. Præterea qui in Patrum lectione vel mediocriter verſati ſunt, ii facile intelligent, aliquos tantum, non etiam reliquos levem illam de planitie terræ opinionem animo imbibiſſe. Poſt Anaximandrum, Thaletis diſcipulum, terram rotundam eſſe, non planam, illuſtriora quæque veteris ſapientiæ lumina Parmenides, Anaximandri auditor, Plato, Ariſtoteles, Pythagoras, Hipparcus, Poſsidonius affirmarunt, eáque res argumentis graviſsimis, quibus cedere neceſſe ſit, patefacta eſt. Quid igitur? Univerſos Patres, maximis pleroſque ingeniis præditos, tam parum Philoſophiæ ſcientes putabimus, ut argumenta illa non viderint? Atqui vetuſtiſsimis noſtri nominis ſæculis Philoſophia in primis Platonica Majoribus probabatur. Duo prætereo conſulto, primum, quod de terræ rotunditate ne ſacræ quidem litteræ ſileant, alterum, quod & profanæ nationes Infernum in interioribus telluris receſsibus conſtitutum eſſe voluerint. Satis enim jam conſtat, vehementer erraſſe Swindenium, qui Chriſtianorum de Inferni loco doctrinam a falſis manaſſe initiis audacter pronunciat.

IX. Quod addit de miraculis, error eſt gravior. Miracula enim ne ipſa quidem poteſt effugere. Etenim cum Sol ignea natura præditus ſit, parvuli quidam ex illo igniculi, ſive particulæ, cœlum, ac terram ſuo undique lumine colluſtrantes, quovis momento temporis effluunt celeritate mirabili. Aliquam igitur in dies partium jacturam faciat, neceſſe eſt, totuſque adeo Sol poſt ſempiternum tempus omnino intercidat, atque extinguatur. Quo argumento ſolemus oſtendere, Mundum non ab omni fuiſſe æternitate, ſed aliquando cœpiſſe. Ne ergo Infernus vaneſcat, atque inſcienti Swindenio elabatur de manibus, aut ligna, & ſarmenta Soli circumdare, aut auxilium a Deo debet expetere. Nam quam ſpem in manibus habeat, cum ait, majorem aquæ, quam ignis copiam in terra ineſſe, ſatis non video. Hoc certo ſcio, ignem ubique locorum diſſeminari, ac diffundi, fere extra omnem dubitationis aleam apud æquos rerum æſtimatores Boerhavium collocaſſe. Is enim in omni corpore, cujus periculum factum eſt, ſuam Phyſicis declaravit præſentiam, ut paſsim docent Philoſophi.

X. Objicienti autem Swindenio, ne, ſi Infernus in medio terræ ponatur, minor futurus ſit, quam ut omnem Dæmonum, atque ſceleratorum manum contineat, eum ego ſcrupulum adimam verbis Bullingeri, qui Brentio joco-

Digitized by Google

placideque habitabant. Locum hunc, Limbum Patrum a Theologis ſæpe dictum, Chriſtus apud Lucam Abrahæ ſinum appel-



jocoſe ſatis reſpondit, *non eſſe, quod Ubiquetarii timeant, ſe ob loci anguſtias ab Inferno excludendos: ſatis enim fore capacem omnium Ubiquiſtarum, & ſceleratorum*. Nos quidem homines in tria genera conferentes, ei penitus addicti ſumus ſententiæ, maximam humani generis partem ruere, præcipitaréque in Infernum, tanto autem nonnullos, ut ſoleo dicere, propter ictus magnitudinem ſonitu reddito, quantum ne cogitatione quidem informare poſſimus. Loquor de Catholicis; reliquorum enim ſine dubio deſperata eſt ſalus. Novi eſſe quamplurimos, amatores etiam meos, qui hæc ſibi inducere in animum nequeunt, totis diebus Dei clementiam, ſummamque erga homines miſericordiam obtrudentes, quaſi juſtitiæ par in eo ſeveritas non eluceat. Qui ſi ſacras litteras diligenter attenderent, ſexcenta reperirent loca, quæ cum magnam parandæ ſalutis, effugiendiqne horribilis caſus difficultatem, his præſertim moribus, atque temporibus, ob oculos ponant, deſiſterent illi a ſententia. Sæpiſſime enim divini ſcriptores hæc docent, anguſtam eſſe viam, qua in cœlum aſcenditur, patentem vero, & multorum tritam veſtigiis, qua itur ad Inferos, in regnum cœlorum ingreſſuros non eſſe, qui dignos pœnitentiæ fructus non tulerint, itáque contendendum eſſe, enitendumque, ut intremus, regnum enim cœleſte vim pati, unoſque violentos illud arripere, adimplenda eſſe ea, quæ deſunt, paſſionum Chriſti in corporibus noſtris, quicumque autem Crucem ſuam non tulerit, Chriſtum ſecuturus, non fore ejus diſcipulum, nec partem cum illo habiturum; tandem, ut alia mittam, ſi qui dixerint, Domine, Domine, non eos continuo his duabus voculis in regnum illud cœleſte illaturos pedem, conſtitutum enim eſſe, ut qui ſecundum carnem vivunt, vel mandata non ſervant, in perpetuum moriantur. Hæc, & plura id genus ſimilia divinæ litteræ. Nunc autem noſtrorum temporum homines, bonam partem mulierum amatores, impudici, ſuperbi, invidi, avari, maledici, qui toti otio, & deſidia diffluunt, tantum in ſomno, ludo, epulis, voluptatibuſque occupati, qui proximos qnoſque ſine cauſſa oderunt, eorumque famæ, & nomini palam, & per cuniculos detrahunt, conceptum ſemel odium, & inimicitias nullo tempore deponentes, qui, modo res agant ſuas, omnes cum amicitiæ, tum naturæ leges perrumpunt, hi, inquam, homines credent, ſe quaſi curru invectos recta avolaturos in cœlum? Et in tanta vitæ mollitie, morumque depravatione, & licentia humano nihilominus genere cœlum omne complebitur? O impudentiſſimam ſpem! O arrogantiam hominum ſingularem, atque ſtultitiam! Qui nolunt animadvertere, vel ipſum oportuiſſe pati Chriſtum, atque ita intrare in gloriam ſuam. Scilicet reſtaret hoc unum, ut poſtquam ejuſmodi homines delicate, atque etiam ſcelerate vixiſſent, velociſſime ferrentur in cœlum, tibiis, fidibuſque ſonantibus. Sed, palam iis denuncio, & coactus prædico, magnis ad Inferos itineribus properant, cum patre Diabolo primo quoque tempore cænaturi. Taceo de Sacerdotibus, & de religioſis, ut loquimur, viris, quorum quo plura ſunt munera, & ſanctiora vitæ officia, eo formidoloſior futura eſt judiciorum divinorum ſeveritas. Ego certe quum ſuperiora cogito, atque illud una mecum reputo, quam parum vitæ perſonæ reſpondeat, quam ſcilicet molliter, delicate, effœminateque vivamus,

lat, eodemque ſtatim a morte Lazarum, qui in ſumma mendicitate vixerat, ab Angelis deportatum eſſe teſtatur (*a*). Vocat autem eundem locum Auguſtinus *remotam ſedem quietis, atque ſecretam, quæ dicta eſt Abrahæ, non quod ipſe tantum ibi ſit, ſed quod ipſe pater multarum gentium ſit poſitus, quibus eſt ad imitandum fidei principatum propoſitus; ſicut & Deus Abraham ſe Deum vocari voluit, cum ſit innumerabilium Deus* (*b*).

7. De

quærentes quæ noſtra ſunt, non quæ Chriſti Jeſu, ita commoveor, ut tota mente, atque omnibus artubus contremiſcam.

XI. Quoniam igitur fateri vel invitus debeo, maximam hominum cujuſque generis multitudinem ad Inferos ruere, ac ſponte præcipitare ſe in profundum, an tantam terra capacitatem habeat, breviter videndum eſt. Patentem autem, qualem optat Swindenius, locum reperturum me ſpero, cum præſertim miſeri illi non laxe, & magnifice habitaturi ſint, ſed anguſte, quod eſt divino oraculo comprobatum. Jeremias Drexellius e Societate Jeſu ſcriptum reliquit (non enim ſubductis rationibus docuit, ut ſignificare Chambres, in quo me deceperat, videtur), ſi Infernus milliare cubicum pateat, quali utuntur Germani, poſſe inibi centum mille milliones hominum contineri. De carc. & rogo damnat. cap. 8. Multitudinem tamen, ſi forte exiguam eſſe arbitratur, augeat, per me licet, Swindenius, non repugnabo. Statuamus, impios in ea cuſtodia aſſervandos decuplo eſſe plures, ideſt unum billionem efficere; decem illi millia paſſuum cubica occupabunt. Cum terræ ſemidiametro ex Chriſtiani Wolfii doctrina (Elem. Geogr. &c. §. 43. & 44.) vulgo aſſignentur milliaria Germanica 860, erit peripheria milliarium 5400, ſuperficies mill. quadr. 9288000, atque adeo tota ſoliditas milliar. cubic. 266256000, quæ loci amplitudo tanta oppido eſt, ut ad illam Inferni capacitas a nobis aſſumpta puncti inſtar obtineat. Nam ſi diviſione utaris, erit Inferni ſoliditas ad ſoliditatem totius terræ, ut 1 : 26625600, qui numeri, ut uſitato Geometrarum more loquar, proportionem vix ullam inter ſe habent. Magnopere igitur Swindenium hortor, & ſuadeo, labori ut parcat, neve ob incredibilem hominum multitudinem, qui truduntur ad Inferos, hos a terra removere inſtituat.

XII. Ac nova ille quidem molitur, non ita tamen, ut novitatis, ſi quam aucupatur, gloriola cum aliis, ex parte ſaltem, communicari non debeat. Nam ut Lutherianos prætercam (X), Thomamque Alethinum, cui dubium eſt, ſitne æternorum ſuppliciorum locus in terra (not. 80. in Pet. ad lib. 3. cap. 11. de Ang.), Gullielmus Wiſtonus non uno contentus, quot Cometas reperit, tot Infernos induxit. Nam dum Cometæ curſus ſuos circum Solem conficiunt, facinoroſi, atque impii moleſtiſſimas caloris, & frigoris viciſſitudines perferunt, caloris quidem, cum in Perihelio, frigoris, cum in Aphelio verſantur. Pythagoræi quoque nonnulli, ſi Ariſtoteli credimus (lib. 2. de cœl.), ſphæram ignis collocarunt in Sole, eumque præterea Jovis cuſtodiam appellarunt. Plura de toto hoc argumento poſſem diſſerere; ſed adhibendus modus quidam eſt, ultra quem progredi non oporteat.

(*a*) Cap. 16. ver. 22. (*b*) De ani. & ejus orig. cap. 15.

7. De Limbi vero nomine, nominiſque antiquitate, & origine ſatis non liquet. Scio equidem, Uſſerium Diſputationem, inſcriptam *de Limbo Patrum*, *& deſcenſu Chriſti ad Inferos*, edidiſſe, ſed nondum, etſi quæſitam cupidiſſime offendere potui. Cæterum, ſi quid aves cognoſcere, Joannes de Janua de illa piorum ſede ita loquitur. *Limbus ponitur pro quadam parte Inferni*: *quatuor enim ſunt* (judicio hominis) *loca Inferni*, *ſcilicet Infernus damnatorum*, *Limbus puerorum*, *Purgatorium*, *& Limbus Patrum*. Petrus autem Comeſtor, allato Jacobi dicto, qui falſo de morte Filii accepto nuncio, vehementer animo angebatur, *erat enim in Inferno*, ait, *quidam locus Beatorum*, *ſemotus a locis pœnalibus*, *qui ob quietem*, *& ſeparationem ab aliis ſinus dicebatur*, *ſicut ſinum maris dicimus*. *Et dictus eſt etiam ſinus Abrahæ*, *quia etiam Abraham ibi erat in ſuſtentatione uſque ad mortem Chriſti* (a). Tandem Marſilius Patavinus: *& in loco*, *quem Limbum vocant*, *privati manſerant uſque in Chriſti adventum* (b). Hæc illi. De nominis tamen ratione, & origine, qui diſtincte, explicateque aliquid dixerit, adhuc vidi neminem. Sunt nihilominus, quibus placeat, eum locum ita appellatum fuiſſe, quod veluti limbus ſit, atque extremitas Inferorum. Sic enim Anonymus de Miraculis S. Thomæ Cantuarienſis, editus a Stapletono, cap. 37. *Noli igitur pati*, *ut hujus abortivi anima ad Limbum Inferorum abeat*. In hanc ſententiam extremitatem veſtis *Limbum* Itali dicimus, ſimiliterque *Limbum* vocavit Angliæ oram Matthæus Weſtmonaſt. anno 1132. Sed hæc obſcura, vel incerta ſunt omnia, etſi res ipſa eo appellata nomine plane cognita, atque perſpecta haberi debeat, & ſine cauſſa, ſoloque diſſentiendi ſtudio ab Heterodoxis compluribus oppugnetur.

8. Porro cum ſtatuo, Dei Filium ad Inferos, morte obita, penetraſſe, Limbum cumprimis, ſive Abrahæ ſinum intelligatis, volo. Ea vero de re luculenta ſunt, & illuſtria in ſacris litteris teſtimonia, atque illud nominatim Davidis, quod in ore eſt omnium, *quoniam non derelinques animam meam in Inferno* (c). Quocirca Petrus lætiſſimo, ac celeberrimo Pentecoſtes die cum in concione Judæorum eum locum protu-

(a) Hiſt. Scholaſt. cap. 87. lib. Gen.
(b) Defenſor Pacis 1. par. cap. 6.
(c) Pſal. 15. ver. 10.

Digitized by Google

protuliſſet, *providens*, inquit, *locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in Inferno, neque caro ejus vidit corruptionem* (*a*). Idipſum ab omni ſemper antiquitate Eccleſia tradidit, & vetuſtiſſimorum, graviſſimorumque quorumque Patrum Ignatii, Hermæ, Irenæi, ſimilium auctoritatibus apertiſſime demonſtratur, ut dogma propterea ſit inter illa referendum, de quibus Catholicis viris, ſi quidem ſalvi, beatique eſſe velint, dubitari non poteſt. Heterodoxòs enim, qui in ſuperioribus locis Inferorum nomen pro ſepulchro accipi dictitant, & ipſa res erroris coarguit, & noſtri ſæpiſſime, atque uberrime confutarunt. Adeundus Dionyſius Petavius (*b*), qui Eraſmi etiam in hoc exagitando dogmate repreſſit audaciam (*c*), nec omittenda, quæ, præter Bertium (*d*), ſplendide de hoc argumento diſſerit Joſephus Blanchinius in eo Commentario, quo Enarrationem in Symbolum Pſeudo-Athanaſianam Veronæ illuſtravit anno 1732. (*e*).

9. Inaudita eſt autem, ſuaque novitate ſatis impudentiæ, futilitatiſque convicta opinio Thomæ Burneti, qui capite 11. ejus libri, qui eſt *de ſtatu mortuorum, & reſurgentium*, prodiitque in lucem anno 1727., Chriſti deſcenſionem ad Inferos ad ſignificandam (expectate ſomnium, quam vultis, inſolens, vincet tamen expectationem veſtram), ad ſignificandam divini Filii Incarnationem trahit, cum nempe afflicta hominum motus conditione, & miſeriis, relicto cœli domicilio, in hanc terram deſcendit, humanumque ſibi corpus, & animum intime copulavit. Nam certe quidem commentum ejuſmodi & ſuperioribus teſtimoniis perſpicue contrarium eſt (§. 8.), & vel ſolo doctrinæ, ſive ſententiarum ordine, quæ in ſymbolo proponuntur, de medio pellitur. Etenim cum prius dicatur Dei Filius mortuus eſſe, ſepulturæque mandatus, poſtea vero ad Inferos deſcendiſſe, quis unquam, niſi ſciens, prudenſque inſaniat, migrationem ejuſmodi de Incarnationis myſterio exponendam putaverit? Commodum Auguſtinus præcipit in ponderoſa epiſtola ad Evodium: *teneamus firmiſſime, quod fides habet fundatiſſima auctoritate firmata, quia*

(*a*) Act. cap. 2. ver. 31.
(*b*) De Incarn. lib. 13. cap. 15.
(*c*) Ibid. cap. 18. num. 3. & 4.
(*d*) De Theol. diſcipl. lib. 22. cap. 7. num. 15. — 20. edit. Pedep.
(*e*) Pag. 51. & ſeqq.

*quia Chriſtus mortuus eſt ſecundum ſcripturas, & quia ſepultus eſt . . . . & apud Inferos fuit* [3].

10. Dimiſſo igitur Burneto, eique ſimilibus, videndum, quid tandem boni divino illi animorum concilio, qui in ſinu Abrahæ congregabantur, Dei Filius attulerit. Eos ergo, quod tertio loco veluti certum, atque exploratum conſtituere poſſumus, ſumeréque etiam pro conceſſo, & probato, ex illa quaſi cuſtodia eripuit, ſummaque confeſtim lætitia, & inexplicabili gaudio cumulavit. Quam piorum liberationem Oſeas Dei verbis multo ante prædixerat in hunc modum: *de manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, o mors, morſus tuus ero, Inferne* (a). Hoc etiam ſignificavit Zacharias, cum ait: *tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua* (b). Hoc adumbravit David illa ſententia, *qui educit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos, qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris* (c). Hoc denique acrius, atque ſignificantius expreſſit Paulus, & quaſi ante oculos poſuit in ſua ad Coloſſenſes epiſtola, *exſpolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo* (d); ut dubium poſt hæc eſſe nequeat, quin Conſervator noſtri generis ex devicto Diabolo, ſpoliatiſque Inferorum ſedibus glorioſiſſimam victoriam deportaverit, ideſt ſanctos illos Patres tanquam e cuſtodia eduxerit, libertatéque donaverit.

11. Male enim rationes ſubduceret, graviſſimeque, noſtra præſertim ætate, adverſus Deum, ac religionem peccaret, ſi quis allata a me teſtimonia de impiis intelligeret, qui, cum fraudes in hac vita inexpiabiles concepiſſent, in Inferno juſtis, debitiſque ſuppliciis torquebantur. *Neque enim*, ut opportune Gregorius, cognomento Magnus, expoſuit, *Infideles*

(a) Cap. 13. ver. 14. (b) Cap. 9. ver. 11.
(c) Pſal. 67. ver. 8. (d) Cap. 2. ver. 15.

3 Atque his diſputatis (§. 8. 9.), nemo etiam mirari non poterit, quam falſo, ne impudenter dicam, ſecundum Calvinum ſcripſerit Witſius in ſymb. Exercit. 18. §. 18. *at quo tandem modo Chriſtum quoad animam ad Inferos deſcendiſſe credimus? Non proprie profecto, ſed metaphorice, poſtquam per mortem a corpore ſuo ſejuncta fuit; ſed cum corpori adhuc unita cum horrendis anxietatibus luctaretur*. Errorem hic homo impietate cumulat, & adauget. Quid autem ſi ſuperioribus argumentis addas Patrum teſtimonia in hoc opere afferenda, ex quibus tot ego congeram, ut nemo unquam alius plura?

Digitized by Google

*les quoſque , & pro ſuis criminibus æternis ſuppliciis deditos ad veniam Dominus reparavit , ſed illos ex Inferni clauſtris eripuit , quos ſuos in fide , & actionibus recognovit . Unde recte etiam per Oſee dicit* : ero mors tua , o mors , morſus ero tuus , Inferne . *Id namque , quod occidimus , agimus , ut penitus non ſit . Ex eo , quod mordemus , partem abſtrahimus , partem relinquimus . Quia ergo in electis ſuis funditus occidit mortem , mors mortis exſtitit . Quia vero ex Inferno partem abſtulit , partem reliquit , non occidit funditus , ſed momordit Infernum* (*a*). Philaſtrius tribus ante ſæculis Brixienſis Antiſtes , ſanctuſque omnium conſenſu vir , opinionem ei doctrinæ contrariam in hæreſis partem numerabat . Nam de Chriſti deſcenſione ad Inferos acturus orationem ita inchoavit . *Alii ſunt hæretici , qui dicunt , Dominum in Infernum deſcendiſſe , & omnibus poſt mortem etiam ibidem renuntiaſſe* [4] , *ut confitentes ibidem ſalvarentur* (*b*) . Quem Philaſtrii locum , & proxime conſequentia exſcripſit poſtea idem Gregorius Pontifex , diſerteque approbavit in litteris , datis ad Georgium Sacerdotem , Theodorumque Conſtantinopolitanum Diaconum , in eam ambos opinionis vanitatem delapſos , Chriſtum abeuntem ad Inferos , *omnes , qui illic confiterentur eum Deum , ſalvaſſe , atque a pœnis debitis liberaſſe* (*c*) . Philaſtrio autem , quem Mediolani una cum Ambroſio ſe vidiſſe teſtatur , conſentit etiam , præter alios , ſumma doctor perſpicacitate , & ſapientia , Auguſtinus in libro de Hæreſibus ad Quodvultdeum . Sic enim hær. 79. *Alia , deſcendente ad Inferos Chriſto , crediidiſſe incredulos , & omnes exinde exiſtimat liberatos .*

12. Quæ ego paullo uberius , quam forte poſtulaſſet ſuſcepti operis ratio , diſputavi , ut pro ingenii mei tenuitate ſatisfacerem eruditiſſimo illi viro , qui ſuperioribus annis notas ad Brixienſem S. Philaſtrii editionem appoſuit . Nam ſic agit , & loquitur , ut mirari quodammodo videatur , Philaſtrium ſuum eam opinionem de parta impiis ſalute in hæreſis loco poſuiſſe . Atqui ſi Philaſtrius nimius in hoc judicio fuit ,

(*a*) Homil. 22. in Evang. & alibi. (*b*) Hær. 122. edit. Brixienſis.
(*c*) Lib. 7. epiſt. 15. edit. Maurin.

4 Sunt qui vocabulum dividentes legunt, *ſe nuntiaſſe*. Certe, niſi ita dictum Philaſtrio, ea tamen ſcriptura diſplicere non debet: quippe & rectior eſt, & ad rem magis aptata.

fuit, nimius etiam cenſeri debebit & Auguſtinus, & Gregorius, de quibus mox vidimus, &, ne perſequar cæteros, Bonifacius præterea Moguntinus Archiepiſcopus. Is quippe ſcriptis litteris ad Zachariam, Romanum octavo ſæculo Pontificem, hunc quoque Clementis cujuſdam Scoti hæretici errorem commemorat, *quod Chriſtus Filius Dei deſcendens ad Inferos, omnes, quos Inferni carcer detinuit, inde liberaſſet, credulos, & incredulos, laudatores Dei ſimul, & cultores Idolorum*. Lectis vero Bonifacii litteris in Romano Concilio, quod Zacharias anno 745. habuit, ut de Aldeberti, ejuſdemque Clementis erroribus, opinionibuſque cognoſceret, lata cunctis ſuffragiis in hunc ſententia eſt, quod *inſuper & Dominum Jeſum Chriſtum deſcendentem ad Inferos pios, & impios ſimul inde abſtraxiſſe* docuerit (*a*). Quibus ex rebus aperte intelligitur, nefas eſſe, his præſertim temporibus, credere, Dei Filium facinoroſis, & impiis, qui ad extremum vitæ ſpiritum in pravitate perſtiterant, ſubveniſſe, eoſque a morte ad vitam, a deſperatione ad ſpem, ab exitio ad ſalutem revocaſſe. Nam de Patribus, Græcis potiſſimum, qui in talem viſi ſunt propendere ſententiam, alio fortaſſe loco diffuſius.

13. Nunc pergam reliqua. Numquid enim Servator humani generis bonorum ſaltem animos, quorum labes in Purgatorio expiabantur, ab Inferis, pœniſque omnibus novo uſus clementiæ genere vindicavit? Nihil diſſimulo, quæſtionem moves difficilem, cui variæ, ac diſſentientes multorum opiniones tenebras obduxerunt. Unum in tanta argumenti obſcuritate, veluti certum aſſumi poteſt, Chriſtum ſubterranea illa loca adeuntem pios omnes in Purgatorii cuſtodiis incluſos ſingulari quodam ſolatio, & gaudio mirabiliter affeciſse, eorumque pœnas, calamitatemque allevaſse. Summo enim conſenſu a Theologis ſtatutum id video, & colligi præterea poteſt ex divino illo Eccleſiaſtici oraculo, *penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino* (*b*). Nam quamvis oraculum, ſi voces ſpectemus, & ſyllabas, ad æternam Dei ſapientiam ſuo lumine colluſtrantem omnia, & ubique commeantem, ac pervadentem, fortaſse conveniat, idem nihilominus

C & B. Tho-

(*a*) Tom. 1. Conc. Gall. edit. Sirm. (*b*) Cap. 24. ver. 45.

& B. Thomas, & alii de deſcenſione Chriſti ad Inferos aptiſſime interpretantur.

14. Num Chriſtus tamen, cum Inferos adiit, medium hunc expiandis bonorum manibus locum ſua ſit dignatus præſentia, ea incerta plane res eſt, & maxime dubia, neque ex ſuperiori illo teſtimonio argumentum ſatis firmum, & grave, quo expediatur quæſtio, depromi poteſt. Negat igitur confidenter, ac ſine hæſitatione idem Thomas Aquinas (*a*), cui penitus aſſentiendum exiſtimo. Etſi enim unigena Dei Filius neque re, neque præſentia in Purgatorium immigraverit, vi tamen, poteſtatéque ſua, quæ nullis regionum terminis circumſcripta eſt, piis illis ſubvenire potuit, eorumque pœnas, & cruciatus minuere.

15. Hoc tamen multo obſcurius, hoc ſeptum undique tenebris, num iidem fuerint ab omni miſeria erepti, & ad ſinum Abrahæ, beatitudinemque traducti, cum plurimi non immerito cenſeant, Dei Filium in infimas terræ partes profectum liberaſſe plane neminem, qui pœnas peccato debitas penitus non luiſſet. I. Nec Patres, niſi totus fallor, diſſentiunt. Nam ſi illos excipias, qui nimis indulgenter vitæ etiam, ac ſaluti impiorum conſultum eſſe voluerunt, reliqui concorditer tradunt, idcirco Servatorem hominum, fortunæque noſtræ Deum abiiſſe ad Inferos, ut veteres Patriarchas, Prophetas, bonoſque alios, qui in ſinu Abrahæ verſabantur, eriperet, vinctoſque ſolveret, quod nominatim docet Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 4. Non probo igitur opinionem, atque fiduciam Marcellini Siuri, Cordubenſis Pontificis, ſcribentis, Patres ea in re univerſe, ac generatim loqui, æque ſcilicet de bonorum animis, qui pœnas in Purgatorio penderent, ac qui in Limbo, ſiuve Abrahæ tenerentur (*b*). Quo enim potiſſimum adjumento vir doctus hanc a ſe controverſiam expediri poſſe ſperabat, id illi eſt adverſarium maxime, ut ex toto fere opere palam fiet. Hinc magna vir ſanctitate, Bonaventura, quaſi nihil hæſitaret de conſenſu, atque auctoritate majorum, ſic ſtatuit. *Chriſtus ſolum ad Limbum deſcendit: unde SS. Patres eripuit, & ita ad ſupremam partem Inferni, non ad mediam, vel ultimam* (*c*).

II. A qua ſententia, ſi quidem rem ad vivum reſeces, non

(*a*) 3. par. q. 52. art. 2. ad 1. (*b*) Tract. Evang. Tom. 3. tract. 15. cap. 1.
(*c*) In 3. diſt. 22. quæſt. 5.

Digitized by Google

non valde diſtat B. Thomæ Aquinatis opinio. Doctor enim perſpicaciſſimus 3. par. quæſt. 52. art. 8., ubi hanc ſibi quæſtionem proponit, negat, homines e Purgatorio eductos eſſe, niſi eos fortaſſe, quos ille tanto beneficio dignos judicavit, qui ſcilicet jam ſatis erant expiati, vel qui, dum adhuc viverent, fide, ac pietate erga Chriſti mortem ſua meriti ſunt, ut, ipſo veniente ad Inferos, remiſſionem pœnæ impetrarent. Gravi id autem, & quam facile non enerves, ratione demonſtrat, quia ſcilicet *deſcenſus Chriſti ad Inferos liberatorius fuit in virtute paſſionis ipſius. Paſſio autem ejus non habet temporalem virtutem, & tranſitoriam, ſed ſempiternam ſecundum illud Hebr.* 10. *Una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos. Et ſic patet, quod non habuit tunc majorem efficaciam paſſio Chriſti, quam nunc* (a). Nunc autem ſalutem non affert, hominesque ab irrogatione pœnæ non liberet, niſi in eos conferatur, ideſt niſi ſi unicuique rite, & ratione applicetur: ſtatui igitur nullo modo poteſt, Dei Filium profectum ad Inferos generatim, atque univerſe piorum animos de Purgatorii cuſtodia eduxiſſe, eiſdemque videndæ in poſterum divinitatis copiam feciſſe.

16. Tantum vir ſanctus, atque ingenioſiſſimus, dum argumenta refutat contraria, duo hominum genera videtur excipere, unum eorum, qui jam Deo ſatisfecerant, pœnaſque expetitas dependerant, eorum alterum, qui in humanis corporibus promeriti ſunt *per fidem, & devotionem ad mortem Chriſti, ut, eo deſcendente, liberarentur a temporali Purgatorii pœna* (b). Quæ ut pie, ac benigne a noſtro dicta ſint (neutrum enim probavit), primi illi tamen propter Chriſti migrationem ad Inferos pœna exempti cenſeri non poſſunt, cum eodem tempore, abſterſis jam maculis, educti ſine dubio fuiſſent, in libertatemque ex miſera ejus cuſtodiæ moleſtia vindicati, etſi Chriſtus Inferorum loca nullo modo adiiſſet. Sileo, quid alii ſtatuant de ſecundo hominum genere, unumque ad extremum contentus ero admonere, eos, qui arbitrantur, piorum manes, necdum plane expiatos, tunc tamen temporis liberationem pœnæ impetraſſe, niti tantum, ut animadvertit Suarezius (c), ſuſpicionibus, & conjecturis humanis, quas non magno labore in omnem partem accommodes.



(a) Loc. cit. in corp. (b) Ibid.
(c) In 3. par. diſput. 43. ſect. 3. in fine.

modes . Humana ad Deum transferunt , mallem ego cum Tullio, ut divina ad nos. Quem ſi audirent recentiores Heterodoxi, & Deiſtæ , perſpicuis religionis capitibus bellum, ut ſæpe faciunt, nefarium non indicerent [5] .

17. Quorſum autem hæc ſpectent, ſuo loco commodius. Ordine enim in primis delectamur. Nunc illud effeciſſe ſatis ſit, Chriſtum ad Inferos poſt diſceſſum e vita, hoc eſt ad ſinum Abrahæ adiiſſe (§. 8.), animaſque ſibi chariſſimas, amores, & delicias ſuas, inde extraxiſſe (§. 10.) . Quo poſito, ſequitur, ut explicemus, num eædem ante id temporis Dei pulchritudine, atque præſentia, qua unum nimirum vera, & ſolida continetur beatitudo, fruerentur, an potius hanc illis Chriſtus felicitatem tribuerit. Docet Joannes Cadonicus, ut vidimus, piorum, quos dixi, animos cum Deo jam inde a principio verſatos eſſe ; repugnant vero , atque diſcordant, quotquot legi Theologos. Legi autem, ut ſemper ſoleo, quamplurimos, ex quibus auctor cumprimis probabilis, Suarezius, etſi,

5 Hunc , quo ego uſus ſum , Tullii locum protulit olim, approbavitque Auguſtinus lib. 4. de Civitate Dei cap. 26., & lib. 1. Confeſs. cap. 16. his verbis . „ Sed fingebat hæc Homerus , ait Tullius , & humana ad Deos transferebat , divina mallem ad nos . „ *Merito diſplicuit viro gravi divinorum criminum poeta confictor* . Quod Tullius , idem antea querebatur Xenophanes , idem & nos cauſsis gravioribus querimur , tantam conſiderantes Heterodoxorum licentiam. Divinam Bælius beneficentiam , ac bonitatem extenuat, cum mala explicat , quæ hominum vitam circumſtant. Bælius idem, Clericus, Tillotſonus, Burnetus , & alii partim ex Dei bonitate , & ſapientia, partim ex clementia, & miſericordia , partim denique ex æquitate , & juſtitia argumentantur, ſupplicia deferenda impiis finem eſſe aliquando habitura. Lutheriani, Calviniſtæ, cæteri cum videant , etiam ſapientiſsimos quoſque decipi, errare, labi, clamitant, generalia Concilia in explicandis rebus, quæ ad mores, atque religionem attinent , falli poſſe. Auctor libri peſtiferi, *Philoſophia Scripturæ interpres*, nihil credi vult, niſi quod ratio certo, ac perſpicue demonſtraverit . Atque ut paucis multa complectar, Sociniani , & Deiſtæ omnia religionis dogmata evertunt, tolluntque audacter de medio , quod humanis ea momentis, ac rationibus metiantur. Humana ergo iſti ad Deum, & res divinas præpoſtere transferunt, non erraturi profecto, nec tam inique adverſus religionem bellaturi, ſi Xenophani, ſi Tullio, ſi Auguſtino morem gerentes divina transferrent ad nos . *Furor eſt* , diceret Plinius ( Hiſt. nat. lib. 1. cap. 1.) *menſuram Dei animo quoſdam agitaſſe , atque prodere auſos . . . quaſi vero menſuram ullius rei poſſit agere , qui ſui neſciat* . Sed & in hac controverſia humana ad Deum transferunt, quicumque ex triumphis hominum colligere ſe poſſe, & efficere ſperant, Chriſtum profectum ad Inferos bonorum animis, qui peccatorum maculas in Purgatorio luerant, penitus ignoviſſe. Mallem igitur, ut divina ad nos .

etſi, cum maxime id vellet agere, non demonſtraverit, de fide tamen, ut loquitur, certum, atque exploratum eſſe contendit (*a*). Quod ipſum ſcriptum memini ab Hyacintho etiam Graveſonio (*b*). Ex communi autem illa ſententia manavit Italicum de Limbo Carmen, quod in ſex *Cantus* diſtributum, brevibuſque, ſed eruditis tamen, illuminatum notis anno 1748. Venetiis emiſit in lucem, poeta nobilis, mihique amiciſſimus, Hieronymus Agnellius, Ferrarienſis Patricius.

18. Sed nobis propoſitum eſt ſeveriores ſequi muſas. Deliberatum eſt autem argumentum quidem pro viribus in bono lumine ponere, præſertim ne viri ampliſſimi, qui auctoritate nos ſua ad ſcribendum laceſſivit, opinionem fallamus, ea tamen uti cautione, moderationéque dicendi, ut nihil temere, nec inconſiderate moroſo cuique affirmare videamur. Quocirca antequam aliis argumentis certemus, omnium primum Patrum ſententias ea ſuper re exquiremus, eruemuſque magnis noſtris laboribus, quando nemo unius id egit, e latebris. Hinc enim & de Eccleſiæ ſenſu, & de ſacrarum litterarum oraculis, & de rationum momento, ac pondere tutius, atque incorruptius, quod præcipue nobis in optatis eſt, judicabimus.

(*a*) Ibid. in princ.
(*b*) De Myſter. & an. Chriſti Diſſert. 21. Parag. 2.

ROMA

CAPUT

Digitized by Google

# CAPUT II.

*Ex Patrum doctrina jam inde a principio tradita conſtare, optimos, & ſanctiſſimos quoſque Dei adſpectu privatos fuiſſe, antequam Chriſtus moreretur. Teſtimonia Patrum, qui tribus primis Eccleſiæ ſæculis vixerunt, afferuntur, atque opportune illuſtrantur. Ex his Juſtinus in Millenariorum numero non reponendus. Fragmentum libri adverſus Platonem ſit ne, ut exiſtimant, Hippolyti Portuenſis.*

19. MAjores igitur, ac Patres noſtri in hac toti ſententia ſunt, ante mortem divini Filii pios illos, ſanctoſque homines in ſinu Abrahæ commorantes, nondum cumulatæ ejus beatitudinis, quæ in videndo, fruendoque Deo poſita eſt, fuiſſe participes. Teſtibus autem ad iſtam rem obtinendam uti optimis poſſumus; quod in omnibus cauſſis & debet, & ſolet valere plurimum: & primum quidem ab omni antiquitate, quæ, quo propius aberat ab ortu, & divina progenie, hoc melius, niſi ſua fortaſſe admiſcuit, quæ erant vera, cernebat. In his ſine dubio eſt Hermas, qui primo ſæculo floruit, auctor præſtantis operis, quod Paſtor inſcribitur. Nam lib. 3. ſimil 9. num. 16. perſpicue docet, neminem unum ante Chriſti obitum, etſi caſte, integreque diſceſſiſſet e vita, in Dei regnum intraſſe, ſed omnes potius in poteſtate mortis fuiſſe. Sed neceſſe eſt totum locum, quamvis longiuſculum, exſcribere. *Quare*, interrogat noſter, *de profundo hi lapides aſcenderunt, & poſiti ſunt in ſtructuram turris hujus, cum jampridem portaverint ſpiritus juſtos? Neceſſe eſt, inquit* Dominus, *ut per aquam habeant aſcendere, ut requieſcant. Non poterant enim aliter in regnum Dei intrare, quam ut deponerent mortalitatem prioris vitæ. Illi igitur defuncti ſigillo Filii Dei ſignati ſunt, & intraverunt in regnum Dei. Antequam enim accipiat homo nomen Filii Dei morti deſtinatus eſt; at ubi accipit illud ſigillum, liberatur a morte, & traditur vitæ. Illud autem ſigillum aqua eſt, in quam deſcendunt homines morti obligati, aſcendunt vero vitæ aſſignati: & illis igitur prædicatum eſt illud ſigillum, & uſi ſunt eo, ut in-*

*intrarent in regnum Dei. Et dixi: quare ergo, Domine, & illi quadraginta lapides aſcenderunt cum illis de profundo, jam habentes illud ſigillum? Et dixit; quoniam hi Apoſtoli, & doctores, qui prædicaverunt nomen Filii Dei, cum habentes fidem ejus, & poteſtatem defuncti eſſent, prædicaverunt illis, qui ante obierunt, & ipſi dederunt eis illud ſignum. Deſcenderunt igitur in aquam cum illis, & iterum aſcenderunt. Sed hi vivi deſcenderunt; at illi, qui fuerunt ante defuncti, mortui quidem deſcenderunt, ſed vivi aſcenderunt. Per hos igitur vitam receperunt, & cognoverunt Filium Dei: ideoque aſcenderunt cum eis, & convenerunt in ſtructuram turris: nec circumciſi, ſed integri ædificati ſunt, quoniam æquitate pleni cum ſumma caſtitate defuncti ſunt; ſed tantummodo hoc ſigillum defuerat eis.*

Habes Hermæ teſtimonium. Ne autem relinquatur aliquid erroris in verbis, obſcuriſſimum locum ita, duce fere, atque auctore Cotelerio, interpretor. Principio ſigillum, de quo noſter ſæpe memorat, Baptiſmum ſignificat, ita paſſim appellatum a Patribus. Deinde, quoniam lavatio in animos corpore liberatos non cadit, neque id Hermas neſcire potuit, neceſſarie tota illa oratio accipi debet de Baptiſmo quodam metaphorico, ac myſtico, ideſt de bonorum, munerumque cœleſtium copia, quæ hominum generi in Baptiſmo divinitus tribuuntur. Quo probe ſtabilito, & fixo, Hermæ locus, credo, hanc habet vim, Patriarchas, Prophetas, pioſque alios ante Chriſtum de vita egreſſos, etſi maximis virtutibus præditos, Deoque chariſſimos, in ejus tamen regnum non potuiſſe introire, idque ea de cauſſa, quod ſigillo Filii Dei, ſeu Baptiſmo, ideſt Baptiſmi indulgentia carebant. Quare Apoſtolos, atque doctores Baptiſmo munitos concionatos poſt mortem fuiſſe in illo piorum cœtu de Baptiſmo, ac fide, deſcendiſséque cum eiſdem in aquam, moxque ex lavatione aſcendiſſe, quemadmodum de Philippo, & Eunucho tradunt divinæ litteræ. Sed hoc interfuiſſe tamen inter utroſque, quod Apoſtoli, utpote jam ſalutari illo ſigillo obſignati, atque inſtructi, vivi in aquam deſcenderint, & emerſerint, cæteri vivi quidem de lavatione exierint, ſed deſcenderint mortui. Atque hoc tandem modo in cœleſte regnum ingreſſi abierunt ad Deum, hoc modo Baptiſmus ſanctis viris, & fœminis dux in patriam fuit. Quo ſane loco diſputat nonnulla doctor ille an-

antiquiſſimus, quæ probari non poſſunt, hoc tamen, quod agimus, ei perſuaſum, certumque eſt, neminem ante mortem Divini Filii in cœleſtem beatitudinem, quæ ab omni æternitate conſtituta eſt hominibus, invaſiſſe, ideſt neminem adhuc fuiſse cum Deo.

20. Conſentiunt in hoc ipſo ex ſecundi ſæculi auctoribus, nobiliſſimum doctorum par, Juſtinus, atque Irenæus, idque, quod caput eſt, divino etiam teſtimonio comprobatum exiſtimant. Juſtinus enim in aureo illo cum Tryphone dialogo docens, Judæos per ſummam malitiam nonnulla oracula ex ſacris litteris ſuſtuliſse, hoc quoque hominibus exprobrat, quod *ex Jeremiæ dictis ſimiliter reciderunt* illud: *recordatus eſt Dominus Deus mortuorum ſuorum ex Iſraele, qui obdormierunt in terra aggeris, & deſcendit ad eos, ut evangelizaret eis ſalutare ſuum*, ut opem certe quidem, ſolatium, atque ſalutem afferret (*a*). Immo tam longe abeſt, ut noſter veteribus, qui ſe prorſus integros, caſtoſque ſervaviſsent, ſempiternam ſtatim poſt diſceſsum a corpore felicitatem concedat, ut potius, quæ abſurda ſane, ſed ferenda tamen pro illis temporibus opinio eſt, nondum eos ab omni malorum geniorum dominatu, ac tyrannide fuiſse liberos cenſeat. Perſuaſerat ſibi vir ſanctus, Samuelis animum Magicæ artis præſidio vere ab Inferis evocatum fuiſse. Hinc autem efficiebat duo, primum manere animos poſt diſsolutionem corporis, non interire, deinde, quod proxime diximus. Sed ponam ejus verba. *Atque animas quidem manere ex eo demonſtravi, quod etiam Samuelis anima a ventriloqua Pythoniſſa, ut petierat Saul, evocata ſit. Apparet autem, omnes animas ejuſmodi juſtorum, & Prophetarum ſub poteſtatem talium virtutum cecidiſſe, qualem virtutem & in ventriloqua illa fuiſſe, rebus ipſis declaratur* (*b*).

21. Sed catervæ veniunt contra dicentium, quos equidem nemo deſpexerit. Volunt enim, Juſtinum Millenariorum ſecutum eſse ſententiam, putaſse nimirum, ne poſt Chriſtum quidem piorum animos, quibus nihil expiandum eſt, Dei conſpectu, & præſentia frui poſse, antequam iterum ſupremo illo die cum ſuis corporibus conjungantur; ex quo fit, auctoritatem Juſtini apud nos gravem eſse non oportere. I. Non ſe tamen iſto modo res habet. Nam primum qui ita conclude-

(*a*) Num. 72. edit. Maurin. (*b*) Ibid. num. 105.

derent, ii quid ex quoque conſequens ſit, non viderent. Ego enim ſic intelligo, errorem, in quem aliquis incidit, veritati, ac doctrinæ, quam aliis in locis ſtatuit, non officere, cum præſertim ea veritas Patrum, qui fuerunt cum ante, tum poſt, ampliſſimis confirmata eſt teſtimoniis. Quod viri clariſſimi ex Maurina Familia perſæpe, utcumque tempus, aut locus poſtulat, animadverterunt in aureis illis præfationibus, quibus veterum Patrum opera tam utiliter exornarunt. Nonnulla in Origene, acerrimus propugnator religionis, Athanaſius jure merito improbabat, illius tamen teſtimonium de Verbi divinitate arripuit, nec mediocre telum ad rem bene contra Arianos gerendam exiſtimavit (*a*). Videatur, ſi vacat, & Diſsertatio noſtra de LXX. Interpretibus (*b*). Accedit eodem, quod duo illa doctrinarum capita, quæ nunc aguntur, neceſſario inter ſe nexa, copulatáque non ſunt, nec eiſdem ducuntur ex fontibus, ſed utrumque vario, ac diſſimili argumentorum genere probari ſolet; id, quod neque Cadonicus, quocum diſputo, ignorat, & ex toto opere, ut opinor, æquus lector percipiet. Quocirca etſi Patres, ut demonſtrandum ſuſcepi, bonorum in ſinu Abrahæ commorantium ſempiternam, quam Dei efficeret viſio, beatitudinem non agnoſcant, beatitudinem iſtam tamen concedunt, ac faciles largiuntur probatæ ſanctitatis hominibus, qui poſt Chriſti migrationem ad Inferos e vita abierint. Itaque permultum Juſtini valere debet auctoritas, etſi ad Millenarios defeciſset. Quod etiam de aliis Patribus ſenties.

II. Quamquam, ut candide diſseram, ſuperiores illi male reprehendunt, ego vero tam fœdam maculam diutius in Juſtini nomine inſidere non patiar. Planum igitur ipſius teſtimoniis breviter faciam, notam hanc immerito ei a tot ſæculis inuſtam eſse, unaque errorem mihi meum eripiam, qui alias communi nixus Theologorum opinione præteriens poſui, virum ſanctiſſimum ſtetiſse cum Millenariis (*c*). Nam Juſtinus in priori Apologia cauſsam afferens, cur mortem noſtri in malis non ducerent, ſed magno, fortique animo pro religione oppeterent, atque adeo, etiamſi poſsent, non declinarent tamen, *vivere*, inquit, *nolumus obſtricti mendacio. Æternæ enim, ac puræ vitæ cupidi ad domicilium cum Deo univerſo-*



(*a*) Maran. Præf. in Juſt. par.2. cap.13. num.IV. 3. (*b*) §.21. edit.2.
(*c*) Diſs. de Cognit. S. Jo: Bapt. in matris utero exſult. §.14.

*rum patre, & opifice promiſſum contendimus; ac properamus ad confitendum, cum perſuaſum habeamus, & credamus, hæc bona ab illis comparari poſſe, qui factis ſuis teſtati Deo fuerint, ſe illum ſectatos eſſe, ac illud apud eum domicilium adamaſſe, ubi nulla vitioſitas reluctatur*. Num. 8. Si igitur noſtri æternam, melioremque vitam expetunt, ſi teſtimonium Deo libentiſſime dant, quia ad Deum omni animi impetu feruntur, properant, ac feſtinant, nonne Juſtino, & aliis perſuaſum erat, ſe ſtatim a morte potituros Deo, immenſamque ex illius adſpectu voluptatis vim percepturos? Nonne, niſi totidem verbis, eadem certe quidem ſententia, ac Paulus, tradit, cupere illos vincla carceris rumpere, *& eſſe cum Chriſto*? In eadem Apologia num. 12. divinus iſte Philoſophus, ac miles docet, unumquemque disjunctum a corpore *ad æternam ſive pœnam, ſive ſalutem pro meritis actionum proficiſci*. Quæ ſalus, in quo potiſſimum ſita ſit, diſtinctius explicat num. 20., ubi bonorum mentes hinc demigrantes beatas eſſe in hæc verba pronunciat. *Si quædam ſimilia his, qui apud vos in pretio ſunt, Poetis, & Philoſophis, quædam autem plenius, & divinius diſſerimus, idque ſoli cum demonſtratione, cur ſupra omnes injuſtis odiis flagramus? Dum enim a Deo dicimus......., improborum animas, etiam poſt mortem ſenſu præditas, puniri, bonorum a ſuppliciis liberas beate agere, eadem, ac Poetæ, & Philoſophi, dicere videbimur*. Quid enim dicebant Philoſophi? Socrates, qui eſſent in corporibus humanis vitam imitati Deorum, his ad illos, a quibus eſſent profecti, reditum facilem patere (*a*). Scipio, omnibus, qui patriam conſervaſſent, atque adjuviſſent, certum eſſe in cœlo, ac definitum locum, ubi beati ævo ſempiterno fruantur (*b*). Cicero paſſim, ſperare ſe poſt mortem migraturum in cœlum (*c*), futurum cum Diis (*d*), beatiorem vitam initurum (*e*). Quarum ſententiarum plenus eſt liber primus Tuſculanarum quæſtionum, & ſomnium Scipionis, multoque adhuc illuſtriora ex Platonis operibus peti poſſent (*f*). Jam vero affirmat Juſtinus, ſe ſimilia his dicere, quæ profitentur ſumma apud Romanos auctoritate Philoſophi, quin etiam, ut ejus verbo utar, plenius ſe, diviniuſque diſſerere: quare cum docet, bonos, extin-

(*a*) Apud Cic. lib. 1. Tuſc. quæſt. num. 30. (*b*) Somn. Scip. num. 3.
(*c*) Ibid. in Tuſc. num. 11. 34. (*d*) Num. 31. (*e*) Num. 34.
(*f*) Ex Gorgia, & Phædone.

tinctis corporibus, beate vivere, quid aliud, amabo, ſibi vult, niſi eos confeſtim ex corporum vinculis, tanquam e carcere, emiſſos in Dei conſpectum puncto temporis evolare? Nam alioquin qua demum in re illa doctrinæ ſimilitudo, & præſtantia nitatur, nemo exputaverit. Rurſus ex eiſdem Juſtini verbis hæc nobis naſcitur argumentatio. Pii ſtatim ab obitu, niſi qua eos animi labes expiandos contaminet, beate vivunt, præclare cum illis agitur; ſcripſit autem Juſtinus num. 10., pios poſt diſceſſum a corpore hoc eſſe *adepturos*, *ut cum Deo degant*, *atque una regnent corruptionis*, & *perpeſſionis expertes*, *futurumque*, *ut immortalitate*, & *Dei convictu*, & *conſuetudine dignentur*; beatam igitur vitam, qua ex Juſtini ſententia fruuntur boni, non alia profecto res, niſi Dei conſpectus, viſioque efficiet.

III. Hæc ut lector benevolus ſecum attentiſſime reputet, pervelim. Niſi enim neceſſaria Mathematicorum ratione, at certe argumentatione perquam probabili demonſtratum eſſe arbitror, noſtrum hunc fœda illa ignominia, quæ præcipuum Millenariorum inſigne eſt, notari non poſſe. Nam & in Apologia ſecunda loquens de Martyre fortiſſimo Lucio, quem Urbicus Romæ præfectus una cum Ptolemæo rapi ad ſupplicium juſſerat, *at ille*, inquit, tantum abeſt, ut doleret, ut *gratias etiam ageret*, *cum ſe ab improbis ejuſmodi dominis liberari*, & *ad patrem*, *ac regem cœlorum proficiſci cognoſceret* (*a*).

IV. Ex quibus, aliiſque optimi Philoſophi teſtimoniis tria ſunt conſectaria. Primum, ſi qui ex Patribus noſtris arbitrantur, Chriſtum cum ſuis poſt reſtituta corpora regnaturum mille annos in terra, non continuo ſequi, eoſdem æternam piorum beatitudinem in extrema illa tempora diſtuliſſe. Nam Juſtinus neſcio quod Chriſti regnum cum piorum concilio in terris molitus eſt, nec repugnavit tamen, quin hi poſt interitum corporis futuri e veſtigio ſint, conjunganturque cum Deo (II. III.). Cum hoc igitur Juſtinus non egerit, illud alterum eſt conſectarium, noſtri hujus auctoritati, & doctrinæ plurimum ſane in cauſſa, quam adverſus Cadonicum dicimus, deferri oportere. Tertium denique, longe a veritate abfuiſſe, atque inconſiderate ſcripſiſse Honoratum Tournelyum, bonos una cum malis Juſtini judicio in eiſdem receptaculis vi-

 vere

(*a*) Num. 2.

vere (*a*). Nec divinare ullo ego modo poſſum, etſi hujus Philoſophi libros diligenter evolverim, quo fretus præſidio, quo teſtimonio tam abſonam, abſurdamque ſententiam ipſi attribuerit. Sed hæc uberius fortaſſe alias. Eſt enim in animo opuſculum ſcribere, ubi de Millenariorum erroribus, variiſque generibus, & diſciplinis agentes labem illam Juſtini ſtudioſius, atque accuratius eluamus. Ac ſuam fortaſſe aliis quoque Patribus dignitatem reddemus. Quo fiet, ut Cadonici monita, & ſtudia magno apud nos eſſe in pretio videantur (*b*).

22. Nunc venio ad Irenæum, cum & is noſtræ ſententiæ mirabiliter faveat. Pios quippe ante Chriſti obitum nec in æternam illam domum, & patriam convolaſſe, nec in Dei veniſſe conſpectum, multis locis pronunciat. Nam libro 5. cap. 31. num. 1. (ſequor enim editionem Maurinam) Dei Filium tradit, ibi fuiſſe, *ubi erant mortui*, *quemadmodum Propheta ait de eo* „ commemoratus eſt Dominus ſanctorum mortuorum ſuorum, eorum, qui ante dormierunt in terra ſepelitionis, & deſcendit ad eos extrahere eos, & ſalvare eos „. Qui locus ille idem eſt, quo uſus Juſtinus fuit (§. 20.), ſic autem ad docendum aptatus, atque perſpicuus, ut explicatione non egeat. Addit vero noſter, *Dominum in ea*, *quæ ſunt ſub terra*, *deſcendiſſe*, *evangelizantem & illis* (veteribus ſcilicet, qui caſte, integreque ex hominum vita migraverant) *adventum ſuum*, *remiſſione peccatorum exiſtente his*, *qui credunt in eum*. *Crediderunt autem in eum omnes*, *qui ſperabant in eum*, *ideſt*, *qui adventum ejus prænuntiaverunt*, *& diſpoſitionibus ejus ſervierunt*, *juſti*, *& Prophetæ*, *& Patriarchæ*, *quibus ſimiliter*, *ut nobis*, *remiſit peccata*. Amplius, quod deſideret Cadonicus, nihil eſt, ut alia idcirco poſſimus omittere teſtimonia. Aperte enim Irenæus docet, Chriſtum, obita morte, ad Inferos adiiſſe, Patriarchas, Prophetas, & reliquum piorum cœtum, qui ea loca incolebant, adventus ſui certiores feciſſe, eiſdem peccatorum veniam, ſi quid humanitus deliquerant, impertitum fuiſſe, eductiſque ex loco, ubi antea fuerant, vitam tandem, ſalutemque attuliſſe. An ille negaverit, ſanctos ejuſmodi homines, cæteroſque poſt Chriſtum defunctos intueri in Deum, ejuſque pulchritudine perfrui, ſatis nunc quidem conſtitutum non habeo. Nolo enim cujuſquam aut amplificare dicendo, aut minuere glo-

(*a*) De Deo &c. q.12.art.1.init. (*b*) Vind.cap.3.pag.41.& cap.4.pag.53.

Digitized by Google

gloriam. Sed, etiamſi negaviſſet, ut plurimorum opinio eſt, id tamen Irenæi in hac cauſſa teſtificationem, auctoritatemque non elevat (§. 21. I.), quæ multo plus habitura eſt firmitatis, & virium, ſi hoc reputes, certum illi fuiſſe, Martyrum animos, cum e corpore exceſſiſſent, ſtatim in cœlum aſcendere, atque adeo divina frui præſentia. Ita enim Antiſtes eximius. *Eccleſia omni in loco ob eam, quam habet erga Deum, dilectionem multitudinem Martyrum in omni tempore præmittit ad Patrem* [6], ex cujus divinitate, quam præſentem cernunt, inexplicabili complentur animi voluptate.

23. Ecce igitur, quid primo, & ſecundo ſæculo Patres optimi, atque ſanctiſſimi, Hermas, Juſtinus, Irenæus, qui editis libris nobilitarunt, atque auxerunt Eccleſiam, ſenſerint. Cum his autem, quod eſſe tamen nullo modo poteſt, non invitus, dimiſſo Cadonico, erraverim. Atque utinam reliquorum Patrum opera vel fraude nequiſſimorum hominum, vel injuria temporum non intercidiſſent! Nullus enim dubito, quin adhuc præſto eſſent complures, qui cauſſam tam nobilem, ac tam illuſtrem defenderent, jacentemque ſuo teſtimonio erigerent, attollerent, confirmarent. Sed quoniam ei incommodo mederi non poſſumus, providebo ſaltem omni ope, ac viribus, ne quis meam requirat induſtriam. Traditioni enim, quam ſuperiorum Patrum fide, & præſidio nixi primis duobus ſæculis viguiſſe in Eccleſia oſtendimus, ex illo ipſo teſtimonio, quod, veluti divinum, Juſtinus, Irenæuſque uſurparunt, novam nos lucem, auctoritatemque adhibebimus, cum ſcilicet cap. 10. argumenta ex ſacris litteris adverſus Cadonicum depromemus.

24. In-

6 Lib. 4. adverſus Hæreſ. cap. 33. num. 9. edit. Maurin. Confutatam hinc habes levem illam, & nugatoriam Henrici Dodwelli de Martyrum paucitate ſententiam. Diſſert. 11. Cyprian. Quid enim paucitati magis poteſt eſſe contrarium, quam Martyrum multitudo? Sed argumenta Dodwelli ſingula ſatis diſcuſſit, ac profligavit Theodoricus Ruinartius, quem ſecuti Pagius ſunt, & Politus noſter in Martyr. Rom. ad diem 1. Januarii, ut proinde præclare olim fecerit S. Montanus Martyr, qui, ut illius acta ſignificant, *Hæreticorum quoque ſuperbiam, & improbam contumaciam retundebat, conteſtans eos, ut vel de copia Martyrum intelligerent Eccleſiæ veritatem*. Vide hinc, Dodwelle, quam bene tua illa eruditione de Eccleſia mereare. Tu fabulatores eos vocas (fabulones homo tu eruditus dicere, opinor, volebas), qui quoque anni die plurimorum in Martyrologiis Martyrum meminerunt. Sed hac ratione fabulator tibi etiam fuerit Irenæus, fabulatores Patres plerique omnes, qui paſſim in ſuis operibus immenſam Martyrum multitudinem ſummis ad cœlum laudibus efferunt.

24. Interea ad dicendam ſententiam ſe, & republica dignam procedent in ſolem, & in pulverem ex tertii ſæculi Patribus Tertullianus, Cyprianus, Zeno de Latinis, de Græcis Clemens Alexandrinus, Origenes, Hippolytus, aliique. Ac Tertullianus quidem in eo libro, qui eſt de anima, maximis litteris ſtatuit, Conſervatorem humani generis *deſcendiſſe in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas, & Prophetas compotes ſui faceret* (a). Non igitur antea ex Tertulliani ſententia horum animos Dei conſpectus, qui beatiſſimam vitam efficit, explebat, non illi ſummam adhuc felicitatem adepti erant. Idem tamen Tertullianus Martyribus noſtris viam ad cœlum ſternit ampliſſimam, beatitudinemque illam mentis, qua de agimus, verbis graviſſimis & pollicetur, & defert. Quod in eo libro cum ſæpe, aperteque faciat, ſupervacaneum eſſe arbitror teſtimonia exſcribere. Unum præterire tacitus nequeo, quod Tertullianus paucis poſt verſibus noſtros id ſibi objicientes inducit: *immo dormitio noſtra in Paradiſo, quo jam tunc Patriarchæ, & Prophetæ, appendices Dominicæ reſurrectionis, ab Inferis migraverint*. Hinc enim luculenter patet, noſtrorum omnium, nedum Tertulliani, hanc ſemper fuiſſe ſententiam, veterum Patrum animos cœlo exulaſſe, nec æternam, quæ in fruendo, perſpiciendoque Deo poſita eſt, beatitudinem iniiſſe.

25. A quorum judicio Cypriani judicium non diſcrepat. Nam is Chriſtianos quoſque, qui mente pura, atque integra objiſſent, paſſim in Dei conſpectum admiſſos credit: quæ res, Heterodoxis etiam conſentientibus, dubitationem non habet. In libro tamen de Idolorum vanitate, cum parte tertia noſter ille demonſtrat, eſſe Chriſtum ſalutis, vitæque noſtræ auctorem, parentem, Deum, vide, quæſo, ut loquitur. *Tunc in cœlum circumfuſa nube ſublatus eſt, ut hominem, quem dilexit, quem induit, quem a morte protexit, ad Patrem victor imponeret*. Durum ſane, & abſonum loquendi genus, ſi homines antea cœleſtem Patrem, ſive Deum vidiſſent. Nam qui tandem Filius homines victor ad Patrem impoſuit, ſi jam antea optimus quiſque potiebatur Deo, ſi totum prope cœlum, ut alios ſileam, Hebræo jam genere completum erat? Audacter dico; ea verborum formula ne in Africano quidem homine ferri poſſet.

26. Lu-

(a) Cap. 55. edit. Rigalt.

Digitized by Google

26. Luculentiſſimis hiſce teſtibus, præter Lactantium, cujus nobis ſuffragium nemo, opinor, eripiet, accedit Zeno Veronenſis Antiſtes, quem, niſi omnium, multorum certe quidem ſermonum auctorem eſſe non dubito, quos Bagatta, & Berettus anno 1586. Veronæ in ejus nomine ediderunt. Neque enim me movet doctiſſimorum virorum auctoritas, qui vel nullum a religioſiſſimo Antiſtite ſcriptum ſermonem putant, vel, Ughellio, & Papebrochio ducibus, Zenones agnoſcunt duos. Labuntur quoque & doctiſſimi homines, impotentique abrepti Criticæ ſtudio dum in antiquitatis arcem invadunt, machinam interdum adhibent, quæ vel nulli detrimento ſit, vel etiam in partem contrariam facile repellatur. Egregie alterum demonſtravit Franciſcus Bonacchius, Piſtorienſis Sacerdos, cui unus dumtaxat Zeno admiſſus eſt (a), primum vero clariſſimi viri, ac de litteris immortaliter meriti, rarum eruditionis par, Ballerinii Fratres, qui Veronæ annis abhinc uno, & viginti Zenonis ſermones iterum emiſerunt in lucem, eoſdemque auctos numero, & aureis Diſſertationibus, notiſque perpetuis emendatos, atque illuſtratos. S. igitur Zeno ſerm. 5. de Paſcha ſecundum hujus editionis fidem conatus noſtros ſic adjuvat. *Hic dies eſt ſalutaris, quo ferales diſruptæ ſunt tenebræ, quo mors ſubacta eſt, quo homines, quos ſuſceperant mortuos, refundere Inferi coacti ſunt vivos*. Dubitas? Verum qui cæcis jacebant in tenebris, qui mortui in Inferis tenebantur, ii Deum, qui in media luce habitat, in cujus conſpectu, & præſentia nemo mortis ſubeſſe imperio putandus eſt, me quidem judice, non videbant. Atque hæc Latini Patres.

27. Quid autem Græci? Similia. Summa enim in omnibus ſtudiorum, voluntatumque conſenſio. Clemens porro is, qui Alexandrini cognomen obtinuit, Stromatum lib. 2. cap. 9. itemque lib. 6. cap. 6. illam Hermæ doctrinam, de qua ſupra explicavimus (§ 19.), adauget, atque amplificat, nedum approbare nititur, & deſcribit. Ait, Dei Filium ad Hebræos, Apoſtolos ad Gentiles concionem de Evangelio apud Inferos habuiſſe, qui vero aſſenſi ſunt, crediderunt que concionantibus, eis, teſte Herma, adminiſtratum eſſe Baptiſmum, atque una ſalutem datam. Poſt hæc multus, diſertuſque eſt libro illo ſexto in eadem re declaranda, tum his ipſis verbis progre-

(a) De Serm. & Mart. S. Zen. lib. 1. cap. 11. edit. 1740.

greditur. *Quid ergo? Non etiam apud Inferos fuit eadem œconomia, ac diſpenſatio, ut illic quoque omnes animæ, audita prædicatione, aut oſtendant pœnitentiam, aut propterea quod non crediderunt, juſtum fateantur eſſe ſupplicium? Eſſet autem non levis iniquitatis eos, qui ante adventum Domini exceſſiſſent, cum eis nec fuiſſet annunciatum Evangelium, nec in credendo, vel non credendo ulla poſſet in eos culpa conferri; vel ſalutem aſſequi, vel puniri. Neque enim fas eſt, illos quidem indicta cauſſa fuiſſe condemnatos; ſolis autem eis, qui fuerunt poſt ejus adventum, frui divina licuiſſe juſtitia* (*a*). Equidem Clemens aliqua culpa tenetur erroris humani, de quo ei benigne ignoſcendum ſit. Idipſum tamen indicio eſt locupletiſſimo, veteres Patres optimum quemque, qui ante Chriſtum ceſſiſſet e vita, a Dei conſpectu removendum putaſſe. De Lazari etiam morte, ac felicitate ita Clemens loquitur, ut nec ipſi, nec piis reliquis antea mortuis videndi Dei copiam fecerit. Sed de Clemente ſatis.

28. Jam enim ad ſe nos vocat illius auditor, præceptori nihilo inferior, Origenes. *Dei Filius*, ait, *pro ſalute mundi uſque ad Inferna deſcendit, & inde Protoplaſtum revocavit. Quod enim dixit ad Latronem, hodie mecum eris in Paradiſo, hoc non illi ſoli dictum, ſed & omnibus Sanctis intellige, pro quibus in Inferna deſcenderat* (*b*). Ne quis autem Paradiſi voce fortaſſe offendatur (quamquam ne hoc quidem eſſe poteſt, ſi velis perſpicuis cedere: perſuadet enim totus locus), is audiat, quid Origenes ſcriptum reliquerit in Commentariis in epiſtolam ad Romanos. *Si vero, ut in nonnullis exemplaribus habetur, etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, mors iſta, ideſt, quæ in Inferno animas detinebat, regnaſſe dicatur, intelligimus, & Sanctos quoſque ſub iſta morte, etiamſi non peccandi, at certe moriendi lege decidiſſe, Chriſtum vero idcirco in Infernum deſcendiſſe non ſolum, ut ipſe non teneretur a morte, ſed ut eos, qui inibi, non tam prævaricationis, ut diximus, crimine, quam moriendi conditione abſolveret* (*c*). Quæ longe illuſtriora ſunt, quam ut vel Marcellinus Siuri (Vid. §. 25.) interpretetur de bonis, quorum animi in Purgatorio expiabantur, vel Cadonicus artificio aliquo

poſſit

(*a*) Ibid. cap. 6. edit. Potteri Venet. 1757.

(*b*) Homil. 15. in Gen. num. 15. edit. de la Rue.

(*c*) In cap. 5. num. 8.

poſſit eludere. Lectu pariter in eam rem digna eſt Homilia 6. in Exod. num. 6., & 17. in Gen. num. 5.

29. Plura quoque, nec illa ambigua, ſunt Hippolyti Martyris teſtimonia. Primum nobis ſuppeditat in Demonſtratione de Chriſto, & Antichriſto, ubi de Joanne Baptiſta, ejuſque apud Inferos munere verba faciens neminem veterum Patrum Dei adſpectu, conſuetudinéque dignatur. *Hic*, inquit, *iis etiam, qui erant in Inferno, prior evangelizavit, ſublatus Herodis gladio, illic factus Præcurſor. Nempe ibi quoque indicaturus, expectandum Salvatoris deſcenſum, qui Sanctorum animas de manu mortis eſſet liberaturus* (a). Pii igitur, cum adhuc eſsent in poteſtate mortis, Deum, Hippolyto judice, non videbant. Teſtimonium alterum ne fruſtra quærerem, fecit Theodoreti diligentia. Exſcripſit enim in Dialogo ſecundo, petitumque eſt ex concione de magno cantico, ubi de divino noſter ille Filio in hanc ſententiam loquebatur. *Qui perditum hominem ex terra formatum, & vinculis mortis implicatum ex infimo Inferno eripuit, & deſuper veniens in ſublime extulit humi jacentem, factus mortuorum Evangeliſta, & animarum redemptor, & reſurrectio ſepultorum. Hic victo homini opem tulit, factus ei ſimilis, primogenitus* λόγος, *primum parentem Adam in virgine viſitans, ſpiritualis terrenum in matrice quærens, ſemper vivens per inobedientiam mortuum, cæleſtis terreſtrem ad ſuperiora vocans*. Quo ex loco manifeſte apparet, antequam Chriſtus adiret Inferos, hoſtemque ſua morte proſterneret, nondum viris ſanctiſſimis tributum eſse, ut in Dei conſpectu acquieſcerent, ut eorum animi optatiſſima ſummæ pulchritudinis viſione explerentur.

30. Habes autem & alia valde idonea ad docendum teſtimonia in fragmento libri adverſus Platonem, qui vulgo ab eruditis hominibus eidem Hippolyto adſcribi ſolet. Vereri tamen fortaſse quis poterit (nihil ego enim diffiſus prudentiæ meæ ſtatuerim), ut is liber dignus revera ſit, qui tanto omnium conſenſu viro ſancto tribuatur. Hæc enim totius fragmenti ſumma; eſse Haden, ſive Infernum ſubterraneum quendam, atque obſcuriſſimum locum, nullo lumine colluſtratum, & quaſi vas quoddam, ac receptaculum animorum. Unam ad illum patere viam, excubaréque ad fores Archangelum ſtipatum exercitu. Forte, crederes, nequa fiat hoſtium irruptio.



(a) Num. 45. edit. Fabric.

ptio. Portam ingreſsos partim ad lævam ferri, partim ad dexteram. Bonos, multis comitantibus Angelis, ac pie, hilariterque canentibus, ad dexteram pergere, donec in lucidiſſimam perveniunt ſedem, ubi reliquorum piorum conſpectu recreati, noviſque in dies fruentes bonis ſatis beate vivunt, æternæ ſe interea, quam in cœlo adituri ſunt, felicitatis ſpe conſolantes. Jam malos ſiniſtrorſum trahi, trahi autem, trudique a Dæmonibus, qui invitos, reluctanteſque (ſponte enim non incedunt) non ſolum urgent, impellunt, premunt, ſed conviciis onerant, obtutuque oculorum, unde ardor, & crudelitas eminet, extrema ſupplicia minitantur. Tandem poſt longum iter conſiſtere impios ad oram lacus, igne refertiſſimi, in quem ſupremo illo die immittentur. Nunc autem æſtu tantum, exhalationibus, fumo torqueri. Ubi animadvertas velim, quam amice Dæmones exerceant inimicitias. Nam etſi ſummopere oderint, neſcio qua tamen commoti miſericordia ſceleratos illos necdum præcipitant ex ſuperioribus locis in horribilem foveam.

Serio igitur: non ſunt hæc, quæ verbis quidem meis, ſed fideliter tamen expoſui, cum bonam partem puerilia, tum vero ejuſmodi, quæ poetam citius, quam gravitatem Hippolyti, ideſt Chriſtiani doctoris dignitatem, atque prudentiam decere videantur? Acutiores expendant, velim. Nam ſi is liber abjudicetur Hippolyto, quamvis cauſsæ noſtræ opituletur, de reliquo tamen non magnam, ut arbitror, jacturam faciemus. Nullas enim Eccleſiæ importare utilitates poteſt, niſi quod tria, ut alii, præclare ſtatuit, primum eſse mortuos ſummo illo die revocandos ad vitam, deinde ignem in Inferis, qui vere, ac proprie dicitur, ardere, tertio cruciatus, ac pœnas perferendas ab impiis ſempiternas futuras, ſic, ut nulla evadendi ſpes relinquatur. Quæ adverſus Origeniſtas a Patuzzio ſtrenue confutatos proferri poſsunt. Hæc ſi demas, nihil in toto fragmento reperies, quod laude magnopere dictum ſit, ſed talia potius, quæ vel miseranda, vel etiam irridenda eſse videantur. Fuerunt autem & ante me, qui de auctore hujus libri, aliis tamen permoti cauſſis, dubitandum putarunt, ut ex Caveo (*a*) intelligi poteſt.

31. Interim caput hoc Thaddæi claudet auctoritas, quam Euſebius primo Hiſtoriæ libro capite ultimo conſignavit. Nam vel

(*a*) Hiſt. Litter. &c. in Hippol.

vel acta illa Thaddæi germana, ac vera ſunt, ut teſtatur Euſebius, cui ipſe etiam Tillemontius aſſentiendum exiſtimat, vel adulterina, & commentitia. Si germana, Thaddæi auctoritas in primum, ſi adulterina, in tertium, vel ſecundum ſæculum conferatur, neceſse eſt. Affirmat enim Euſebius, totam ſe narrationem ex publicis Edeſsenorum tabulis ſumma fide exſcripſiſse. Locus autem, qui noſtra intereſt, magnam ſemper ad perſuadendum vim obtinebit, cum ire inficias nemo poſſit, quin toti Edeſseno populo, Euſebio, aliis probaretur. Thaddæus ergo e ſeptuaginta diſcipulorum Chriſti familia loquens cum Abgaro Edeſsenorum Rege pollicitus ei eſt, ſe dilucide narraturum, quomodo Chriſtus *ad Inferos deſcenderit, clauſtrumque ab omni ævo intactum diſruperit......, utque ſolus quidem e cælo deſcenderit, aſcenderit vero ad Patrem cum maximo comitatu*. Ut illud taceam, comitatum piorum tam præclarum, & nobilem receptum in cœlum fuiſſe, hic locus de Purgatorio nequit intelligi. Nam quibus ſeptis, vel clauſtris Purgatorium continetur, ea antea diſrupta fuerant quam ſæpiſſime, cum paſſim bonorum animi ex Purgatorii cuſtodia erepti in ſinum, complexumque Abrahæ convolarent. Intelligi ergo debet oratio de Limbo Patrum: atqui ea hunc nobis locum objicit inſtar carceris, firmo undique ſepimento vallati, ex quo nemo adhuc exierat, carcer autem ne cogitari quidem poteſt, ubi bonis eſt omnibus cumulata felicitas; piorum ergo animi, qui hic habitabant, nondum intuebantur in Deum. Utuntur ſimili ſententia alii Patres, atque ipſe nominatim Euſebius (§. 33.), quos infra conſtabit, antiquis quibuſque divinitatis conſpectum, atque præſentiam ſine dubio ademiſse.

# CAPUT III.

*Producuntur , atque expenduntur auctoritates Patrum , qui quarto , & quinto ſæculo floruerunt . Repellitur jacta a Burneto in Macarium calumnia . Hilarius Pictavienſis ereptus Cadonico , & Millenariis . Trombelliana ejuſdem epiſtola. Elegans , graviſque Hieronymi in rem noſtram argumentatio . Nova Blackmorii opinio de natura cœleſtis beatitudinis refutata . Auctoritate Auguſtini , etiamſi in eadem , qua alii Patres , non eſſet ſententia , Cadonicum non juvari .*

32. SUperis grates. Emerſi jam e vadis, & ſcopulos prætervecta eſt oratio mea . Nunc perfacilis , idemque patentior reliquus curſus oſtenditur , ut portum , quo petimus , niſi re , ſpe certe propemodum teneam . Explicaturo enim quarti ſæculi , & reliquarum ætatum teſtimonia lux mihi quædam doctrinæ , & ſapientiæ Patrum oboritur , neque cum obſcuritate , ut ſæpe fecimus , depugnandum , aut quaſi navigandum in tenebris , & turbulento mari , ſed ventis ſecundiſſimis , ſereno cœlo , aſtriſque maximo lumine collucentibus , iter , quod inſtituimus , perſequendum . Quantum autem potero , labore , diligentiaque contendam , ut hæc adverſarius noſter intelligat . Frequens hæc enim illius querela eſt , deſtitiſſe Theologos , cauſſa incognita , ab Auguſtini doctrina , applicuiſſe autem ſe ſe ad B. Thomæ ſententiam , quaſi ſcilicet Thomæ ſententia ſæculorum omnium præjudiciis aperta , ac manifeſta non eſſet , nec omni argumentorum præſidio , cuſtodiaque ſe tegeret . Longior igitur , ac diligentior ſim , oportet , in enumerandis auctoribus , qui quarto , & quinto ſæculo de religione ſcripſerunt . Sic enim viro doctiſſimo planum ipſis teſtibus faciam , ſi Auguſtinus fortaſse optimum quemque ſtatim ab obitu in Dei conſpectum veniſſe credidit , antequam unigena , atque amantiſſimus Filius proficiſceretur ad Inferos , eundem deſciviſſe hac in parte ab inſtitutione Majorum [7] , prudenti vero conſilio Thomam Aquinatem , cæteroſque Theologos illorum ſtetiſſe judicio .

33. Ut autem ordine procedat oratio , primum Græcorum verba teſtium audiemus . Atque Euſebius quidem enarrans

7 Non deſciviſſe tamen , oſtendetur a nobis poſterius .

rans pſalmum 16., qui eſt de multiplicibus Chriſti pœnis, & morte, ſic diſputat. *Hic ob ſalutem animarum, quæ apud Inferos detinebantur, aderat, quæ quidem a multis jam ſæculis illius adventum præſtolabantur, ac deſcenderat æneas contriturus fores, & vectes confracturus ferreos, ut qui apud Inferos vincti prius erant, liberos dimitteret* (*a*). Athanaſius quoque, oculus ille religionis, & lux, clariſſima voce opinioni Cadonici refragatur. Breviter, quæſo, attendite. *Etiam anima Adæ in condemnatione mortis detenta clamabat ad ſuum Dominum perpetuo, & cum ea cæteri, qui Deo per legem naturæ placuerunt, una cum Adam detinebantur, ſimulque in mœrore erant, ac vociferabantur. Miſertus igitur hominis a ſe creati Deus, ſtatuit per myſterium novæ manifeſtationis humano generi conciliare ſalutem, inimicumque, qui per invidiam deceperat, profligare* (*b*). Num conqueri fortunam adverſam, num lamentari eos decet, quorum animos ſua Deus beat, lætificatque præſentia? Jacobi Niſibeni opera nudius tertius ex tenebris eruit, & luce uberrima colluſtravit, ſingulari, dudumque cognita pietate vir, Cardinalis nunc ampliſſimus, Nicolaus Antonellius. Niſibenus autem ille Pontifex conferens Paſcha Judæorum cum noſtro hæc ad rem meam ſatis accommodate. *Illis fuit Salvator Moyſes, & nobis fuit Jeſus Salvator, & dux. Illis Moyſes diviſit mare, & trajecit: & Salvator noſter diviſit Infernum, & fregit portas ejus, cum ipſe ingrediens eas aperuit, & omnibus fidelibus ſuis viam munivit* (*c*). Quæ rerum, factorumque collatio eam ſine dubio habet vim, ut Jeſus Chriſtus ad Inferos abiens ſalutem piorum animis dederit. Poſtulat præterea, ut Dei Filius, qui Inferorum primus omnium fores aperuit, & confregit, qui ſuis viam ſtatuit, ut inde evaderent, poſtulat, inquam, ut ſingulare in pios, planeque ſummum beneficium contulerit. Sed quid, amabo te, feciſſet ejuſmodi, ſi jam antea in Dei conſpectu beate, immortaliterque vivebant, ſi Deum mentis oculis, toto animo, & cogitatione tenebant, intuebanturque præſentem? Ubi enim Deus (dicendum quippe ſæpe eſt), ibi profecto bonis omnibus cumulata felicitas.

34. Fuit Jacobus Niſibenus magna Nicæni Concilii pars, eique propter excellens ingenium, admirabilemque ſcientiam, ex

(*a*) Lib. 10. Dem. Evang. pag. m. 312. (*b*) De Salut. Adv. Chr. & alibi ſæpius. (*c*) Serm. 14. de Paſch. num. 6.

ex qua etiam ſapientis cognomen merito adeptus eſt , ſtrenuam, atque perutilem navavit operam, ſummis propterea laudibus a Theodoreto inſigniter decoratus (*a*) . Ab illo igitur non ſegregabimus Macarium Hieroſolymitanum Pontificem, vel potius Nicænos Patres, quorum nomine, ſi Gelaſio fides, Macarius cum Phœdo Philoſopho, acerrimo Arianæ impietatis fautore , non modo diſſeruit, ſed omni ratione diu pugnavit, atque certavit . *Deſcendebamus* , inquit , *nos poſt mortem ad Inferos : ſuſcepit Chriſtus & hoc , deſcenditque ſponte ad eos, non tamen detentus, ſicut & nos, ſed deſcendit tantum. Non enim erat ſubjectus morbi, ſed mortis dominus: cumque ſolus deſcendiſſet, cum multis rediit* (*b*). Exploratum eſt ex his verbis, homines idcirco detentos fuiſſe ante Chriſti mortem in Inferis, quia mortis lege tenebantur, in quam mortem Dei Filius dominabatur . Non igitur qui tenebantur hac lege , crudelique mortis dominatu adhuc premebantur, divinæ eſſe ullo pacto poterant viſionis participes . Fuerunt autem ex ipſo Macario homines , vix illos Chriſtus convenit in Inferis . Erepti enim ex his locis una cum Servatore ſuo migrarunt in cœlum, eo ſcilicet, unde ille deſcenderat, atque ideo Deum viderunt. Fœde igitur calumniatur Thomas Burnetus (*c*), cum Macarium in eorum numerum refert, qui piorum animos ante extremi judicii tempora in Dei conſpectum nolunt admittere. Quid enim eſt aliud, niſi hoc, optimum, & innocentiſſimum quemque dente maledico carpere? At profitetur Macarius , deſcendiſſe Chriſtum εἰς ᾅδην , *in Infernum, ut ſimilis nobis per omnia fieret*. Falſo, impudenter. Verba hæc enim Burneti ſunt, non Macarii , cujus ea tantum ſententia eſt, nos ante Chriſti mortem perrexiſſe ad Inferos, quo Patriarchæ, omniſque piorum familia immigraverant (nemo quippe *ſeipſum a poteſtate mortis redimere potuit*); unde tamen beneficio Chriſti erepti illi ſunt, in patriamque cœleſtem abducti . Non ergo ullo modo Macarius Dei conſpectum ademptum hominibus voluit , poſtquam ſe Chriſtus ad Inferos contulit, ſed antequam contuliſſet; quod mihi efficiendum propoſui.

35. Porro ſi Cyrilli, Hieroſolymitani quoque Pontificis, teſtimonia eodem ſpectantia vellem colligere, non una procede-

(*a*) Hiſt. relig. cap. 2. (*b*) In Gelaſ. hiſt. lib. 2. cap. 23. apud Lab. Tom. 2. Concil. (*c*) De Statu Mort. &c.

Digitized by Google

cederet pagina. Multus eſt enim, copioſus, ac diſertus interpres in hoc argumento. Itaque ne longum ſit, delectum habebimus. *Deſcendit ad ſubterranea, ut illinc juſtos redimeret. Velles ne enim, quæſo te, vivos quidem gratia frui...: eos vero, qui ab Adamo uſque longinquo tempore concluſi fuerant, libertatem tandem non conſequi? Iſaias Propheta tam multa de ipſo excelſa voce prædicavit: non velles, ut rex deſcendens ſuum præconem liberaret? Erat illic David, & Samuel, & Prophetæ omnes: ipſe quoque Joannes, qui per legatos ſuos dicebat* : tu es, qui venturus es, an alium expectamus? *Non velles, ut tales viros deſcendens liberaret?* Hæc Cyrillus publice Illuminandis inculcabat Catech. 4. num. 11., qui eſt de Chriſti ſepultura. Catech. vero 12. num. 10. *quid autem*, ajebat, *facit rex iſte adveniens?* ,, Et tu in ſanguine teſtamenti emiſiſti vinctos tuos ex lacu aquam non habente ,,; ibidemque num. 15. *eſca igitur morti objecta fuit corbus Chriſti, ut, cum illud ſe devoraturum ſperaret draco, etiam evomeret eos, quos jam devoraverat.* ,, Devorabat enim mors prævalens ,,; *& rurſus* ,, abſtulit Deus omnem lacrymam a facie omni ,,. Hinc venienti ad ſe Dei Filio, pergit noſter ille, lætanti jam animo quam celerrime *occurrerunt ſancti Prophetæ, & Moyſes legislator, & Abraham, & Iſaac, & Jacob; David quoque, & Samuel, & Baptiſta Joannes... Redempti ſunt Sancti omnes, quos mors abſorbuerat. Oportebat namque regem, qui prædicatus fuerat, optimorum præconum fieri redemptorem. Tum vero quilibet juſtorum dicebat*: ubi eſt mors victoria tua? Ubi tuus, o Inferne, ſtimulus? *Liberavit enim nos victoriæ auctor* (*a*). Primus igitur omnium Cyrilli judicio erratorum veniam, ſalutemque ab illo impetravit pius, & fortunatus Latro, cui pœnitenti ex animo ſcelerum *fuit vitæ finis & emendationis initium*; *animæ traditio, & ſalutis ante alios perceptio* (*b*), ut Paulinus etiam, Nolanus Pontifex, ſtatuit (§. 41.). Sed jam video, quod ante dixi, multas paginas proceſſuras, ſi reliqua his ſimilia perſequar, quæ ante annum 350. vir doctiſſimus, atque ſanctiſſimus in magno hominum cœtu, & frequentia paſſim prædicavit. Aliunde parum certe honorifice cum Cadonico agerem, ſi ſuperiora loca explicanda inſtituerem, adeo luculenta ſunt, & illuſtria.

36. Diu-

(*a*) Catech. 14. num. 19. edit. Touttée. (*b*) Catech. 13. num. 30.

36. Diutius ergo hominem non moremur, ſed aliorum Patrum attendamus judicia. Præſto eſt enim Ephræmi Syri auctoritas ex recenti editione Aſſemani, qui, quod maxime expetebat Cavæus, *ut Ephræmi opera Syriace, Græce ſaltem, ederentur* (*a*), ſingulari diligentia perfecit, Vaticanis uſus, probatiſſimiſque codicibus. Mirifice me vero delectat viri ſancti oratio in ſermone in S. Paraſc. unde pauca hæc excerpemus. *Ad Inferos deſcendit, videre cupiens juſtos poſt labores quieſcentes, quorum unumquemque conſpiciens præteribat, regis inſtar, qui exercitum meridie ſomno detentum obſervat. Vidit Adam multis attritum gemitibus. Vidit Abel ſanguine purpuratum. Vidit Noe juſtitia exornatam ..... Vidit ſingulos juſtos, omnes Prophetas perpendit. Prædicavit, adſum, atque divinus excitatus eſt exercitus* (*b*), cui proinde nondum Deus in conſpectum ſe dederat. Nemo enim coram Deo, ſummo illo imperatore viventium, dormiat. De vi autem argumentationis ne addubites, vetat alter Ephræmi ſermo, qui cum Joſephum a fratribus venditum cum Servatore humani generis compararet, docuit, hunc abeuntem ad Inferos omnem illic ſuperbiſſimi Tyranni enervaſſe potentiam, excitatumque a mortuis, *direptiſque Inferni ſpoliis, noſtram Patri ſuo reconciliationem obtuliſſe, reſurrectionem, & vitam æternam prædicantem* (*c*).

37. Quoniam vero hic noſter Baſilio æqualis non ſolum fuit, ſed ejus viſendi cauſſa Cæſaream in Cappadociam profectus eſt, hic viciſſim illius doctrinam, vitæque ſanctimoniam magnopere admirabatur, ſequitur, ut expoſita jam Ephræmi opinione, de Baſilii auctoritate, & ſententia dicendum eſſe videatur. Qui in pſal. 48. num. 9. divinum illud explicans teſtimonium „ ſicut oves in Inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos „ *auxilium juſtorum*, ait, *quos redemit Dominus, in Infernum protendetur. Nondum enim acceperant promiſſiones, quod Deus de nobis melius quid providerat, ne ii, qui præiverant, ſine nobis conſummarentur.* „ Verumtamen Deus redimet animam meam de manu Inferi, cum acceperit me „. *Palam prædicit Domini ad Inferos deſcenſum, qui una cum aliis* καὶ αὐτοῦ λυτρώσεται τοῦ προφήτου τὴν ψυχὴν, *ipſius Prophetæ animam liberabit, ut ne illic remaneat* (*d*). Plumbeus eſt, qui non intelligit, Baſilium Davidi, ejuſque ſimi-

(*a*) Hiſt.&c.in Ephr. (*b*) To.3.edit.G.L. (*c*) To.2. (*d*) To.1.edit.Garner.

ſimilibus divinitatis præſentiam ſubduxiſſe. Cum enim Dei promiſſa conſecuti nondum fuiſſent, nondum eſſent redempti a prædonibus (nam id Græca verba ſignificantius exprimunt), ne adhuc quidem in ſalutis portum intraverant. Quod maximis litteris ſæpe confirmat Epiphanius, nominatimque in ea hæreſi, quæ eſt de Arianis, docens, *divinitatem Chriſti cum anima ſua deſcendiſſe ad Inferos, ut eos, qui ante mortui erant, hoc eſt ſanctos Patriarchas in ſalutem aſſereret* (*a*). Sæpe etiam tradidit Gregorius Nazianzenus, ac primum, luculentis ſane verſibus, in Hymno ad Chriſtum poſt ſilentium,

*Hac es, Chriſte, die levibus revocatus ab umbris,*
*Atque retudiſti ſpicula dira necis.*
*Horrendas hac luce fores tua rupit Averni*
*Dextera, libertas eſt animiſque data,*

qui idcirco ante id temporis, tanquam captivi, cum Deo familiariter vivere, ac triumphare non poterant: deinde in oratione 35., quæ de Theologia tertia eſt, ac rurſus in oratione 42. de Paſchate, ubi Auditoribus hoc expendendum proponit, Dei ne Filius in illam Inferorum ſedem, atque regionem profectus *omnes ſine ulla exceptione adventu ſuo ſalvos fecerit, an illic quoque dumtaxat eos, qui crediderunt*. Quæſtionem vero teſte, atque interprete hujus loci Niceta, ita dirimit ipſe Gregorius, ut affirmet, *neminem in Inferno a Chriſto ſalutem accepiſſe, niſi qui ſalute dignus eſſet, cum ex hac vita diſceſſiſſet*. Pios igitur tenendum eſt, tunc primum ex illius ſententia ſalutis fuiſſe compotes, atque in Dei conſpectum admiſſos. Supereſſent nunc ex Græcorum Patrum familia Gregorius Nyſſenus (*b*), Titus Boſtrorum Antiſtes (*c*), magnumque in primis totius Græciæ ornamentum, Joannes Chryſoſtomus, quos equidem, ſi mentirer, teſtes eſſe impudentiæ meæ minime vellem. Sed de Chryſoſtomo jam vidimus (§. 5.), atque alio loco copioſius diſſeremus, reliquos autem, cum erit commodum, Lectores adibunt, & conſulent: nobis hanc veniam dabunt accommodatam huic judicio, ut, ne diutius errare, & vagari cogatur oratio, ad Latinos, mutato itinere properemus.

38. Etenim Latini Patres neque multitudine, neque auctoritate Græcis concedunt. Quantus enim, per Deum im-

F mor-

(*a*) Hær. 69. ſect. 62. & alibi. (*b*) Orat. 1. in Chr. Reſurr. pag. 704. Pariſ. 1605. (*c*) Comment. in cap. 23. Luc. Tom. 4. Bibl. PP. Lugd.

mortalem, & qualis vir Julius Firmicus Maternus? At is in opuſculo de errore profanarum religionum de Filio Dei ita loquitur. *Per triduum recens ita ab eo juſtorum turba collecta eſt, ne diutius contra eos mortis dominaretur improbitas, ne juſtorum meritum ex longa deſperatione concideret, fregit clauſtra perpetua, & ferreæ fores, Chriſto jubente, collapſæ ſunt*. Quantus etiam Hilarius, Pictavorum Epiſcopus, conſtans ille, & invictus Arianæ perfidiæ oppugnator? At is, de cujus ſibi doctrina multum pollicetur Cadonicus, in epiſtola nuper edita a Trombellio Chriſtum ait, *reſeratis Inferis, omnes juſtos, & ſperantes in ſe illuminaſſe, & ad ſuperos revocaſſe* (*a*), lib. 3. de Trinit. num. 15. Dei Filium *in Inferis eſſe, ſed hominem referri ad cœlum*, in extremo lib. 4. illum *mortem in Inferno perimere*; alibi eſſe Davidi ante Chriſti adventum *Inferos ſuſtinendos* (*b*), iterum *ſanctos quieſcentes in Inferno* (aperte ſignificat veteres) conſolationem, quæ in videndo Deo ſita eſt, *deſiderare* (*c*), ac tandem *deſcendente Chriſto ad Inferos, Sanctos ejus Inferis non teneri* (*d*) [8]. Quantus

(*a*) Num. 7. inter Vet. PP. opuſcula Tom. 1. (*b*) In pſal. 118. littera 15. num. 8. edit. Maur, (*c*) Ibid. lit. 11. num. 3.

(*d*) In pſal. 58. num. 10.

8 In hoc ſententiarum ſplendore, atque ubertate nemo, opinor, eſt, qui non videat, Hilarium divinitatis conſpectum, profluenteſque inde delicias veteribus ademiſſe, ut idcirco & cauſſæ nihil fuerit, cur eum Cadonicus ad partes ſuas adjungeret, & ſi quæ paullo obſcuriora apud Hilarium fortaſſe ſint, ea clariſſima hac luce circumfuſa omnem debeant obſcuritatem exuere. Cujuſmodi eſt illud, in quo regnare videtur Cadonicus, *ad judicium unumquemque aut Abraham reſervat, aut pœna*, quo de teſtimonio uberius infra me diſputaturum eſſe polliceor. Sed & eiſdem locis perſpicue refelluntur Burnetus, & qui ante Burnetum, partim noſtri, partim Heterodoxi Theologi, exiſtimarunt, Hilarium æternam ſanctorum hominum, qui poſt Chriſtum mortui ſunt, felicitatem in extrema tempora diſtuliſſe. Nam ſi pii *quieſcentes in Inferno* conſolationem olim, quæ in videndo Deo ſita eſt, expetebant, ſi Davidi fuerunt antea Inferi ſuſtinendi, ſi Chriſto verſante apud Inferos, mortemque inibi perimente, *Sancti ejus Inferis non tenentur*, ſed referuntur ad cœlum, dubium ne eſſe poteſt, quin Deum ex Hilario videant, præſentemque conſpiciant? Certe ut Hieronymus docens, Abrahamum, licet diverſis in locis, a divite tamen una cum Lazaro videri apud Inferos (§. hoc infra), oſtendit meliore eos eſſe conditione, qui poſt Chriſtum vixere, ita, cum docuit Hilarius, debuiſſe Davidem Inferos ſuſtinere, quam nunc pœnam Chriſtiani non perferunt, putandus eſt de his hominibus longe aliter ſtatuiſſe. Itaque miror, nulla hinc Muratorium argumenta ſumpſiſſe, quibus tantum Antiſtitem a Burneti calumniis, atque accuſationibus vindicaret.

Quam-

tus deinde Ambroſius Mediolanenſium Pontifex, totiuſque Latinæ doctor Eccleſiæ? At ex illius teſtimonio *corpus quidem Chriſti jacebat in tumulo, ipſe autem inter mortuos liber remiſſionem in Inferno poſitis, ſoluta mortis lege, donabat* (*a*). Idemque in Hymno 3., cujus initium, *jam ſurgit hora tertia*, cecinit:

*Hæc hora, qua finem dedit*
*Diri veterno criminis,*
*Mortiſque regnum diluit,*
*Culpamque ab ævo ſuſtulit.*
*Hinc jam beata tempora*
*Cæpere Chriſti gratia.*

Quantus nunc Philaſtrius Brixienſis, Ambroſio non ignotus? At is Ethnicos deſignans, *ſi Deum eſſe crediſſent*, ait, *Deorum, & Dearum impia nomina non ſeminaſſent, & in deſcenſione Chriſti ad Infernum veniam impetraſſent* (*b*). Impetrarunt igitur, verum ſi loqui volumus, qui, cum viverent, virtutis perfectæ perfecte functi ſunt munere, & qui præterea maculas a peccatis ſuſceptas purgatorio igne deleverant. Quæ cum ſint, antea certe uterque piorum cœtus Dei conſpectu,



Quamquam in epiſtola nuper edita, mirumque in modum a Joanne Chryſoſtomo Trombellio illuſtrata, utrumque Hilarius tradidit, nec veteres ſtatim a morte ad Deum veniſſe, & venire tamen Chriſtianos quoſque, qui mente pura, integra, incorruptaque obierint. Totum locum, cujus ſupra particulam attuli, huc transferam. *Dei Filius reſeratis Inferis, & ſpretis, conculcatiſque omnibus his, quæ in perniciem hominis, & ſalutem apud Inferos tunc valebant, omnes juſtos, & ſperantes in ſe illuminavit, & ad ſuperos revocavit oſtendens Diabolo, & poteſtatibus hujus Mundi, & harum tenebrarum, nequltiam eorum non valuiſſe: ipſos manere in pœnis, liberato, cui invidebant, homine.* Porro adhuc pœnas luerent homines, niſi ſtatim ab obitu in Dei conſpectum venirent; etſi igitur vetuſtis temporibus Dei carerent præſentia, nunc illa certe ex Hilarii ſententia frui debent, in cœlumque avolare, præſertim cum ab eodem Dei Filio illuminati fuiſſe dicantur, atque ad ſuperos revocati. Non diffiteor, Muratorium datis ad Trombellium litteris epiſtolam, de qua agimus, non Hilario quidem, ſed antiquiori homini tribuendam putaſſe. Verum præterquamquod, ſi res ita ſe haberet, locupletem ego alium teſtem, atque incorruptum nactus eſſem, quo Cadoniei opinionem minuerem, Trombellius ita omnes Muratorii ſuſpiciones depulit, tamque accurate de auctore epiſtolæ diſputavit, ut uni eam Hilario Pictavienſi Antiſtiti acceptam referre oporteat. Itaque, ne actum agere videar, ad illius ego te præfationem rejicio.

(*a*) De Incarn. Dom. Sacram. cap. 5. num. 40. Tom. 4. edit. Maur.

(*b*) Hær. 122.

præſentiaque caruerat. Quantus jam, & quanta homo ſapientia, Hieronymus, a quo ipſi, qui edunt oracula, reſponſa ſæpe petebant Pontifices Maximi? At hic talis, tantuſque vir, quo nemo fortaſse alius a ſacris litteris inſtructior, in Nepotiani Epitaphio hæc ad Heliodorum illius avunculum ſcripſit. *Si Lazarus videtur in ſinu Abrahæ, locoque refrigerii, quid ſimile Infernus, & regna cœlorum? Ante Chriſtum Abraham apud Inferos, poſt Chriſtum Latro in Paradiſo*. Enimvero in regno cœleſti beatæ illæ mentes Deum, Hieronymo judice, intuentur, ac vident, in Inferis igitur non videbant.

39. Quid, quod tota hac epiſtola Hieronymus ea ratione conſolatur Heliodorum, quod Chriſtianorum vicem ex hac vita abeuntium dolere nemo debeat, luctus autem, & ægritudo ex ſuorum morte concepta propria ſit Judæorum? *Judæorum luctus Chriſtianorum gaudium eſt*, inquit, quod antea Abraham, Iſaac, Jacob, David, reliqui ad unum omnes abibant ad Inferos, nunc autem divini Filii morte mortis ipſius conditio, viſque devicta eſt. At ſi piorum animis olim apud Inferos commorantibus ſeipſum Deus, numenque ſuum fruendum, atque intuendum dediſset, cauſsæ profecto nihil erat, quamobrem Judæi in ſuorum funere angerentur, totoſque ſe lacrymis traderent? Idcirco enim Paulus, ut idem argumentatur Hieronymus, in fletum noſtrum irrumpit, idcirco dolere nos prohibet, quia proximus quiſque, ſi quidem pie, ſanctèque vixerit, ſtatim futurus cum Chriſto eſt, ſtatim beatorum choris miſcebitur, ſtatim tenebit id, quod hic nobiſcum in terra expetebat.

*Ipſe Deum vitam accipiet, Diviſque videbit*
*Permixtos Heroas, & ipſe videbitur illis* (*a*).

Quæ ſummi viri argumentatio tantæ eſt perſpicuitatis, ac roboris, ut ipſa jam, quam exquirimus, veritas non modo in animis, ſed etiam in oculis, conſpectuque omnium exponatur. Conſulto autem, ac paullo diligentius perpetuis, & continentibus illius teſtimoniis contexta tota a me eſt, quia ſimili argumentatione, & ſententia ſæpe uſos fuiſsé veteres video, ex quibus in mentem nunc venit Gregorii Nyſseni (*b*), generatimque aliorum complurium, quorum ſermones, vel opuſcula extant in Auguſtini Appendicibus (*c*). Quamquam, cum

(*a*) Virg. Eclog. 4. (*b*) Orat. de iis, qui in fide dormierunt.
(*c*) Tom. 5. & 6. Vid. infra §. 61. 62.

Digitized by Google

cum de Hieronymo agitur, neque argumentandum, neque accurate diſſerendum puto. His enim veluti oraculis cauſſam noſtram aperte judicantibus volumina implevit ſua, legique præſertim poſſunt in Epitaphio Lucinii Bætici ad Theodoram uxorem, in Commentariis in pſal. 15., in Eccleſiaſtem capitibus 3. & 4., in epiſt. ad Epheſ. cap. 4., in Oſeam cap. 13., quem ego locum alibi opportunius recitabo.

40. Hæc autem ſecum ipſe conſiderans eſt, cur Cadonicus ſuæ incipiat ſententiæ diffidere, &, quoniam doctum quidem hominem, ſed modeſtum tamen cognoſcimus, incipiat etiam humani ingenii imbecillitatem, fragilitatemque extimeſcere. Cui enim, quod bonæ illius cum venia dixerim, non animoſa videatur ſententia, tot locis, tam graviter a Hieronymo labefactata, atque infirmata, præeuntibus tot, tantiſque Patribus, quos hactenus appellavimus, eundem fideliter ex quarti ſæculi ſcriptoribus etiam comitantibus Paciano (*a*), Chromatio (*b*), & Ruffino (*c*) cum aliis, ex quinti vero doctrinæ illi aſſentientibus, palamque faventibus longe quamplurimis?

41. Horum, quæſo, proferamus judicia, nec tempus, rem omnium pretioſiſſimam, in inanitate verborum conſumamus. Primus in ampliſſimo conſeſſu, & conſilio ſententiam dicet Paulinus Mediolanenſis, Ambroſii diſcipulus, & librarius, idemque, mortuo Ambroſio, Sacerdos. Dicet autem ſententiam ex libro, de Benedictionibus Patriarcharum inſcripto, quem nuperrime ſingulari eruditione, & acri judicio vir, Aloyſius Mingarellus in lucem edidit, aureaque Præfatione auctum, notiſque exquiſitioribus illuſtratum, repreſſis Cavei, & Oudini conatibus, uni huic adſcribendum eſſe Paulino egregiis rationibus, ac monumentis oſtendit (*d*). Is quippe cap. 3. num. 25. cum typicam, ut loquuntur, benedictionis, quæ olim Judæ obtigit, explicationem afferret, acute illud, ac prudentiſſime de Dei commentatus eſt Filio: *reſuſcitatus ad prædam aſcendit, quia exſpolians Infernum juſtos quoſque ad ſuperna ſecum, tanquam prædam egregiam, triumphando evexit .... Qui quaſi leo victor de hoſtibus triumphavit*. Dubitationem autem hic locus non habet, cum elegantia non minus, quam veritate, perſpicuitatéque delectet. Statim igitur audiri poterit Paulinus alter, Romanus Senator, poſtea Nolanæ

(*a*) Epiſt. 3. cont. Novat. (*b*) In cap. 6. Matth.
(*c*) In Expoſit. ſymb. (*d*) Inter Vet. PP. opuſc. Tom. 1.

Digitized by Google

lanæ Eccleſiæ Pontifex. Præclarum enim Cyrilli ſecutus ſententiam (§.35.) nobis teſtimonium dat in epiſtola 31. ad Severum, ſcripta ex Muratorio anno 403. ideſt ineunte quinto ſæculo. *Longas in magnis laboribus Sanctorum vias de momenti fide, & momento confeſſionis anticipans pius Latro, non immerito ante ipſos Apoſtolos, & Martyres præparatum ipſis ab initio regnum primus invaſit, & pius cœli prædo diripuit.* Quem ego in locum totum fere comportare poſſem Paulini Panegyricum in obitu Celſi pueri, ubi ita paſſim loquitur, nullam ut piis, antequam Chriſtus perrexiſſet ad Inferos, videndi Dei faciat poteſtatem. Sed quoniam adverſarium convincere aveo, non onerare auctoritatibus, ex multis paucos veluti floſculos delibabo.

*Nec peccatori mors cederet, utpote vinctum*
*Peccati vinclis legitime retinens.*
*Jure igitur ceſſit rumpenti Tartara Chriſto,*
*In quo, quod poſſet nectere non, habuit* (a).
*Palluit invidia ſerpens, inferna reducto*
*Clauſtra homini, verſa lege, recluſa videns,*
*Inſuper & cælos redivivum ſcandere cernens*
*Dente truci fruſtra lividus infremuit* (b).
*Credenti donat regnum cœleſte Latroni,*
*Clauſus adhuc terris jam Paradiſum aperit* (c).
*Namque ut concuſſis patefecit Tartara terris,*
*Et vinctum inferno carcere ſolvit Adam;*
*Fiſſa reſurgentes ruperunt ſaxa ſepulti,*
*Et novus in ſancta floruit urbe tholus* (d).

42. Hæc ille, atque alia id genus ſatis manifeſte. Quamquam proximus poſt utrumque Paulinum non minus perſpicue cauſſam dicit S. Maximus Taurinenſis. *Prædam*, ait, *Salvator quodammodo ſuſtulit, cum hominem, quem ſuſcepit, Inferni raptum faucibus portavit ad cælum, & alienæ dominationis, ideſt diabolicæ poteſtatis ſervum de captivitate erutum duxit ad altiora captivum, ſicut ſcriptum eſt in Propheta:* aſcendens in altum captivam duxit captivitatem (e). Et putabimus, homines opinione Maximi ereptos ex Inferis, ex teterrimi hoſtis diuturna ſervitute abductos, tam beate nihilominus ante id temporis vixiſſe, ut Dei præſentia fruerentur?

43. Sed

(a) Poem. 34. edit. Murat. ver. 99. &c. (b) Ibid. ver. 105. &c. (c) 131. &c. (d) 331. &c. (e) Homil. 2. in Pentec.

43. Sed negabit id totum Eucherius Lugduni in Gallia Pontifex, quo docente, *etiam omnes Sancti ante adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, ad Inferna, licet refrigerii locum, deſcendiſſe dicuntur* (*a*). Negabit Petrus cognomento Chryſologus, cujus hæc eloquentiſſima oratio: *quamprimum cæpit Dei Filius gehennæ ſolvere legem vetuſtam, deturbare antiquiſſimum jus pœnarum, repoſcere Lazari animam* (attende vocabuli vim), *ab Inferis viam reditui innovare, occurrit ei Tartari tota furens poteſtas..... geſtans latam tot ſæculis, Deo loquente, ſententiam* (*b*). Negabit Claudianus Mamertus, cui *fidei noſtræ ratio periclitari videtur, ſi nec Redemptoris anima Inferos adeundo, redeundoque reſeravit* (*c*). Negabit cum Arelatenſium Patrum Concilio Lucidus Presbyter, qui in libello, quo errores ſuos ex illius regula, norma, & præſcriptione emendavit, *damno*, inquit, *vobiſcum ſenſum illum...., qui dicit, Patriarchas, ac Prophetas, vel ſummos quoſque Sanctorum, etiam ante redemptionis tempora, intra Paradiſum deguiſſe* 9. Negabit Cæſarius Arelatenſis Antiſtes, cujus

(*a*) Quæſt. Novi Teſtam. in Luc. (*b*) Serm. 65. & alibi.

(*c*) De regreſ. anim. ab Infer. lib. 3.

9 Quoniam in hoc teſtimonio magna ineſſe debet ad perſuadendum auctoritas, etiam, atque etiam videndum eſt, ne nobis extorqueatur de manibus. Dicet fortaſſe Cadonicus, Lucidum negaſſe dumtaxat, *ſummos quoſque Sanctorum intra Paradiſum*, nempe in cœlo, *deguiſſe*, non vero illos a Dei præſentia removendos putaſſe. Sed ſcire de Cadonico aveo, cur negatur a Lucido, ſanctiſſimos homines in cœlo fuiſſe? Aliam certe afferre cauſſam non poterit, niſi quod Servator humani generis nondum ejus fores ſuo ſanguine patefecerat. Nondum autem patefecerat, quia nondum originale peccatum, quod per omnium hominum animos ſerperet, de medio abſtulerat. Ejus ergo peccati vinculis adſtricti homines tenebantur, itáque nec aſcendere in cœlum poterant, nec Deum videre. Nam ut Adami flagitium iter nobis in cœlum obſtruxerat, ita idem obſtare, atque impedire debuit, ne eo homines poſt diſceſſum e vita migrarent, atque hinc ne in Dei conſpectum venirent, quo compleri beatam vitam putamus. Quæ cum ſint, Lucidi oratio non tam de loco, in quo piorum animi verſarentur, quam de ipſa illorum felicitate, quæ ex Dei viſione exſiſtit, intelligatur, neceſſe eſt. Eo etiam nos ducunt, quæ noſter in extrema libelli parte profitetur. Confirmat enim, *per rationem, & ordinem ſæculorum alios lege gratiæ, alios lege Moyſi, alios lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus ſcripſit, in ſpe adventus Chriſti, fuiſſe ſalvatos: tamen ex initio Mundi ab originali nexu, niſi interceſſione ſacri ſanguinis, non abſolutos*. Abſoluti igitur peccati ſunt opinione illius, cum ſuum Chriſtus fudit pro humano genere ſanguinem, atque adeo ſuperiori tempore Deum coram non viderant, nativæ adhuc, & inſitæ culpæ laqueis irretiti.

Neque

cujus judicio Chriſti penetrantis ad Inferos *lux ſedentes in tenebris, & umbra mortis ſubita claritate veſtivit, ſiluit ſtridor lugentium ille, ſoluta ſunt onera catenarum, diſrupta ceciderunt vincula damnatorum* (*a*). Negabit Gennadius Maſſilienſis cap. 78. ejus libri, qui inſcribitur de Eccleſiaſticis dogmatibus, diuque olim ſub Auguſtini nomine latuit, ubi illud, quod

Neque eſt, quod afferat auceps aliquis ſyllabarum, eam antea factam abſolutionem fuiſſe, ſed *interceſſione ſacri ſanguinis*, nempe vi ſanguinis, quem Deus Filium ſuum effuſurum eſſe cognoverat. Afferret enim, quod verba Lucidi plane adſpernantur, ac reſpuunt. Is enim jam dixerat, ſalutem ideo qui pie, ſanctеque vixerant, nactos eſſe, quod omnem ſalutis ſpem in Chriſto, quem venturum in has terras crediderant, collocaſſent. Quid ergo addit, *tamen ex initio Mundi ab originali nexu, niſi interceſſione ſacri ſanguinis, non abſolutos*, niſi quod velit, tnnc primum pios a peccati vinculis ſolutos fuiſſe, cum ſanguinem Dei Filius ſuum inter ſceleratos effudit? Alioquin ſi vi non fuſi, ad fundendi ſanguinis peccati veniam ſancta illa bonorum familia a Lucido impetraſſe dicatur, bis idem eodem in loco Lucidus diceret, idque adverſante particula *tamen* adhibita, quod non ſolum puerile eſt, & ineptum, ſed etiam Dialecticorum præceptis contrarium. Certe ſalutem in ſpe adventus Chriſti adipiſci, hoc demum ſignificat, adipiſci ſalutem propter ſummam in ſanguine, vel morte ſpem, quam Dei Filius præſtituto tempore debebat oppetere. Reſtat igitur, ut Lucido, & Arelatenſibus Patribus (quibus addi debent & Concilii Lugdunenſis Antiſtites, ſi libellum quidem, ut aliqui ſentiunt, ad hos Lucidus miſit), reſtat, inquam, ut Lucido, cæteriſque perſuaſum fuerit, nondum pios in Paradiſo fuiſſe, divinæ ſcilicet viſionis, quæ ſumma eſt beatitudo, participes; id quod vel una illa noſtri ſententia, *etiam ante redemptionis tempora*, nunc mihi demum videor docere apertiſſime potuiſſe. Ac Du-Pinius quidem, Urſius, multoque ante Baronius eam Lucidi ſcriptionem in libros ſuos tranſtulerant, nihil tamen a doctiſſimis viris traditum reperi, quod mihi uſui eſſet, atque ſubſidio, immo Pagium etiam (ad an. 490. in Bar.), atque Sirmondum fruſtra conſului. Nunc erunt fortaſſe, qui Janſenii Iprenſis, Uſſerii, Gilberti Mauguini (In Prædeſtinationis fabulæ confutatione) atque aliorum perſequentes veſtigia opinentur, utrumque Concilium, Arelatenſe, & Lugdunenſe, itemque Lucidi opuſculum commentitia, & ficta eſſe, a Fauſtoque Regienſi Antiſtite malo dolo compoſita, ut Auguſtini doctrinam ſub Prædeſtinatianæ hæreſeos nomine in Galliarum Conciliis proſcriptam fuiſſe, atque omnino repudiatam oſtenderet. Verum ut de Noriſio taceam; quis, inquit prudentiſſime Pagius, quis merito tantæ fraudis, & impudentiæ Fauſtum coarguat, ut tantorum, tamque inſignium mendaciorum architectum coram univerſis Galliarum Epiſcopis ſe ſe declarare, proderéque voluerit? Quo animo, quo ore, duriſſimo licet, ac ferreo, Leontio, Arelatenſi Metropolitæ, eidemque doctiſſimo homini tot venditare fabulas ſtuduiſſet, quaſi de Aſiæ, aut de Peruvii rebus perſcriberet, non de iis, quæ in duabus nobiliſſimis urbibus, in luce, atque oculis omnium heri contigerant? Pag. ibid.

(*a*) Homil. 3. de Paſcha.

quod maxime rem, cauſſamque continet, profitetur ipſe Gennadius, quod *ante paſſionem Domini omnes animæ Sanctorum in Inferno ſub debito prævaricationis Adæ tenebantur, donec auctoritate Domini per indebitam ejus mortem a ſervili conditione liberarentur*. Quid plura? Quid diutius Lectorem moror? Negabit etiam, nec hærebit Claudius Marius Victorinus (*a*), de cujus ſcriptis idem ipſe Gennadius memoravit, negabit Capreolus, Carthaginienſis cuſtos, & gubernator Eccleſiæ, in luculenta ad Vitalem, & Conſtantium, Hiſpanos homines, epiſtola, negabit cum his Joannes Caſſianus (*b*), negabit Sedulius (*c*), negabit Prudentius (*d*), uterque bonus, ac religioſus Poeta, negabunt denique non ſolum Latini cæteri (Latinos enim, ut vides, huc uſque teſtes produximus), ſed etiam Græci Patres.

44. Nam ſi in Græciam, relicto Latio, immigrare velimus, ſcriptores nobis ſe ferent obviam plane nobiles, atque ornatiſſimi, Syneſius, Philò Carpathius, Cyrillus, Alexandrina Synodus, Proclus Conſtantinopolitanus, Theodoretus, Olympiodorus, Nonnus Panopolitanus, & alii, qui rogati ſententiam omni aſſeveratione affirmabunt, piorum animos, qui, necdum mortuo Dei Filio, abierunt e vita, in ſinumque Abrahæ recepti ſunt, non ſtatim ſummam illàm, atque inexplicabilem felicitatem, quæ in videndo Deo ſita cumprimis eſt, conſecutos fuiſſe. Ut autem rationem Patres nullam afferrent, ipſa certe auctoritate nos frangerent. Quid enim non his hominibus, cum religionis res agitur, tribuas? Conſulto hic vero felicitatis memini, quæ in videndo Deo ſita cumprimis eſt. Nam cum mihi propoſitum ſit Romani, ut debeo, Theologi partes, quacumque oblata occaſione ſuſcipere, ac ſuſtinere, non putavi prætereundam ſilentio ſingularem Richardi Blackmorii opinionem de felicitatis natura, qua boni in cœlo poſt mortem corporis perfruentur. Eques enim ille, Londinenſis Medicorum Collegii ſocius, operum, quæ inſcribuntur, *Eſſais ſur divers ſujet*, volumine altero, edito anno 1717. declarare inſtituit (*e*), qua potiſſimum in re beata illa debeat hominum vita conſiſtere. Acum autem, quod in proverbio eſt, inveniſſe ſe putat. Docet enim, bonorum mentes magnos quotidie, & præ-



(*a*) Præfat. in Geneſ. (*b*) De Canon. diurn. orat. uſu lib. 3. cap. 3.
(*c*) Lib. 3. & 4. Paſch. (*d*) In Apotheoſ., & Hymn. 1. & 9.
(*e*) Eſſai 4. ſur la felic. des juſt. après la mort.

& præclaros in Philoſophia progreſſus facturas ; id autem in præcipua felicitatis parte ponendum. Naturam motus, ipſo judice, gravitatis cauſſam, animantium ortum percipient. Scient, quibus præſidiis fœminarum imaginatio imprimat, & quaſi ſignet in fœtu maculas, quas *voglie* Itali nominamus. Quo magis autem in Philoſophia, rerumque naturalium cognitione proficient, eo penitius infinitas Dei perfectiones ratione, & ſcientia comprehendent ; ex quo fiet, ut grati in Deum ſint, Deum admirentur, atque ſuſpiciant, Deum denique non ſolum diligant, ſed etiam ament. Illa igitur princeps, & maxima, illa germana, ac ſolida piorum felicitas. Inſcite enim fecere Scholaſtici, qui toti otioſis levitatibus dediti, Ariſtotelemque, ut videtur, præceptorem ſuum ſecuti felicitatem, qua de agimus, in viſione Dei beatifica poſitam eſſe dixerunt. Vocabulo ſcilicet, ut ſemper ſolent, abuſi ſunt, cui nulla ſubjecta vis, nec ſcientia.

45. Sed jam explicavimus opinionem Blackmorii, & eo quidem conſilio, ut noſtrum interponeremus judicium. In conſtitutione enim felicitatis nil generoſum ſapit, atque magnificum. Principio autem, quoniam mihi cum Blondello ſatis perſuaſum eſt, ſigna, veſtigia, maculas in puerorum corporibus a primo ortu inſidentes, maternæ imaginationis viribus effici, gignique non poſſe, nequit hoc in inventis poni, quorum cognitio futuræ vitæ reſervatur. Sed & erravit tota via Blackmorius, qui plenus fiduciæ Scholæ Theologos reprehendit. Etenim quod Dei conſpectus, & viſio beatam piorum vitam efficiat, id cum acute, tum veriſſime tradiderunt. Huc enim ſpectat Regis Davidis ſpes, *ſatiabor*, *cum apparuerit gloria tua* (*a*), itemque Philippi petitio illud a Chriſto precantis, *oſtende nobis Patrem*, *& ſufficit nobis* (*b*), tum præclara Joannis ſententia, *hæc eſt vita æterna*, *ut cognoſcant te ſolum Deum verum* (*c*), ac tandem ejuſdem Joannis monitum (nolo enim pluribus uti teſtimoniis eandem rem declarantibus), *ſcimus*, *quoniam cum apparuerit*, *ſimiles ei erimus*, *quoniam videbimus eum*, *ſicuti eſt* (*d*). Atque idcirco magna doctor auctoritate Auguſtinus, his, atque aliis id generis locis diligenter expoſitis, *ipſa viſio eſt facie ad faciem*, exclamat, *quæ ſummum præmium promittitur juſtis* (*e*).

Quæ

(*a*) Pſal. 16. ver. 17. (*b*) Joan. cap. 14. ver. 8. (*c*) Cap. 17. ver. 3.
(*d*) Epiſt. 1. cap. 3. ver. 2. (*e*) Lib. 1. de Trin. n. 28. alias cap. 13.

Digitized by Google

Quæ cum ita ſe habeant, haud ſane ex rebus creatis ad Dei cognitionem piorum animi gradibus venient, ſed divino lumine colluſtrati intuentes in Deum, præſtantemque naturam, & excellentiſſimas ejus proprietates cominus pervidentes, res etiam, & naturas creatas, quarum notitia noſtra intererit, intelligentia complectentur. Scitiſſime enim Thomas Aquinas, quo in primis magiſtro uti ſoleo: *nulli intellectui beato deeſt, quin cognoſcat in Verbo omnia, quæ ad illum ſpectant* (*a*); quod & Senonenſe, ſeu Pariſienſe Concilium aſſeverat, rectiſſime ſtatuens, bonum quemque *videre in Deo, quidquid ipſum intereſt* (*b*). Nam ut divinis litteris proditum a Paulo eſt, *videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

46. Ex quo ſine dubio relinquitur, cognitionem illam Dei, de qua Blackmorius, totam hujus vitæ eſſe propriam, quæ corpore, & ſpiritu continetur. Nam ex Philoſophiæ ſtudio, atque ex contemplatione naturæ paullatim, & quibuſdam veluti gradibus ad Dei notitiam adſpiramus, ac nitimur; id quod luculentiſſime ipſe Paulus dixerat in epiſtola ad Romanos (*c*). Cum autem a corpore exceſſerimus, &, quo pietas, ac religio fert, liber animus pervenerit, conjunctumque cum divina mente ſe ſentiet, Dei naturam, ſapientiam, bonitatem, pulchritudinem, cætera in Deo ipſo intuebitur. Nam *hac ſcala cives non egent*, Bernardi judicio (*d*), *ſed exules. Quod vidit ipſe hujus ſcientiæ auctor, qui cum diceret, inviſibilia per viſibilia conſpici, ſignanter poſuit, a creatura Mundi. Et vero quid opus eſt ſcala tenenti jam ſolium? Creatura cœli illa eſt præſto habens, per quod potius iſtà intueatur; videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum, nec opus habet ex iis, quæ facta ſunt, Factoris notitiam mendicare.* Qui cives illos beatiſſimos torrente voluptatis ſuæ potabit, neque hæc certe, ſi Philoſophos ſequi volumus, ex rebus creatis haurienda eſt. Manat enim voluptas, potenterque in animos influit, ex adſpectu, contemplationéque ejus rei, quam perfectionem vocamus. Perfectionem vero etſi nemo unus in hac rerum univerſitate, quæ ſingulari opere, artificioque conſtituta eſt, numeriſque omnibus abſoluta, jure deſideret, ſummam tamen, nulliſque circumſcriptam terminis in Deo eſſe,

G 2 explo-

(*a*) 3. par. quæſt. 10.
(*b*) In Decret. Fid. cap. 13.
(*c*) Cap. 1. ver. 20.
(*d*) Lib. 5. de Conſid. cap. 1.

exploratum habemus. In ipſam igitur perfectionis ſpeciem, ſive in Deum intuentes, tunc demum piorum animi divino illo, quod diximus, voluptatis quaſi flumine potabuntur. Res creatas cognoſcent, earum cauſſas, naturam, originem pervidebunt, ſed cognoſcent, ſed pervidebunt in Deo. Plura, aut pauciora, pro ſuo quiſque captu, intelligent, ſed intelligent eodem tempore omnia, non paullatim, nec gradibus; id autem cum olim Auguſtinus tradiderit (a), & B. Thomas 1.par. qu.12. toto art.10. demonſtrandum ſuſceperit, cauſſam rurſus adverſus Blackmorium, qui progreſſus illos quotidianos commentus eſt, obtinemus. Deum igitur in cœlo videbimus, in Deoque creatas res; ex quo fiet, ut, quoniam amor ex cognitione exſiſtit, incredibiles in piorum mentibus amores ipſius Dei excitentur, amando autem ſuaviſſimo quodam, & inſatiabili gaudio compleantur.

47. Sed æternæ hujus, atque cumulatiſſimæ felicitatis expers erat optimus etiam, & juſtiſſimus quiſque (eo enim, unde digreſſa eſt, reverti nunc debet oratio), qui extremum vitæ diem morte confecerat, antequam Dei Filius ſeipſum Patri pro ſalute gentium devoviſſet: idque, ut indicavimus, traditum concordiſſime eſt a præclariſſimis Græciæ Patribus, qui operibus ſuis religionis doctrinam quinto ſæculo illuſtrarunt. Quorum auctoritates ſi forte aves cognoſcere, officio meo non deero. Nam Philo Carpathius, quem ineunte hoc ſæculo Epiphanius Carpathi, vel Carpaſiæ urbis conſecravit Antiſtitem, his verbis noſtræ præluxit ſententiæ. Ait enim, cœleſtem ſponſum ad Inferorum ſedes penetraſſe, ut mortem funditus perderet, atque *ut inde Sanctorum animas, quæ illic reconditi theſauri Redemptoris hujus præſtolabantur adventum, eximeret, ac ſolveret, ſecumque adduceret ſine fine victuras* (b). Qui locus, quoniam difficultatem non habet, ſtatim poſt Philonem, Cyrillum Alexandrinum Pontificem audiemus. *Poſt triduum*, inquit hic noſter libro duodecimo in Joannem, Servator humani generis *revixit*, *poſtquam ſpiritibus, qui erant in cuſtodia, prædicavit. Sic enim pleniſſime ſuam oſtendit humanitatem, quod non ſolum iis, qui adhuc in terra degebant, ſalutem attulit: verum etiam iis, qui jam vita functi erant, & in abyſſi penetralibus ſedebant in tenebris, ut ait Scriptura, prædicavit indulgentiam*. Et alibi. Chriſti ani-

(a) Lib.12. Confeſſ. cap. 13. (b) Ad illud Cant. apprehendam te.

anima *ad Inferos deſcendit*, *ſpiritibuſque ibidem captivis ſe ſe exhibuit*. *Etenim iis*, *qui vinculis iſtic conſtricti detinebantur*, *exite*, *ait*, *cæteris vero*, *qui tenebris operiebantur*, *revelamini*. *Atque huc magnus ille Petrus reſpexiſſe videtur*, *cum ait* „ & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando (*a*) „. Sed copioſiſſima redundaret oratio mea, ſi omnia magni viri teſtimonia proferre vellem.

48. Uno igitur contenti erimus, quod ipſe Cyrillus dixit, unáque *Synodus ex Ægypti provincia congregata Alexandriæ* anno 430. in epiſtola ſcripta ad Neſtorium, quam deinde Epheſini Antiſtites ſuis ſententiis comprobarunt. Sic enim de Filio Dei in his litteris: *Dei gratia mortem pro omnibus*, *ut modo ajebam*, *deguſtavit*, *& poſt triduum vitæ reſtitutus Infernum deſpoliavit* (*b*). Porro, quibus omnia ſunt beata, qui Deum vident, penituſque perſpiciunt, Inferni ſpolia dici nequeunt, cum ſpolia & dicantur, & ſint, quæ in victoria hoſtibus detrahuntur; pii igitur, qui cum Abrahamo apud Inferos commorabantur, Deum adhuc non viderant. Neque eſt, quod quiſquam reſpondeat, teſtimonium illud accipiendum eſſe de bonis in Purgatorii cuſtodia aſſervatis. Recta enim differendi ratio poſtulat, ut de hujus loci ſententia ex ſuperioribus (§. 47.) Cyrilli auctoritatibus ſtatuamus. Ibi autem aperte, ut arbitror, Cyrillus ſignificat, ſuperiori pios tempore, quibus nihil luendum, aut expiandum ſupererat, nondum in Dei conſpectum veniſſe. Sed etſi intelligeretur hic locus de hominibus in Purgatorium incluſis, nihil tamen adverſarius callida illa interpretatione juvaretur. Nam in eorum numero, quibus in epiſtola dicitur Dei Filius Inferos ſpoliaſſe, ſunt etiam Patres in ſinu Abrahæ congregati. Itaque cum ſpoliare nihil ſit aliud, quam hoſti prædam eripere, ſequitur rurſus, ne horum quidem animos antea potuiſse divinitatis frui præſentia. Quæ argumentatio alio fortaſse in loco a me latius diducetur.

49. Habemus ergo Cyrilli non ſolum, ſed, quod pluris faciendum eſt, totius Alexandrini Concilii longe ampliſſimum teſtimonium. Attendamus nunc igitur, quid Syneſius dixerit, is, quem Theophilus Cyrilli avunculus diu repugnantem, atque

(*a*) Ad Theodoſ. Imper. de recta in Deum fide, & in lib. ad Regin.
(*b*) Num. 4. Tom. 3. Conc. Labb. pag. 401.

Digitized by Google

atque invitum ad ſummi in urbe Ptolemaide Sacerdotii gradum evexit. Hymno 9. poſtquam divini Filii migrationem ad Inferos explicaſset, progreditur hiſce verſibus:

*Tu vero cum ſolviſſes catenis*
*Animarum ſanctos cœtus*
*Comitatu integerrimo*
*Laudes referebas Patri.*

Syneſii ergo judicio ſancti illi, quos memorat, animarum cœtus neceſse eſt, ut jucundiſſimo Dei conſpectu antea privarentur. Nullo enim modo probabile fit, perſuaſum fuiſſe Syneſio, eos in Dei conſpectum admiſſos fuiſſe, quos vinculis, quos catenis, quos ferro conſtrictos quodammodo eſſe arbitratur. Quamquam quid opus eſt in hoc philoſophari, cum rem non magnopere argumentatione egere videamus? Simili ſententia uſus eſt Olympiodorus, Diaconus Alexandrinus, de quo perhonorificam Anaſtaſius Sinaita mentionem fecit. Interpretans enim illum Jobi locum „ nudus Infernus coram eo „ Dei Filius, ait, *factus homo*, *& Infernum prædatus eſt*, *& qui illic incluſi erant*, *virtute ſua eduxit*, *cum eis*, *qui erant in vinculis*, *diceret*: *egredimini*, *& eis*, *qui erant in tenebris*: *retegimini*: paulloque poſt, *quin in regionem illam infernam deſcendit*, *&*, *quæ a temporis principatu illic perpetuis vinculis tenebantur conſtrictæ*, *animas expedivit* (*a*). Theodoretus Cyri Epiſcopus (*b*), Proclus (*c*), Nonnus (*d*), & alii cum ſuperioribus conſentiunt. Volunt quippe piorum nemini, quamvis innocentiſſimo, ante Chriſti obitum contigiſſe, ut in cœlum migraret, ſive Dei adſpectu, & præſentia, unde abſoluta exiſtit felicitas animi, potiretur.

50. I. Quod ergo felix, fortunatumque ſit, his cognitis, eo jam deducta res eſt, ut non conjectura, ſed oculis propemodum, ac manibus teneatur. Illam quippe ampliſſimus, & frequentiſſimus Patrum Senatus non ſententiis ſuis ſolum, ſed etiam ſtudiis aperte, graviter, ſæpenumero comprobavit. Comprobarunt autem ex quarti ſæculi Patribus, ne vetuſtiores enumerem, Euſebius, Athanaſius, Jacobus Niſibenus, Macarius, Cyrillus, Ephræmus, Baſilius, Epiphanius, uterque Gregorius, Nazianzenus, ac Nyſſenus, Titus, Chryſoſtomus, Julius Firmicus Maternus, Hilarius, Ambroſius, Phila-

(*a*) Comment. in cap. 19. Job.
(*b*) Dial. 3. & alibi.
(*c*) Homil. de Nativ. Dom.
(*d*) Ad cap. 11. Joan. & alibi.

Philaſtrius, Hieronymus, Pacianus, Chromatius, & Ruffinus; ex quinti vero ſæculi Patribus Paulini duo, Mediolanenſis, & Nolanus, Maximus Taurinenſis, Eucherius, Petrus Chryſologus, Claudianus Mamertus, Lucidus, Arelatenſe Concilium, Cæſarius, Gennadius, Victorinus, Capreolus, Caſſianus, Sedulius, Prudentius, Philo Carpathius, Cyrillus alter, Synodus Alexandrina, Syneſius, Olimpiodorus, Proclus, Theodoretus, ac Nonnus (§.33.—49.). Et erit quiſquam in cauſſa, quæ ab auctoritate potiſſimum tota pendet, ac ducitur, qui ab illorum doctrina in præſentia abeundum exiſtimet? Quis enim non in ſummas anguſtias adducatur?

II. Sed ecce, qua elabatur via Cadonicus. In hoc Patrum conſpectu, atque hoc tam frequenti, celeberrimoque Majorum collegio Auguſtini nobis dicta objiciet, atque ſententias. Nam vir optimus, ipſius opinione, & judicio, ratum conſtantiſſime habuit, piorum olim animos in ſinum Abrahæ receptos ſtatim a principio ſempiternam beatitudinem, quæ in videndo, poſſidendoque Deo poſita eſt, iniiſſe. Auguſtino equidem, quem eximie, ac ſingulariter diligo, ſtudiorumque meorum patronum jam inde a prima adoleſcentia mihi adoptavi, tantum ego laudis impertio, quantum & fortiſſimo religionis Antiſtiti, & ſapientiſſimo homini, & ſumma doctori auctoritate, atque amplitudine debeatur. Verumtamen etſi magni viri judicium a ſuperiorum judicio (de quo hic nihil conſtituo, gravis enim poſterius futura quæſtio eſt) diſcreparet, nihilominus reliquorum potius Patrum, tot, atque tantorum, quorum ſunt a nobis producta, atque propoſita teſtimonia, perſequenda eſſent veſtigia. Probe enim adverſarius noſter intelligit, quod vere Vincentius Lirinenſis, quod ipſe Auguſtinus, quod Melchior Canus, quod omnes Theologi monuerunt, traditionis vim, auctoritatemque non minui, ſi unus, vel alter e Patribus ab aliorum inſtitutione deſciverit: qua de re nos etiam copioſe diximus §. 15. ejus opuſculi, quod de cognitione S. Joannis Baptiſtæ in matris utero exſultantis edidimus. Itaque nihil nobis ab Auguſtini doctrina, nihil cauſſæ, quam defendendam, atque ornandam ſuſcepimus, timere poſſumus. Qui ſanctis viris, ac Patribus cum plurimum ſemper honorem habuerit, ne ipſe quidem, credo, committeret, ut quis opinionem ſuam tam exploratæ, tam firmæ, ac ſtabili Majorum ſententiæ anteponendam putaret. Aliun-



Digitized by Google

de nihil de Patrum ſanctitate , ſapientia , auctoritatéque detrahitur , ſi quandoque , cum nullum adhuc Eccleſia judicium tulit , cæterorum doctrinam , atque opiniones reliquerint .

# CAPUT IV.

*Proferuntur in medium Patrum teſtimonia , qui in rerum divinarum cognitione ſexto ſæculo viguerunt . Argumentum capitis proximi . Egregius Euſtratii locus . Vetus loquendi ratio ,* Filius Dei aſſumpſit hominem , *magnorum Patrum frequentata ſententiis , Theologiæ trutina examinatur .*

51. SUperis igitur , hominibuſque bene juvantibus , inſtitutum tenebimus . Atque ut mirus ille , & conſtans Patrum , ſcriptorumque conſenſus , quo moti argumentum etiam , atque etiam adverſus Cadonicum premebamus , illuſtrius adhuc effulgeat , & copiis omnibus , atque præſidiis cumulatius , quoad fieri poterit , muniatur , poſtquam hoc capite teſtimonia expoſuero , quæ ſexto ſæculo affatim ſuppetunt , quaſi ad carcerem a calce me revocans , ex iis etiam libris capite proximo teſtimonia proferam , qui apocryphi dici ſolent , ideſt , quos illorum fœtus non eſſe conſtat , quibus diu olim attributi fuerunt . Auctorum autem etſi ætas incerta ſit , hoc compertum eſt tamen , pleroſque ſaltem in ſex priora ſæcula incidiſſe . Ne vero dum adverſarium ea , qua decet , moderatione convincere ſtudeo , teſtimoniorum multitudine , præſertim decurſo jam ſpatio , legentium animus iterum obruatur , faciam id quam breviſſime potero , ut nec copia ſatietatem pariat , nec brevitas de argumenti pondere detrahat .

52. Quod ergo piorum animi , qui ex corporibus ante Chriſtum evaſerant , non ſtatim a morte cœleſtem hæreditatem adierint , etſi nulla eis peccati macula delenda eſſet , ex Patribus quoque cum Latinis , tum Græcis , qui ſexto ſæculo floruerunt , manifeſte conficitur . Fulgentius enim lib. 3. ad Traſimundum Regem ſcribit , Chriſti animam ad Inferos *pro nobis peccatoribus deſcendiſſe* (a) , triduoque poſt rediiſſe ex iis locis victricem (b) . Victoria in quo potiſſimum ſita fuerit , optimus , & æquiſſimus quiſque per ſe facile argumentabitur ,

(a) Cap. 31. (b) Cap. 34.

bitur, expoſuit autem ſatis dilucide non Caſſiodorus ſolum, cui factum dicitur *lege humanitatis*, *ut crucifixo corpore ad rumpenda Inferorum clauſtra deſcenderet*, *& laboranti humano generi Redemptor piiſſimus ſubveniret* (*a*), ſed etiam complexus eſt verſibus Arator, Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus, idemque Vigilio ſummo Pontifici eximie charus. Verſus ſunt ejuſmodi.

*. . . . . . . Fugere dolores,*
*Infernus tunc eſſe timet, nullumque coercens*
*In ſe pœna redit, nova tortor ad otia languet,*
*Tartara mæſta gemunt, quia vincula cuncta quieſcunt.*
*Infernum Dominus cum deſtructurus adiret,*
*Detulit inde ſuam, ſpoliato funere, carnem* (*b*).

Aratori addi debet Fortunatus, item Poeta, & Pictavienſis Antiſtes. Hymnum enim de Chriſti Reſurrectione compoſuit, ex quo apertiſſime liquet; antequam Dei Filius in crucem actus efflaſſet animam, nondum ipſius ſententia ea bonis delata fuiſſe præmia, quæ, ut Pauli utar vocabulis, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt (*c*).

43. Quoniam vero Fortunatus ex familiariſſimis, atque intimis erat Gregorii, Turonenſis Epiſcopi, in cujus propterea nomine libros undecim Poematum edidit, egregium amicorum par nolo divellere; hoc magis, quod Gregorius in ferendo judicio perſpicuitate utatur, ac brevitate. Quid enim eximius vir? *Sed & juſtorum animæ, quæ uſque ad paſſionem Chriſti infernali ergaſtulo tenebantur incluſæ, eo veniente, laxatæ ſunt. Nam deſcendens ad Inferos, dum tenebras nova lux perfudit, animas eorum ſecum, ne hoc exitu amplius cruciarentur, eduxit* (*d*). Audiſtin? Homines de vita egreſſi, etſi cum fide, juſteque vixerant, vel obierant, Gregorio tamen judice, ad Inferos, veluti in cuſtodiam, trudebantur, ibi perpetuis verſabantur in tenebris, quærebantque exeundi ſolatium. Quorum autem tam afflicta conditio eſt, ii omnino deteriore loco ſunt, quam ut Deum O. M. videant, atque omni bonorum genere affluant. Auctore igitur Turonenſi Pontifice, piorum animi Deum non ſtatim videbant, nec in poſſeſſionem bonorum cœleſtium mittebantur. Quod cum maximis litteris, & conceptis verbis ſæpiſſime doceat Gregorius

H alter,

(*a*) In pſalm. 138. (*b*) De Actibus Apoſt. lib. 1. ad cap. 2.
(*c*) Lib. 3. Poem. (*d*) Hiſtor. Franc. lib. 10. cap. 13.

alter, cognomento Magnus, Romanus Pontifex, nihil neceſſe arbitror ad ejus inveſtigandam ſententiam argumentationis mihi ſubſidia comparare. Occurret ipſa legentibus nullius ſtudiis, nec eloquentia evocata. Nam quid eo teſtimonio illuſtrius, quod eſt Moral. lib. 13. capitibus 43. & 44. editionis Maurinorum Sodalium? *Beatus Job & afflictionem ſentiens, & adhuc differri retributionem juſtorum ſciens, apte ſubjungit, ſi ſuſtinuero Infernus domus mea eſt, & in tenebris ſtravi lectulum meum. Priores etenim Sancti & ſuſtinere adverſa poterant, & tamen e corporibus educti adhuc ab Inferni locis liberari non poterant, quia necdum venerat, qui illuc ſine culpa deſcenderet, ut eos, qui ibi tenebantur ex culpa, liberaret..... Et quia in ipſis quoque Inferni locis juſtorum animæ ſine tormento tenebantur, ut & pro originali culpa adhuc illuc deſcenderent, & tamen ex propriis actibus ſupplicium non haberent, quaſi in tenebris lectulum ſtraviſſe eſt, in Inferno ſibi requiem præparaſſe. Grave etenim tædium electis fuit poſt ſolutionem carnis adhuc ſpeciem non videre Creatoris.* Atque hæc diſtincte, & dilucide ſanctus cumprimis Pontifex, cujus doctrina inſignes nobis uſus ſuo loco, & tempore afferet. Similia ſtatuit lib. 12. ejuſdem operis cap. 7., lib. 29. cap. item 7., lib. 1. Expoſit. in lib. 1. Regum, & alibi, ut facile poſſis agnoſcere, eam ſententiam tum Gregorio, tum cæteris mirifice placuiſſe. Quæ cum ſint, tacitus præteribo auctoritatem Primaſii, Adrumetini Antiſtitis (*a*), ad Græcoſque Patres me conferam.

54. Nam ex his Dorotheus, Palæſtinus Archimandrita, non ſolum cauſſam aperte noſtram defendit, ſed etiam illuſtrat, ac probat, petito ex ſacris litteris teſtimonio; quo ego libentius inducor, ut ejus locum exſcribam. Poſitam enim a ſe quæſtionem, *quid eſt, captivam duxit captivitatem?* his verbis dirimere inſtituit. *Ex tranſgreſſione Adæ captivos nos omnes fecit inimicus, & ſubjectos habuit. Unde egredientes animæ ex corporibus hominum inferna petebant: clauſus enim erat Paradiſus. Aſcendens igitur Chriſtus in altitudinem ſanctæ, & vivificæ crucis, a captivitate, in quam nos hoſtis abduxerat ob tranſgreſſionem, liberavit per ſanguinem ſuum, & iterum nos ex manibus inimici traxit, & ſuperavit ejicientem, & captivos facientem nos, & hinc dicitur, captivam duxit*

(*a*) In cap. 5. Apocal. ex Auguſtino.

Digitized by Google

*duxit captivitatem* (*a*). Nec multo aliter ſententiam tulit invictus ille, atque fortiſſimus religionis propugnator, ac vindex, Anaſtaſius Sinaita, qui, Juſtiniano, & Juſtino imperantibus, floruit, Antiochenæque Eccleſiæ gubernacula tenuit. Cujus de ſempiterna veterum felicitate, qui ante Chriſtum mortui eſſent, doctrinam etſi multis ex locis cognoſcere poſſumus, unum hoc tamen ſufficiet. *Deſcendit*, ait, *in inferiores partes terræ....., ut eis, qui in Inferno concluſi tenebantur, ſua poteſtate contraderet & gratiam, & opportunum ſubſidium. Neque enim ad Inferos deſcenſus ſuo caruit fructu. Deus namque fruſtra nihil agit, ſed ut illic concluſos educeret, eductos ad ſuperiora ſubveheret, prior gradiens ante eos* (*b*). Rogo vero Cadonicum, an quos his coloribus depingit Anaſtaſius, eos perſuaſum habuit, ſtatim ac de vita migraverant, in Dei conſpectum veniſſe, & eam, de qua quærimus, beatitudinem injiſſe? Nullo modo crediderim. Nam quo die unigena Filius, devicta morte ad Inferos abiit, in eo dixit Anaſtaſius, *Adamum liberatum eſſe ex mœroribus* (*c*). Poteſt autem mærere qui Deum coram videat, ab ejus quaſi complexu nullo unquam tempore avellendus, atque abſtrahendus? Scilicet. Præſto eſt etiam ad cauſſam hanc judicandam auctor gravis, Procopius Gazæus (*d*); ſed faciunt anguſtiæ temporis, ne virum alioquin eloquentiſſimum audiamus.

55. Dicendum quippe paullo diligentius de Euſtratio, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Sacerdote, cujus perraro fit a Theologis mentio. Is auctor libri inſcripti, *refutatio eorum, qui dicunt, humanas animas, ſtatim atque propriis corporibus ſolutæ ſunt, non operari &c.*, quem librum Photii laude, & teſtimonio cognitum omnium primus eduxit e latebris, latineque a ſe redditum Romæ in lucem edidit Leo Allatius. Multa hinc bonus Philoſophus poſſet depromere (refertus eſt enim, niſi verbis, at certe rebus illuſtribus), ut eos confutaret, atque reprimeret, qui, etſi largiantur, animos hominum poſt diſſolutionem, mortemque corporis permanere, negant tamen quicquam agere, ac vivere; multa etiam Carteſius, Leibnitius, & alii, ut demonſtrarent, eoſdem nullo unquam vitæ tempore ab omni prorſus cogitatione, perceptionéve deſiſtere. Quod autem permagni intereſt, num. 26. quæſtio-



(*a*) Doctrina 22. (*b*) Lib. 5. de rect. fidei dogmat.
(*c*) In Hexam. de opere 7. diei. (*d*) In Iſaiam cap. 41.

Digitized by Google

ſtionem movens Euſtratius, quo demum in loco mortuorum animi commorentur, ſive quas oras incolant, ita illam expedit, & enucleat, ut nihil nobis ad obtinendæ veritatis ſpem aut utilius, aut magnificentius accidere poſſe videatur. Nam quod molimur efficere, id a ſuperioribus Patribus traditum, ſacrarumque litterarum oraculis comprobatum exiſtimat. Patres vero Euſtratius, ut opus hominis indicat, ſatis quidem diligenter evolverat, quid evolverat dico? longo uſu, & conſuetudine triverat. Noſtri ergo judicium in hoc genere, quam late pateat, attendite. *Quonam vero in loco, aut ſedibus illæ degunt, vel immorantur? Antequam Chriſtus hominem aſſumeret, & paſſionibus ſubderetur, & ex mortuis reſurgeret, Patres affirmarunt, & divina id eloquia pronunciarunt, ut apud Jobum ſcriptum eſt*: veniſti vero ad fontem maris, aut in veſtigiis abyſſi ambulaſti? Aperiuntur vero tibi metu portæ mortis, & janitores Inferni videntes te obriguerunt (*a*). *Hinc manifeſtum eſt, in profundiſſimis terræ viſceribus omnium animas detentas fuiſſe, quas ereptas eduxit Dominus, & Deus noſter, morte mortem conculcans, & portas Inferi conterens*. Hæc illi placent.

Ne autem vir acutus, & perſpicax, cum quo diſputationem inivimus, tantæ auctoritatis locum aut aliquo artificio pervertere, aut ſuo nobis ingenio conetur eripere, operæ pretium eſt, ut in vado res ſit, argumentationis firmare præſidiis. Primum igitur cum Dei Filius ex infimis terræ receptaculis eripuit homines, mortem ex Euſtratio morte proſtravit, Inferorumque fores non ſolum confregit, ſed trivit, janitoribus interea injecto ſibi terrore horreſcentibus; quod cum ſit, ita illi mortis imperio ſuberant, ita Inferorum locis, veluti quadam cuſtodia, tenebantur, ut omnino a Dei aditu, conſpectuque arcerentur. Deinde loca, quæ incolebant, paullo poſt noſter obſcura vocat, & quaſi tenebris obſita; nemo eſt autem tam omnium ignarus rerum qui neſciat, obſcura ea fingi non poſſe, ſi bonorum animos ibi habitantes ſua Deus præſentia, majeſtatéque implebat. Denique vide, quæſo, quid differat opinione Euſtratii inter pios, qui ante Chriſtum obierant, & eos, qui nunc moriuntur. Hos, ſi nulla quidem peccati macula infuſcaverit, e veſtigio in cœlum credit aſcendere, ibique ſummopere lætari Dei gaudentes convi-

(*a*) Ex cap. 36. ver. 16., & 17.

convictu, & præſentia: *de præſenti vero ſanctarum animarum ſtatione plane jam a nobis*, inquit, *expoſitum eſt*, *eas in cælo cum Angelis choreas ducere* (*a*); ſuperiores vero illos trudit ad Inferos, & quaſi in vincula conjicit, non niſi a Chriſto recuperaturos ſuo tempore libertatem. Ea igitur conditione uti vult, ut ſpe quidem beatioris vitæ teneantur, reipſa tamen nondum inierint, ſuam Deo non declarante præſentiam. Vides autem, Euſtratio choreas ducere (quo quidem dicendi genere ſæpiſſime uti Græcos ex Leone Allatio (*b*) cognoſcere poſſumus), idem porro eſſe, ac vitam in cœlo feliciſſimam agere, non niſi a divinitatis conſpectu, & præſentia, qua pii perpetuo gaudeant, repetendam.

56. Sed hactenus Euſtratii teſtimonium, firmiſſimum cauſſæ noſtræ præſidium, nedum ornamentum, expendimus. I. Nunc græce doctis imprudenter fortaſſe feciſſe videbitur Leo Allatius, qui Græca illa verba initio poſita πρὸ μὲν τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Χριστοῦ, latine ita reddiderit, *antequam Chriſtus hominem aſſumeret*, cum vetent Theologi eam verborum formulam adhibere, ne his vocibus abutantur hæretici, ut duas in Chriſto, atque diſſimiles ineſſe perſonas ex noſtrorum confeſſione, atque approbatione conficiant. Reverà enim hos ſæpe inclamare audias, ſcripſiſſe Auguſtinum lib. 11. de Civit. Dei cap. 2., *Filium Dei hominem aſſumpſiſſe*. Non is ego profecto ſum, qui Theologorum voluntatibus intercedere audeam, quibus per me erit integrum decernere, uſurpari ne poſſit, vel debeat illa locutio, *Filius Dei aſſumpſit hominem*. Quin etiam hoc Theologi timeant, hoc laborent, hoc inſtitui, atque adeo inſtitutum referri, ac renovari moleſte ferant. Leo Allatius verbum e verbo commodius potuiſſet exprimere, *ante Incarnationem Chriſti*, quin de adſcito homine memoraret. Illud tamen profiteor, atque edico, & operam, atque oleum perdere Latinæ Eccleſiæ deſertores, qui vel Auguſtini, vel aliorum Patrum auctoritates obtrudunt, perinde, ac ſi facem Neſtorio prætuliſſent, & eam, quam dixi, formulam, ſi expendatur ipſa per ſe, culpari, ac reprehendi non poſſe, idque dupliciter, quia ſcilicet & auctoritatis, & rationis momentis defenditur. Age, rem breviter conſideremus, & ſapientiſſimorum, atque magnorum Patrum glo-

(*a*) Num. 27. (*b*) De perpet. Eccl. Orient. & Occid. conſ. &c. pag. 739. 744. &c. Romæ 1655.

gloriæ pro viribus conſulamus. Patrum enim exiſtimatio agitur, quorum laudi improbus ſit, ſi quis non mirabiliter faveat.

II. Auctoritate in primis ea verborum formula ſe tuetur, ac tegit. Neque enim minus proprie, & accurate locuti Majores ſunt, ut vulgo Theologi ſentiunt, cum illis dictum, Dei Filium hominem ſuſcepiſſe. Etenim quam nos hodie in Chriſto naturam hominis ſine hominis perſona ineſſe profitemur, eandem veteres plerique Latinorum Patres vocare hominem, ut Græci ἄνθρωπον maluerunt. Quo loquendi genere, maxime omnium ab ultima fere antiquitate uſitato, hoc ſibi doctiſſimi homines volunt, unigenam Dei Filium naturam hominis, detracta hominis perſona, ſibi aſſumpſiſſe, & καθ' ὑπόστασιν, *hypoſtatice* conjunxiſſe. Diſerte Paſchaſius Rabdertus: *Dei verbum, quia caro factum eſt, aſſumpſit hominem in ſe ſine perſona hominis* (a). Itaque nolim, in hanc formulam acutiores quidam, ac religioſiores Theologi invehantur, perinde, ac ſi viam ad errorem Neſtorianum muniret. Ut enim alia omittam teſtimonia ex Romano Breviario deprompta, totis diebus Latini illa utimur in celeberrimo cantico ad quotidianas Sacerdotum preces rectiſſime adhibito: *tu ad liberandum ſuſcepturus hominem non horruiſti virginis uterum*. Quibus ſane verbis vult Eccleſia, ex cujus præſcripto ita canimus, Filium Dei ſuſcepiſſe hominem, naturam nempe hominis ſibi in unitatem perſonæ adſciviſſe, idque ad hominem conſervandum.

III. Hæc autem locutio, ut poſui, doctiſſimis paſſim, graviſſimiſque Eccleſiæ Patribus, quos conſtat, a Neſtoriana perfidia maxime omnium abhorruiſſe, frequentata eſt. Juſtinus in Cohortat. ad Græcos num. 38. *qui cum ſit Dei verbum, virtute, & potentia ab eo inſeparabile, hominem ad imaginem, & ſimilitudinem Dei creatum aſſumens*, ἀναλαβὼν ἄνθρωπον. Hilarius lib. 10. de Trinit. num. 22. *natus eſt, non ut eſſet alius, atque alius, ſed ut ante hominem Deus ſuſcipiens hominem homo, & Deus poſſet intelligi*. Chriſtum vir ſanctus bipartiendum eſſe negat, & tamen a divino Filio ſuſceptum hominem nihil hæſitans ſcribit. Quis mihi igitur Hilarium reprehendat, aut cum Hiacyntho Serry (b) diem illi violatæ Dialecticæ intendat, quaſi verbis Neſtorianum quiddam ſonantibus uteretur? Ambroſius, ſcriptor æqualis, in ſymb. Apoſtol. in

(a) De perpet. Virgin. S. Mar. (b) De Deo hom. facto Diſp. 2. prælect. 3.

*in nativitate etiam carnali, per quam hominem noſtrum, ut ſalvaret, aſſumpſit, unicus invenitur*. Ubi Antiſtes optimus hominem noſtrum appellat, quem nunc de Schola Theologi naturam noſtram dixiſſent. Atque eam ſententiam idem iſte Antiſtes non ſolum infra ter iterum adhibet, & inculcat, ſed etiam lib. 5. de Fide cap. 5. *hominis ſuſceptionem* commemorat, ſicut & *corporis*. Poeta Prudentius in Apotheoſi.

*Totum hominem Deus aſſumpſit, quia totus ab ipſo eſt,*
*Et totum redimit, quem ſumpſerat.*

IV. Sed luculentiſſima eſt omnium, multoque pluris facienda auctoritas Toletani primi Concilii habiti ipſo anno 400. *Hunc ergo Filium Dei, Deum natum a Patre, ante omne omnino principium, ſanctificaſſe uterum Virginis Mariæ, atque ex ea verum hominem, ſine virili dumtaxat ſemine, ſuſcepiſſe, duabus dumtaxat naturis, ideſt Deitatis, & carnis in unam convenientibus omnino perſonam, ideſt Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum credimus*. Ita loquuntur eximii Patres, & Antiſtites in ipſa Confeſſione, ut dicimus, fidei, vocem hominis, quam adamarunt, accurate, vere, ac proprie pro natura humana accipientes, quemadmodum ex verbis, quæ proxime ſequuntur, exploratum eſt. Gregorio Nazianzeno in prima ad Cledonium epiſtola odioſa, atque inviſa eſt Dominici hominis dictio, quam interdum ſua ætate Apollinariſtæ adhibebant, etſi eam alii Patres, nominatimque Athanaſius, & Didymus (*a*), ſumma oppido auctoritate viri probaverant; atque is nihilominus talis, tantuſque Pontifex, in judicandis rebus tam religioſus, ac integer, paucis poſt verſibus ſuſceptum a Deo hominem dicere non veretur. Gregorio quoque Nyſſeno, illius fratri idcirco Dei Filius *mediator eſt Dei, & hominum, quod per ſeipſum hominem cum divinitate conjungit*, συνάπτων τὸν ἄνθρωπον δι' ἑαυτοῦ τῇ θεότητι (*b*). Intelligebant ſcilicet, cum hæc ſcriberent, prudentiſſimi viri, eam eſſe verbi ſignificationem, ac vim, quæ ne malevolorum quidem reprehenſionibus patere poſſet.

V. Quocirca multus eſt, locupletiorque præ cæteris in hac locutione Auguſtinus, ſic, ut ipſam quodammodo ferre in oculis, haberéque in deliciis videatur. Cujus rei firmiſſimo argumento ſunt liber de Prædeſt. SS. cap. 15. liber de Agone Chriſtiano num. 12. 20. 22., enarratio in pſal. 4. num. 2. li-

(*a*) Lib. de Spir. S. num. 51. Tom. 2. Oper. Hier. ed. Vall. (*b*) Lib. 2. adv. Eunom.

Digitized by Google

liber 9. de Civit. Dei cap. 17. epiſt. 14. ad Nebridium num. 3. lib. 3. de lib. arbitrio cap. 10., eidemque rurſus, & alii libri ſæpiſſime. In loco igitur, quem ſupra meminimus (I), homo Auguſtino ſine controverſia naturam hominis ſonat. Ea enim re Filium Dei *Mediatorem* eſſe, ſive ſequeſtrum, vel arbitrum inter Deum, atque homines docet, quia una perſona eſt duplici natura prædita, natura hominis, qua patet via aſſurgendi, atque perveniendi ad Deum, natura Dei, ad quem pervenire homines geſtiunt. *Sola eſt*, ait, *adverſus omnes errores via munitiſſima, ut idem ipſe ſit Deus, & homo, quo itur, Deus, qua itur, homo*. Quid nunc cæteras perſequar, quæ innumerabiles propemodum ſunt, magnorum Patrum auctoritates, Athanaſii (*a*), Didymi (*b*), Epiphanii (*c*), Cypriani (*d*), Hieronymi (*e*), Paulini (*f*), Evodii (*g*), tum Julii, Felicis, Damaſi (*h*), Romanorum Pontificum, aliorumque complurium? Quos omnes & in rerum divinarum ſcientia, & in Latinis, vel Græcis litteris apprime inſtitutos, in argumento tam gravi, & tam multis in locis non proprie, nec *rigoroſe*, quod ajunt, locutos eſſe, ego equidem nunquam inducere animum potero, ut cum recentioribus Theologis judicem. Quin etiam, ſi deeſſent cætera, tamen vel ſola Patrum multitudo faceret, ut tritum, frequentatumque ab illis dicendi genus in ſuſpicione non ponerem, ſed potius aſſiduo uſu, ac conſuetudine conſecratum exiſtimarem.

VI. Ultro dat Joſephus Blanchinius, homo doctus, & prudens, quam defendo, formulam nota hæreſeos inuri non poſſe; animadvertit tamen rarius occurrere in Patribus, qui poſt Epheſinum Concilium ſcripſere, *cum poſt Neſtorii fraudes detectas, ab omnibus fere ea loquendi formula reſpueretur* (*i*). Movetur autem auctoritate Euſtathii, Maxentii, & Cyrilli, qui ei Concilio Romani Pontificis nomine præfuit. Sint iſta, ut placet, non illud tamen eſt conſequens, noſtram formulam non eſſe ejuſmodi, quæ Theologorum reprehenſiones

(*a*) Apud Theodor. Dial. 3. pag. m. 161. (*b*) In cap. 3. epiſt. 1. Petri, & de Spir. S. num. 51. (*c*) In Anchor. §. 121. (*d*) Vid. ſup. §. 25.
(*e*) In cap. 1. 3. 4. & 6. Epiſt. ad Eph. ſæpe. Tom. 7. edit. Vallarſii.
(*f*) Nat. 9. in S. Felic. & nat. 12. (*g*) De Fid. cont. Manich. cap. 25. 26. 31. apud Aug. Tom. 7. (*h*) In Epiſt. 4, apud Couſt. ſæpe.
(*i*) Differt. in Enarr. pſeudo-Athan. &c. pag. 13.

nes effugere debeat. Quotus enim quiſque eſt, qui neſciat, Majores noſtros poſt excitatas ab Heterodoxis tragœdias a voce Chriſtotocos, ab aliis vocabulis, aut locutionibus ſibi temperandum duxiſſe, quas tamen conſtat, fuiſſe laudabiles, atque omni erroris ſuſpicione vacaſſe? Sed & ſæpiſſime eam, in quam inquirimus, formulam a Græcis, & Latinis ſcriptoribus poſt Epheſina Comitia uſurpatam reperio. Blanchinius ipſe, qua eſt eruditione, & fide, exempla nobis ſuppeditat ex Cyrillo, Eulogio, Vigilio Afro, ſeu Tapſitano, & auctore pſeudo-Athanaſianæ enarrationis in ſymbolum (Vid. §. 60.). In his Eulogius Alexandrinus apud Photium (*a*) de Cyrillo ſic loquitur. *Divinum Verbum pro nobis factum Pontificem, velut talarem quandam veſtem, aſſumpſiſſe hominem ex Maria, ſive templum.*

VII. Mihi longe plura ad manus ſunt teſtimonia. Non ſum autem prædicaturus hoc loco auctoritatem Maximi, Taurinenſis Antiſtitis. Opportunius enim jam ſupra exſcripſi (§.42.), eamque alibi iterum recitabo. Leo ipſe, Romanus Pontifex, proximus illis temporibus, quo nemo acrius Neſtorianam eſt execratus perfidiam, in epiſtola ad Turribium diſerte ſcribit, *indignum fuiſſe, integrum hominem ſuſcipi, ſi indignum fuit, integrum hominem liberari* (*b*). Et in epiſtola 46. ſuo, & Romani Concilii nomine ad Clerum, & plebem Conſtantinopolitanam data, *non dubie enim, ſicut vobis Spiritus Sanctus reſeravit, Manichæorum confœderantur errori, qui ab unigenito Dei Filio verum, & naturæ noſtræ hominem negant eſſe ſuſceptum*. Eademque verborum formula cum alibi Leo utitur (*c*), tum bis in litteris ad Julianum Coenſem Epiſcopum ſcriptis, ubi Neſtorium docet, a veritate aberraſſe *Deitatem Verbi ab aſſumpti hominis ſubſtantia ſeparando*. Quibus ſane locis nunquam aſſumpti hominis mentionem feciſſet, ſi minus proprie, ut noſtri exiſtimant, loqueretur. Leo enim Neſtorii, Eutychis, aliorumque occurrebat erroribus, omnes autem nocendi artes hæreticis familiares acutiſſime noverat.

VIII. Conſentiens eſt Proſperi, Auguſtini olim diſcipuli, oratio. Explicans enim hanc Davidis ſententiam „ Dominus in cœlo paravit thronum ſuum „ *quid aliud ſignificatur*, inquit, *niſi Domini deſcenſio, & aſcenſio, & aſſumpti hominis in pa-*

I · *terna*

(*a*) Cod. 230. (*b*) Epiſt. 15. cap. 12. edit. Pariſ. 1675.
(*c*) Serm. 58. de Paſs., & 69. de Reſurr. Dom.

Digitized by Google

*terna ſede confeſſio* (*a*)? Auctor expoſitionis in Pſalterium, quam parum abfuit, ne Politum noſtrum ſecutus Hieronymo imprudens adſcriberem, *melius igitur de eo intelligimus homine, qui a Salvatore noſtro aſſumptus eſt, atque ſalvatus* (*b*). Gravis eſt autem apud Theologos, ut animadverſum Vallarſio, ejus ſcriptoris auctoritas. Similia Caſſiodorus, Senatus olim Romani ornamentum: *ejuſdem*, ait, *Synagogæ vox eſt*, veni dilecte mi, *ideſt, appare per aſſumptum hominem* (*c*). Atque hi Patres quidem, & ſcriptores, Maximus, Leo, Proſper, reliqui bonam partem quinto ſæculo floruerunt, incideruntque in ipſa fere Epheſina Comitia, alii ab illorum ætate parum diſtabant. Quam igitur fuiſſe cauſſam dixeris, quamobrem non uno loco ſuſceptum a Deo hominem confidentiſſime ſcripſerint, niſi quod verborum ea eſſet poteſtas, ac notio, ut naturam dumtaxat humanam, dempta hominis perſona, deſignarent, nec in errorem poſſent abripere? Hinc libellus etiam ſacroſyllabus a Paulino Aquilejenſi Pontifice editus, atque approbatus anno 794. in Francofordienſi Concilio, in quo Elipandi, ac Felicis hæreſis damnata eſt, *in una*, inquit, *perſona unus, idemque Dei, & hominis Filius, qui nunquam hominem, quem aſſumpſit, deſeruit*. Ubi manifeſte vox homo ſæpe inibi adhibita non perſonam ſignificat, ſed naturam humanam, quam ſibi unigena Dei Filius conjugavit, ſuaque fecit hypoſtaſi ſubſiſtentem. Eodem dicendi genere uſum fuiſſe video Ildephonſum Toletanum Antiſtitem, cujus ego locum alibi expoſui, atque illuſtravi (*d*), uſi præterea ſunt Paſchaſius Radbertus, Gregorius Magnus apud Paſchaſium, Joannes Damaſcenus, Anſelmus, Algerus, Benedictus Abbas Anianenſis, auctoritates quorum, & ſententiæ legi poterunt apud Politum noſtrum, qui mihi lumen, facemque prætulit, ad 23. Januarii diem. His, præter Gennadium (*e*), Caſſianum (*f*), Fulgentium (*g*), Arnobium (*h*), Facundum Hermianenſem (*i*), & alios, adjungi debent Patrum cœtus, atque concilia, Toletanum 4. 6. 11. 15., Arelatenſe 6., atque Hiſpalenſe 2. Extremi hujus Concilii Patres, qui Hiſpalim anno

(*a*) Expoſ. in pſ. 103. ver. 19. (*b*) In Pſalm. 1.
(*c*) In Cant. cap. 7. ver. 11. (*d*) De Cultu J. C. a Mag. adhibito not. 9.
(*e*) De dogmat. Eccleſ. cap. 2. (*f*) Lib. 3. de Incarn. cap. 5. & alibi.
(*g*) Lib. 1. ad Traſim. cap. 4. 6. 15. (*h*) Diſput. adv. Serap.
(*i*) Lib. 1. cap. 3. & lib. 9.

Digitized by Google

anno 619. convenere, magna divinorum teſtimoniorum copia demonſtrant adverſus Acephalos, naturas in Chriſto ineſſe duas, atque unam perſonam, nec divinitatem tamen naturam patibilem habuiſſe, cum ecce cap. 13. aſsumpti hominis faciendam mentionem putarunt. *Quia unus in utraque natura eſt Chriſtus, ſecundum aſſumpti hominis formam Dominus gloriæ dicitur paſſus*. Maluerunt ſcilicet hominem dicere, quam humanam naturam, aut alia id genus, notione, ac more illis temporibus probatiſſimo, nihil plane verentes, ne tantam rem verbis minus propriis explicare viderentur.

IX. Quod autem pondus, atque auctoritatem huic cauſſæ maximam conferet, eadem antea fuerat Julii, ut rentur, Romani Pontificis vox, & ſententia in Epheſinis producta Comitiis, unoque ore a Patribus approbata. Quam quidem ſententiam depromptam ex epiſtola ad Proſdocium latine ita vertit, qui immortale ſui poſteris deſiderium reliquit, vir magnus, Petrus Couſtantius (*a*). *Perfectus Deus in carne, & homo perfectus in ſpiritu, non duo Filii. Unus videlicet proprius Filius, qui aſſumpſerit hominem, alter vero mortalis homo, qui aſſumptus ſit a Deo: ſed unus unigenitus in cœlo, unigenitus in terra*. Etſi vero poſt Leontium epiſtolam ad Proſdocium argumentis multis, & gravibus idem Couſtantius Julio abjudicaverit, hoc tamen contenti nos ſumus, fragmentum, quod exſcripſimus, ab Epheſinis Patribus laudatum fuiſſe, relatumque in acta Concilii. Fatetur autem vel ipſe Leontius, acer totius epiſtolæ inveſtigator, & diligens, nihil ea verba redolere, quod improbandum ſit, veræque doctrinæ adverſetur (*b*). Hæc igitur plana, atque perſpicua apud ſapientiſſimos Patres in explicando divinæ Incarnationis myſterio hominis notio, hæc ſignificatio. Quorum etiam exemplo loquutus eſt aliquoties vel noſtra ætate, quem proxime nominavi, Couſtantius (*c*).

X. Ad rem S. Anſelmus. *Verbum caro factum aſſumpſit naturam aliam, non aliam perſonam. Nam cum profertur homo, natura tantum, quæ communis eſt omnibus hominibus, ſignificatur. Cum vero demonſtrative dicimus iſtum, vel illum hominem, vel proprio nomine Jeſum, perſonam deſignamus, quæ cum natura collectionem habet proprietatum, quibus ho-*

I 2 *mo*

(*a*) Epiſt. Rom. Pont. ep. 16. num. 2. in Append.
(*b*) Lib. de Sectis act. 8. (*c*) Ibid. not. *e* ad Fragm. 2. Julii, & alibi.

Digitized by Google

*mo communis fit ſingulus, & ab aliis ſingulis diſtinguitur* (a). Pergit in eandem ſententiam elegantiſſime, atque accuratiſſime Anſelmus, argumentumque facillime diſſolvit, quod longo poſt tempore Theologorum princeps, ac maximus, Thomas Aquinas contra adhibuit [10]; ſed, cum potiſſimum nollem, debeo ego, quæ pandere cœperam, orationis vela contrahere. Ex his tamen illud lector perſpicere poterit, vocem hominis concretam non eſſe, ſed abſtractam, nec, niſi naturam humanam, deſignare, ac ſonare. Quid enim pugnes? Quid te interponas? Nonne vulgo Peripatetici in Porphyriano arbore naturam humanam hominem vocant, ſub eoque, veluti res ſingulares, Socratem, Platonem, Ariſtotelem, reliquos collocant? Ne quid dicam de Juriſconſultis, qui vetere conſuetudine, & inſtituto antiquiſſimo hominem ipſum genus appellant, Platonem vero ejuſdem humani generis ſpeciem. Itaque nomen hominis abſtractum erit *hominitas*, non humanitas, ut Dei eſt deitas; nomen autem hominis concretum erit natura humana, conſiſtens ſive in hypoſtaſi divina, ut in Chriſto, ſive in humana, ut in hominibus reliquis. Hominem porro hunc, dum a Maria conciperetur, dicitur Dei Filius ſuſcepiſſe, non qui hypoſtaſi jam tum humana per ſe ſubſiſteret, quod eſt plane Neſtorianum, ſed quem hominem idem Dei Filius divina ſua perſona fecit ſubſiſtere, ac terminavit. Ea vero cum ita ſe habeant, & inepte faciunt Neſtoriani, qui illam loquendi formulam toties a Patribus uſurpatam, veluti perfidiæ ſuæ adjutricem, ac propugnaculum, nobis objiciunt, nec vere reſpondent Theologi, ut crimen diluant, minus eos ſevere, ac proprie in hoc argumento loquutos eſſe. Quoniam autem Majorum exiſtimationis, ac gloriæ ſtudioſiſſimos nos ſemper oſtendimus, totoque ei animo ſervimus, ſingulare quamprimum de iſta verborum formula perſcribemus opuſculum.

(a). De Incarn. Verbi cap. 6.

10 3. par. quæſt. 4. art. 3. Etſi vero Thomas Aquinas Filium Dei ſuſcepiſſe hominem minus commode dictum exiſtimet, facere tamen non potuit, quin & ipſe ea verba adhibuerit non multo poſt quæſt. 10. art. 1. ad 1. Quid ſi magnus cumprimis vir, a quo breviſſime hæc tractata quæſtio eſt, in tot Patrum loca, teſtimoniaque incidiſſet, quot ego produxi, multo plura, atque locupletiſſima alias allaturus? Vix eum igitur diſſentire putaverim.

CAPUT

# CAPUT V.

*Doctrinæ hactenus conſtitutæ vis, lumenque ex iis etiam auctoribus adhibetur, quorum etſi nomina lateant, ad ſex tamen priora ſæcula ætas referri debet. Licere Theologo ex his fontibus argumenta depromere. Matthiæ Martini errores. Aurea Joannis Chryſoſtomi diſputatio de morte olim Judæis terribili, jucunda nunc, & optabili. Antiquiſſimus de* Reſurrectione Domini *ſermo in lucem a Trombellio emiſſus. Caſum ſæpe, & fortunam in litterarum ſtudiis dominari.*

57. SED jam tempus eſt datam initio ſuperioris capitis fidem ſolvendi. Bonos enim, qui ante mortem divini Filii e corporibus exceſſerant, etſi nulla, ne minima quidem erroris humani culpa, nec macula tenerentur, a Dei tamen aditu, conſpectuque fuiſſe prohibitos, huc uſque oſtendimus auctoritatibus Patrum, qui in ſex priora Eccleſiæ ſæcula inciderunt, eaſque extremo loco generali quodam, atque ampliſſimo Euſtratii teſtimonio (§. 55.) ita munivimus, ut expugnari nullo pacto poſſint. Nunc igitur, quod me facturum receperam, ut argumento plus roboris, dignitatiſque adjungatur, defigaturque quodammodo in oculis omnium, doctrinam illam a Majoribus traditam ubique gentium viguiſſe, latiſſimeque in omnem partem diſſeminatam fuiſſe, ſequitur, ut auctorum rogemus ſententias, quorum ætas quidem iiſdem temporibus conſignanda eſt, opera tamen aliorum nominibus inſcripta ſunt, vel aliis Patribus fuere ſuppoſita. Nec mirum cuiquam paullo eruditiori videri poterit, ex his me libris, quorum auctores latent, teſtimonia petere, atque præſidia veritatis. Uſus enim, conſuetudoque Theologorum longo repetita intervallo id, quod facio, abunde probat, ut vereri idcirco non debeam reprehenſionem doctorum, atque prudentium. Confeſſa quoque res eſt, & manifeſta, non continuo totam fidem, operiſque auctoritatem concidere, ſi alterius ab eo ſit, cui antea tributum eſt; alioquin quot Maximi, Gennadii, Cæſarii, Eligii, aliorumque multorum libris omnis detrahenda eſſet auctoritas? Suam igitur & libri apocryphi, ſuam reliqui libri ejuſmodi faciunt fidem, quod tunc præſertim valere debet, cum mentiri, aut falſa ſcribere nulla neceſſi-

ceſſitas cogeret , cum perſonatus , aut occultus auctor idipſum docet, quod alii Patres communiter docuerunt. Satis, ut arbitror, conſilii mei cauſſam, rationemque cognoſtis. Urgeamus ergo propoſitum.

58. Complures ego enim, ſi neſcis, ex eo auctorum genere habeo, quorum de æterna veterum felicitate, ac ſtatu eadem, & conſtans eſt, ac reliquorum Patrum, ſententia. Liturgia Marco adſcripta: *Rex maxime, Patrique coæterne, qui potentia tua Infernum ſpoliaſti, & mortem conculcaſti, & fortem vinxiſti, & Adam e tumulo excitaſti, emitte dexteram tuam*. Interpolata Ignatii ad Trallianos epiſtola, quod Bellarminus non vidit: *deſcendit ad Infernum ſolus: regreſſus autem eſt cum multitudine, & ſeptum illud, quod a ſæculo erat, rupit, mediumque parietem illius deſtruxit* [11]. Ex his autem locis eſſe conſequens, bonorum animos, qui vadebant ad Inferos, in ſinumque Abrahæ cogebantur, Dei præſentia antea lætatos non eſſe, facile ex ſimilibus locis, auctoritatibuſque perſpicies, quas hactenus pro re nata explicavimus. Aliquid enim & Lectorum ingeniis relinquendum putamus. Liber de Mundi Conſummatione inſcriptus, Hippolyti nomine editus, palam divini Filii prædicat *deſcenſum ad Inferos, aſcenſum, redemptionemque animarum, quæ fuerunt a ſæculis* (a). Auctor orationis ejus in Theophania, quæ Gregorium Thaumaturgum ementitur parentem, Chriſtum illud profitentem inducit, oportere ſe *deſcendere & ad ima Tartari profunda propter mortuos, qui ibi detinentur, diuturnum mortis imperium evertere, & corporis ſui lucernam ſedentibus in tenebris, & umbra mortis accendere*. Scriptor carminis adverſus Marcionem, Tertulliano olim attributi, primum lib. 4. cap. 6. quid de ſinu Abrahæ exiſtimandum ſit, his verbis oſtendit:

*Iſtic interdum requies; ſub corpore terræ*
*In parte ignota quidam locus extat apertus*
*Luce ſua fretus, Abrahæ ſinus ipſe vocatur,*
*Altior*

(a) Num. 1. edit. Fabric.

11 Interpolatam fuiſſe Ignatii ad Trallianos epiſtolam hic ipſe, quem protuli, locus manifeſte patefacit. Deſumptus eſt enim ex illa, ut ab Euſebio inſcribitur, oratione Thaddæi, κατέβη εἰς τὸν ᾅδην, καὶ διέσχισε φραγμὸν τὸν ἐξ αἰῶνος μὴ σχισθέντα, *ad Inferos deſcendit, clauſtrumque ab omni ævo intactum diſrupit*, cæteráque, ut in §.31. Quod facile erat Bellarmino animadvertere (De Anim. Chri. lib.4.cap.14.), niſi rerum ſcribendarum multitudine, ut ſolet, impeditus fuiſſet.

*Altior a tenebris, longe ſemotus ab igne,*
*Sub terra tamen:*

deinde lib. 5. cap. 10. Dei Filium docet, in eas ſe oras contuliſſe, ut piorum animos vinctos ſolveret, ac promiſſa faceret, quæ non niſi de Dei viſione poſſunt intelligi.

*. . . . . . . . . . . Poſtquam corpore ſancto*
*Omnia perpeſſus perſolvit debita noſtra,*
*Infernum petit; hic animas pro crimine vinctas,*
*Quæ ſine præſidio, concluſæ pondere legis*
*Olim promiſſa, & ſperata, & tarda rogabant,*
*Sanctorum in requiem dedit, & cum luce retraxit.*

59. Auctorem quæſtionum, & reſponſionum ad Orthodoxos, quæ in Juſtini operibus comparent, quinto vixiſſe ſæculo, multa, nec obſcura indicia ſunt, a Maurino editore ſtudioſe collecta. Is vero dum quæſtioni 85. ſatisfacit e re noſtra ſic diſputat. *Hæc autem Sanctorum reſurrectio & hominibus in hac vita degentibus, & omnibus in Inferno animabus argumento exiſtit, mortem Chriſti omnium hominum mortis pretium fuiſſe. Quapropter nec rurſus obierunt, ſed permanent in immortalitate, ut Enoch, & Elias, & cum eis ſunt in Paradiſo*. Nam quod eodem hoc loco, & quæſtione 76., ne mortuo quidem Chriſto, pios in Dei conſpectum admiſerit, id quidem bonus quiſque improbaverit, argumenti tamen vim non extenuat (§.21.I.). Huic ſuppono Theophili, ut creditum eſt, Antiocheni teſtimonium. *In hoc, quod apud Infernum Abraham vidit, hæc ſubeſſe quibuſdam ratio putatur, quod omnes Sancti ante adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti ad Inferna, licet ad refrigerii locum, deſcendiſſe leguntur* (*a*). Cur autem homines etiam ſanctiſſimi, ſumma integritate, atque innocentia præditi, migrare cogerentur ad Inferos, ubi, etſi quiete viverent, ſuiſque ſolatiis uterentur, nondum tamen intuebantur in Deum, cauſſam hanc affert multorum Patrum tritam ſententiis auctor ſermonis de Reſurrectione inter opera Auguſtini, quod *Chriſtus quando ad Inferos deſcendit, portam Inferni, & vectes confregit, & omnes juſtos, qui originali peccato adſtricti tenebantur, abſolvit* (*b*). Quo teſtimonio, tanquam ſincero, ac legitimo Auguſtini loco, pugnavit olim B. Thomas, ut fidem faceret, Chriſtum abeun-

(*a*) Lib. 4. Allegor. in Joann.
(*b*) Num. 160. in App. Tom. 5.

euntem ad Inferos, optimos, atque innocentiſſimos Patres inde liberaſſe.

60. Ac ſi altius proſpicias, cauſſam noſtram propugnatam quoque invenies in enarratione Pſeudo-Athanaſiana in ſymbolum, quam Blanchinius, ut ſæpe diximus, divulgavit. Nam quo loco explicat, Chriſtum a mortuis excitatum fuiſſe, hæc auctor litteris prodidit. *Poſt creditum ad Inferna deſcenſum reſurrectionis celeritatem fatemur, ne reliquiſſe aſſumptum hominem Deus vel apud Inferos putaretur, cum ſupradictam ſedem ille adiiſſet conditione mortis, iſte poteſtatis virtutis ſuæ.* Duo igitur habeo, primum unigenam Dei Filium, ut noſter loquitur, hominem aſſumpſiſſe, alterum abeuntes de vita homines immigraſſe ad Inferos, ideo quod ita mortis conditio flagitaret. Mors illa porro, vis cujus dominabatur in hominum genere, non alia demum eſſe potuit, niſi quæ ex hæreditaria Adami labe in unumquemque manaverat; culpa igitur bonorum animi non vacabant. Tu vero, Cadonice, obſtrictos culpa homines, ideſt culpæ vinculis implicatos, atque irretitos, dignos putaveris, quibuſcum Deus ſuam impertiat, communicetque præſentiam, vera, & ſolida, atque omnibus expleta partibus, & numeris beatitudine potituris? Vide, quæſo, quid feceris.

61. Etſi enim pro naturæ meæ conſuetudine omni ego te humanitate, atque liberalitate tractandum eſſe arbitrer (nam qui aliter cum homine diſputem, qui honorem adjumentis doctrinæ adeptus eſt?), ſalvum tamen, incolumemque ab animadverſione multorum præſtare non potero. Subiratum video, perantiquum ſane ſcriptorem, Ambroſio, ut plures ſentiunt, æqualem, qui uberes edidit in Paulli epiſtolas commentarios, magna olim conſenſione ipſi adjudicatos Ambroſio. Eſt enim apud illum in cap. 5. epiſt. ad Rom. ver. 12. boni *in Inferno erant, ſed ſuperiori, quaſi in libera, quia ad cœlos aſcendere non poterant: ſententia enim tenebantur data in Adam, quod chirographum morte Chriſti deletum eſt. Sententia autem decreti fuit, ut unius hominis corpus ſolveretur ſuper terram, anima vero vinculis Inferni detenta exitia pateretur.* Hunc autem, atque alia ejuſdem auctoris loca magis adhuc aperta, & perſpicua in medium protulit Matthias Martinius in Lexico Philologico, homo alioquin Heterodoxus, idemque, ut Cadonicianæ fautor, ita noſtræ ſententiæ oppu-

oppugnator. Ac ferendum quidem, Martinium in tanta litterarum luce, &c, dum Critici perſonam ſuſtinet, eos, quos dixi, commentarios Ambroſio tribuiſſe. Dum enim hanc attingunt controverſiam, paſſim in errores ejuſmodi incidiſſe intellexi heterodoxos quamplurimos, qui eruditiores videri volunt, Voſſium, verbi gratia, Limborchium, Cattenburghium, alios. Sed quod homo acutus de Limbo quam breviſſime diſſerens, paucis multa peccaverit, quis hoc illi ignoſcat, Latinos liberius inſectanti, aut quis mihi jure ſuccenſeat, ſi diſſimulandum non arbitror? Tu ejus errores vide. Nobis pergendum eſt, illudque admonendum, Homiliam in Paraſceven apud Joannem Chryſoſtomum *(a)*, ſermonem de Aſcenſione Domini, tertium in Appendicula Leonis Magni *(b)*, ſermonem 159., qui eſt primus de Paſcha *(c)*, itemque ſermones de conſolatione mortuorum duos in Appendicibus operum Auguſtini *(d)*, tot plane teſtimonia eſſe, & indicia, Cadonicum in re longe graviſſima a veterum inſtitutione deſciviſſe. Itaque ne harum quidem ſcriptionum auctores facere poterunt, quin ſubiraſcantur Cadonico; cum reliquorum Patrum ſtudia, atque auctoritatem ſecuti concorditer doceant, cœleſtis regni fores ante Chriſti mortem nemini patuiſſe, nemini ſuam Deum declaraſſe præſentiam.

*62*. Quo in argumento multus cumprimis eſt auctor ſermonum de conſolatione mortuorum, qui extant in Corbejenſi vetuſtiſſimo codice, undecim jam abhinc ſæculis exarato. Etenim hoc unum agit, & machinatur, fuiſſe quidem tempus, cum mors terrorem inferret hominibus, & formidoloſa videretur, nunc autem a Dei Filio victam eſse, conculcatam, occiſam, ut nemini idcirco lugendum ſit, cum bonus quiſque in æternam illam domum, vitamque migraverit. Hæc autem dolorem conſolandi ratio, a Hieronymo etiam, ut vidimus, & Gregorio Nyſseno (§. 39.), tum ab Joanne Chryſoſtomo, & aliis adhibita, tota ei doctrinæ neceſsario nititur, Judæos olim, pioſque cæteros abire coactos ad Inferos, ubi ad præſtitutum tempus jucundiſſimo Dei conſpectu, atque præſentia privarentur, quod auctor ipſe identidem totidem verbis ſignificat. Adjungit & illud, jure olim Judæos fleviſse, jure multas lacrymas profudiſse, quia nondum delapſus erat e cœlo, qui



(a) Tom. 11. edit. Montfauc.
(b) Edit. Pariſ. 1675.
(c) Tom. 5. edit. Maurin.
(d) Tom. 6.

qui perennem illum lacrymarum fontem ſuo a mortuis reditu exhauriret, & adhuc acerbæ mortis ſententia permanebat [12]. Sed quid plura colligo? Percurre Ambroſii, Hieronymi, Joannis Chryſoſtomi, Auguſtini, cæterorumque Patrum opera a Maurinis Sodalibus in lucem edita, atque illuſtrata, percurre Appendices horum operibus adſcriptas, & ita Deum mihi velim propitium, ut probare tibi facile poſſum, ſententiæ te noſtræ plurima, & maxima in ignotis iſtis auctoribus inventurum eſſe præſidia.

63. Ego, ut gratum Lectoribus faciam, locum producam ex ſermone de Reſurrectione Domini, quem nuper in vulgus exire juſſit vir doctiſſimus, nec ſine honoris præfatione a me nominandus, Trombellius. Libenter autem produco, quia in eum caſu incidi, cum hujus capitis finem eſſem facturus, eundemque nota nobis opportuniſſima exornavit homo am-

12 Inſignis autem de hoc toto argumento locus eſt Joannis Chryſoſtomi, ut monui, in Homilia panegyrica de beatiſſimis fœminis, eiſdemque Martyribus, Bernice, Proſdoce, & earum matre Domnina, quam ille Homiliam e ſuggeſto dixit anno, ſi Montfauconio credimus, 392. Ibi mortis metum, qui olim Patriarchas, Prophetas, & optimum quemque vehementer angebat, habebatque ſollicitum, nunc penitus ſublatum eſſe, ut ne pueri quidem, ac fœminæ moveri debeant, fuſe magnus orator, atque eleganter demonſtrat. Totam ego illam diſputationem hunc in locum perlibenter conferrem, ſed brevitatis habenda ratio eſt diligenter. En igitur perpauca. *Vidiſti Heliam mulieris minas mortis metu, mortis cauſſa fugientem? Audi quomodo Paulus erga rem iſtam ſit affectus, an formidabilem iſtam cenſeat, ut illi: num ea imminente triſtetur, ac metuat: immo vero e contrario rem eſſe optabilem arbitratur: propterea dicit:* diſſolvi me, & eſſe cum Chriſto multo melius. *Illis formidabile, huic melius, illis injucundum, huic jucundum: ac merito ſane. Olim enim ad Infernum mors ducebat, nunc autem ad Chriſtum mors tranſmittit. Quapropter Jacob quidem ait:* deducetis ſenectutem meam cum triſtitia ad Inferos, *Paulus vero dicebat*, diſſolvi, & cum Chriſto eſſe me, multo melius .... *Ideo principio quidem ſuper mortuos planctus quidam, & lamentationes fiebant: nunc autem pſalmi, & cantus hymnorum. Fleverunt igitur Jacob quadraginta diebus, fleverunt & Moyſem totidem alias Judæi, & planxerunt, quoniam mors tum temporis mors erat: jam vero non ita, ſed hymni ſunt, preces, & pſalmi; quæ omnia voluptatem in ea re eſſe declarant.* Num. 3. Tom. 2. edit. Montfauc. Confugiat nunc, ſi quidem poteſt, Cadonicus (Vind. cap. 16. pag. 266.) ad fidem, auctoritatemque Chryſoſtomi: negotium enim magnum eſt iſta expedire. Nam quid magis apertum, atque perſpicuum, quam Joannem Chryſoſtomum omnem illam piorum familiam jucundiſſimo Dei adſpectu privatam voluiſſe? Hinc etiam facile erit de vi argumentationis, qua in hoc §. utor, decidere.

ampliſſimus, teſtatus in monito, vel præfatione, quæ præit, dignum fuiſſe ſermonem, qui erueretur e tenebris. Etſi enim Leonis, Romani Pontificis, fœtus non ſit (talem autem fecerat codex, unde is ſermo expreſſus eſt), editori tamen uni alicui *minime contemnendo* de Patribus, qui quarto, vel quinto ſæculo vixerint, tribuendus videtur. Veterem igitur orationem accipite: *Omnes alii dies viventium in ſe tantum continent gaudium, hæc etiam lætitiam defunctorum ...... quia reſurgens a mortuis Dominus & illic feſtivitatem dedit, ubi mortem vicit, & iſtic, ubi victor a morte remeavit. Et ideo bene Pſalmiſta de hac peculiariter die dicit*: hic eſt dies, quem fecit Dominus, exultemus, & lætemur in eo. *Annuntians enim Dominicam reſurrectionis non ſuperius tantum, ſed inferius diem ſalutiferæ exultationis induxit, quia deſcendente in tenebroſa Inferorum caligine Domino, & tunc illic abſque dubio dies ſplendidiſſimus fuit, ubi Salvator illuxit* (a).

64. Quæ oratio, & proxime conſequentia ut penitius intelligantur, hæc commodum nota 3. animadvertenda propoſuit idem ipſe Trombellius, quem ſæpius honoris, atque amicitiæ cauſſa merito nomino. *Patriarcharum, aliorumque juſtorum animas ad eum uſque diem in ſinu Abrahæ detentas, fuiſſe a Chriſto, dum deſcendit ad Inferos, ſecum deductas, ut aſcendens in cœlum eas ſuperis inferret, monumentis non obſcuris aſſequimur. Indico pauca, neque enim hoc in loco nobis incumbit, ut Eccleſiæ dogmata ſtabiliamus*. Pergit vir doctus, & affert Zachariæ, & Pauli in epiſtola ad Epheſios teſtimonia, quæ, ipſo admonente, probatiſſimi Theologi, atque Interpretes accipienda eſſe ſtatuunt de piorum animis ex Inferorum cuſtodia liberatis, in cœlumque, ubi potiantur Deo, avolantibus; tum addit, palam quoque, & apertiſſime id monitum Patribus, Hieronymo præſertim, atque Auguſtino. Utinam antea hunc eruditiſſimi hominis locum offendiſſem! Multis fortaſſe peperciſſem laboribus. Sed eſt ita, ut dicitur. Nempe doctorum hominum ſtudia, Theologorum præſertim, ſæpe caſu etiam, & fortuna nituntur, nedum ingenio, ac diligentia. Quod quis miretur, cum paſſim & Philoſophis accidat? Nonne caſu inventum eſt Teleſcopium, caſu pulvis pyrius, caſu Barometrum? Sed hæc quodammodo leviora. Newtonus, illud nunc Phyſicæ oraculum, fertur ſuum de naturæ viribus,



(a) Inter Veter. PP. opuſcula Tom. 1. pag. 239.

cœleſtibuſque corporibus excogitare cœpiſſe ſyſtema, cum forte ſolus in horto deambulans oculos defixiſſet in poma, quæ ſuam jam maturitatem adepta ex arboribus decidebant. Cujus rei auctor Voltairius eſt in epiſtolis.

# CAPUT VI.

*Reliquorum Patrum teſtimonia, qui conſequentibus fuerunt ætatibus. Plurium in his Conciliorum auctoritas. Libelli auctor de defunctis, qui Damaſceno tribui ſolet, rejectus. Fabula de ſempiterna Trajani ſalute, parta per Gregorium ſummum Pontificem ejuſdem Gregorii doctrina confutata. Explicatio canonis Valentini Concilii, qui eſt de ſalutari Chriſti morte. Huguccionis teſtimonium, & opuſculum per hoſce annos ex tenebris a Trombellio erutum. Optimos quoſque, qui poſt Chriſtum moriuntur, Bernardi judicio, ſtatim ab obitu Dei beari præſentia. Luculenta illius de Machabæis epiſtola a Theologis prætermiſſa.*

65. ET primariorum locis Patrum, & Anonymorum quoque, vel ignotorum teſtimoniis ſcriptorum, qui ſex prioribus noſtri nominis ſæculis religionis doctrinas perſecuti ſunt, uberrime effecimus, piorum animos, ante mortem Liberatoris, Deique ſui de præſidio, & ſtatione vitæ juſſos egredi, etſi ſumma eſſent innocentia, non ſtatim tamen dignos fuiſſe, qui Deum viderent, ejuſque pulchritudine coram fruerentur. Itaque, ut vera loquar, mihi ipſi interdum gratulor, planeque gaudeo. Tot enim auctoritates attuli, tot, tam novis, tamque a cognitione vulgi remotis monumentis cauſſam defendi, ut voluiſſe, ac debuiſſe cæteris, mihi ſane videar, perſuaſiſſe. Immo etſi in eo de induſtria elaborandum eſſe putaverim, ut rerum varietate, quoad ingenii mei mediocritas patitur, Lectorum animos relaxarem, vereor interdum tamen, ne propter plurima, quæ coacervavi, atque diſſerui, teſtimonia, aliquid habeat injucunditatis oratio. Poſſem igitur hujus argumentationis vela colligere, in portumque me tandem, quaſi ex longa navigatione, recipere. Sed quoniam adverſarius noſter ſæpe dictitat, opinionem ſuam Latinorum, & Græ-

Digitized by Google

Græcorum Patrum fultam eſſe ſententiis (*a*), non putavi eo loco faciendum eſſe finem, quo reliquorum Theologorum terminari ſolet diſputatio. Subtimeo enim, ne ea res, imprudente licet auctore, gignat falſas opiniones, erroreſque turbulentos. Ita, ne confidentia, qua Cadonicus agit, imperitioribus fraudi ſit, atque ut nullum viro docto ſubterfugiendæ Majorum auctoritatis locum reliquum faciam, exiſtimavi, meas eſſe partes, quid quique conſequentibus ſæculis de noſtra doctrina ſenſerint, curſim ſaltem ponderare. Quapropter, ut Lector hunc quoque laborem ſubeat, oro. Præſertim cum ſtatuerim eam in diſputando moderationem ſequi, ut pauciſſimos ex unoquoque ſæculo teſtes excitem, reliquorum auctoritates, quibus ex fontibus hauriri debeant, fideliter moniturus.

66. Atque ut promiſſo ſatisfaciam, ex ſeptimo ſæculo unum proponam Toletani 16. Concilii oraculum. Religioſiſſimi enim Patres, & Antiſtites in eis Comitiis anno habitis 693. illud de Conſervatore hominum cunctis ſuffragiis tradiderunt: *Tartara penetravit in anima, & Sanctorum animas, quas illic hoſtis vinctas tenebat, morſu potentiæ ſuæ exemit, ut prophetale vaticinium inquit*: o Inferne ero morſus tuus. Teſtimonio, quod tam late patet, quid deſiderem amplius? Superſedebo igitur pluribus. Tantum admoneo, ſimilia docuiſſe quartum Toletanorum item Patrum Concilium, 60. ante annis convocatum (*b*). Ea vero loca interpretari de bonis, qui in Purgatorio contractas animi labes eluerent, ipſa primum vetamur notione verborum, totiſque ſententiis. Vetamur deinde luculenta Ildephonſi, & Juliani Pomerii auctoritate, qui cum Toleti ſacrorum Antiſtites fuerint, quid in quarto Concilio explicatum eſſet, ignorare non poterant. At ex his Julianus ſic diſputat. *Antiqui Patres uſque ad adventum Domini, quamlibet juſte vixerint, ducti ad regnum non ſunt, niſi ille deſcenderet, qui Paradiſi clauſtra hominibus ſua morte aperiret* (*c*). Paradiſi vero clauſtra aperire idem porro eſt Patribus, ac bonorum animis Deum perpetuo videndum, contemplandum, atque fruendum objicere. Fuerunt in eadem ſententia Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus (*d*), Sophronius, Patriar-

(*a*) Vind. cap. 16. pag. 265. 267. &c. (*b*) Cap. 1.
(*c*) Lib. 2. Prognoſtic. cap. 12. Vid. & cap. 4. Tom. 12. Bibl. PP. Lugdun.
(*d*) Sentent. de ſummo bon. lib. 1. cap. 16. Ibid.

triarcha Hieroſymitanus (*a*), Aponius, ſcriptor non ignobilis, nec obſcurus (*b*), &, ne plures enumerem, Aldhelmus, homo natione Anglus, Schirburnenſis poſtea Antiſtes (*c*), vir porro, ut teſtatur Beda, *undequaque doctiſſimus*.

67. His autem omni ex parte eos aſſentiri video, qui proxime in octavum ſæculum inciderunt, Germanum, Joannem Damaſcenum, Coſmam, Marcum Idruntinum de Græcis, de Latinis vero Alcuinum, Bedam, Ambroſium Autpertum, Carolum Magnum, Bonifacium, Archiepiſcopum Moguntinum, Zachariam, Romanum Pontificem, atque ad extremum multorum Patrum concilium Romæ ab eodem Pontifice inſtitutum. Alcuinus enim non ſolum in libro, qui de Trinitate inſcribitur cap. 15., ſed etiam in eo, qui eſt de divinis officiis cap. 41. *deſcendit ad Inferna*, inquit, *in anima ſola. Quare? Ut electos, qui ibi detinebantur injuſte propter originale peccatum liberaret, & ad cælos reduceret* (*d*); Germanus vero Conſtantinopolitanæ ſumma cum poteſtate præfectus Eccleſiæ, *ſonus gravis audiebatur in Orci ſpecubus, cum Protoplaſtus querulas ibi voces funderet præ Paradiſi deliciarum deſiderio* (*e*); Carolus præterea, cui Magno cognomen eſt, in ea ad Elipandum epiſtola, qua hortatur, atque obſecrat hominem, ut Chriſtum Dei adoptione eſſe Filium dicere deſinat, redeatque, depoſito errore, ad officium, *poſcentes vos per eum, qui pro te in Cruce manus innoxias extendit ..... & ad liberandos electos ad Infernum deſcendit, & pro te reſurgens tibi viam ad cælos revertendi, ſcilicet ad cæleſtem patriam, demonſtravit* (*f*). Qua nempe obſecratione humili, ac ſupplici in ſuis ad Carolum litteris uſus eſt Elipandus, eamdem Carolus reſcribens uſurpat, ac laudat, tanquam agendi rationem omnium judicio, conceſſuque approbatam. Ducant ſibi gloriæ, ut faciunt, Imperatores, virique principes tanti Regis exemplo religionis cauſſam, patrociniumque diſciplinæ ſuſcipere, optime de Eccleſia, de Deo, de ſeipſis merituri; agnoſcat autem Cadonicus, quam altas ea doctrina radices in antiquorum animis fixerat. Atque Alcuinus quidem, Germanus, Carolus inſtar omnium eſſe poterunt

(*a*) In Chriſt. Servat. Natalit. & alibi. (*b*) Lib. 5. in Cant. (*c*) Hymn. in Aſcenſ. Dom. (*d*) Vid. & cap. 18. (*e*) De Cruce Dom. ſon. 4. & alibi. (*f*) Tom. 2. Concil. Gall. ed. Sirm. pag. 186.

runt, ut nihil neceſſe ſit vel Marci (*a*), vel Coſmæ (*b*), vel denique Ambroſii Autperti (*c*) annumerare ſententias, præſertim allatis jam teſtimoniis Bonifacii, Zachariæ, Pontificis Maximi, totiuſque Romani Concilii (§. 12.). Adjungendus his tamen Beda, cujus plurimum in divina Republica valere ſolet auctoritas, quique juſtam apud nos habet venerationem. Refutata neſcio qua doctrina, vel interpretatione Hilarii, ut opinor, Pictavorum Epiſcopi (*d*), *ſed hoc*, inquit, *ille dixerit. Catholica fides habet, quia deſcendens ad Inferna Dominus non incredulos inde, ſed fideles ſolummodo ſuos*, quos quidem ſinus Abrahæ excepiſſet (*e*), *educens ad cœleſtia ſecum regna perduxerit* (*f*).

68. Quo probe ſtabilito, ac fixo, probanda certe, atque omni laude, præconio, monumentiſque decoranda præclara hæc Joannis Damaſceni vox: *ſi in monte Thabor manſiſſent, non Orci regia ad prædam conceſſa fuiſſet, non Adamus ſaluti reſtitutus, non Eva redempta, non Patriarchæ, ac Prophetæ, & juſti ex imis Inferni receſſibus erepti fuiſſent* (*g*); ſed illud rejiciendum ſimul, planeque improbandum, quod in libro de defunctis traditur, nonnullos nempe ex eis, qui in illa ſceleratorum ſede perpetuis addicti erant ſuppliciis, damnationis, atque delicti veniam impetraſſe. Libri auctor, qui Damaſceni perſonam ſumpſit, abjecta ſua, arbitratur, duo hominum genera ſalutem in Inferis conſecutos fuiſſe, alterum quidem ex juſtitia, cujuſmodi ſunt quicumque vel ex Hebræorum populo, vel ex aliis nationibus fide, atque innocentia ornati ex hac vita diſceſserant; alterum vero genus eorum, qui ſola Dei benignitate, atque clementia ſervati ſunt. In hoc autem numero judicio hominis poni debent quicumque, licet vitam innocentiſſime egerant, & multis, magniſque virtutibus abundaverant, cœleſti tamen, divinaque fide caruerant. Tales fuiſse exiſtimat Philoſophos veteres, Sibyllas, & alios; eos præterea, qui aliquam, etſi umbratilem, & obſcuram, Chriſti notitiam habuere. His enim apud Inferos Dei cognitionem adeptis, atque in fide inſtitutis opem Chri-

(*a*) Hymn. in magno Sabbato. (*b*) In Theogon. Hymn. 8.
(*c*) In Apocal. lib. 9. ex Auguſt. (*d*) Vid. Edit. Maur. ad Tract. Pſal. 118. litt. 11. not. *d* ad num. 3. (*e*) Ex hoc loco, & in Pſal. 85.
(*f*) In 1. Petri cap. 3. (*g*) Orat. de Transfig. Dom. Vid. & Cant. in Dominic. Paſch. Tom. 1. edit. le Quien.

Chriſtus attulit, ac ſalutem præter ordinem dedit (*a*). Sed hac in parte perſonatum illum ſcriptorem tota via erravisſe, cum Bedæ, quem mox audivimus (§.67.), tum aliorum (§.11.) teſtata, & illuſtris luculenter declarat auctoritas. Quid enim opus eſt ex ſacris litteris argumenta ad eum diluendum errorem depromere, aut de Trajani, quo ille exemplo utitur, fabula reſpondere [13]?

69. Acce-

(*a*) Num. 13. Tom. 1. ejuſd. edit.

13 Vetus cantilena eſt, quæ a Paulo, & Joanne Diaconis manavit auctoribus, Trajanum Imperatorem Gregorii Magni precibus ex Inferni cruciatibus ereptum fuiſſe. Sed ei omnem penitus fidem abrogat Joannes ipſe Damaſcenus, cui perperam ſuperior de defunctis liber tribuitur. Nam in ſecundo de Fide Orthod. extremo cap. 4. *ſciendum*, inquit, *illud hominibus mortem præſtare, quod lapſus Angelis. Poſt lapſum enim nulla ipſis pœnitentia eſt, uti nec hominibus poſt mortem*. Et in Dialogo contra Manichæos §. 75. (65. apud Sandinium diſput. hiſtor. 16. ſcriptum eſt, errore fortaſſe librarii): *poſt mortem vero nec converſionis, nec pœnitentiæ locus eſt. Non quod Deus pœnitentiam non ſuſcipiat ....... ſed conditio animæ eſt, quæ converti nequeat ..... Sicut enim Dæmones poſt lapſum non reſipiſcunt, neque etiam Angeli nunc peccant, ſed utrique hoc habent, ut nulla in ipſos mutatio cadat; ſic homines poſt obitum converſionem nullam admittunt*. Quomodo autem hæc ſententia cum ejus opinione, narrationéque cohæreat, ex cujus officina liber, de quo agimus, prodiit, ego certe, ut loquar cum Michaele Le Quien, non intelligo, *niſi forſan ad abſolutam Dei potentiam confugiatur* (Diſſert.5. Damaſcen. §.3.), quo tamen ut confugiam, nullo mihi loco auctorem, hortatoremque eſſe video Damaſcenum. Liber igitur de defunctis, ſive oratio, ut inſcribi ſolet, *de iis, qui in fide dormierunt*, noſtro huic ſuppoſita eſt, & ab alio auctore elucubrata, quod & Leo Allatius in Diſſert. 2. de libris Eccleſ. Græcorum, & ipſe le Quien tum in loco, quem deſignavi, tum in Admonitione libello huic præpoſita egregie demonſtrarunt, nec erat, cur vir doctus, Petavius libellum ejuſmodi, tanquam proprium, atque germanum Joannis fœtum produceret. Lib. 13. de Incarn. cap. 18. num. 10. Recte enim de illo Caveus: *ab omnibus fere propter fabulas ineptiſſimas Damaſceno abjudicatur*. Script. Eccleſ. &c. in Damaſ. Ejuſmodi eſt autem nota in vulgus fabula de Trajani Imperatoris ſalute, Gregorii parta obſecratione, ac prece. At Damaſceni non ſolum, ſed Gregorii ipſius doctrina refellitur, quam §. 11. verbis Gregorii propriis, & ſuis expreſſimus. Accedit, quod idem in quarto Dialog. libro cap. 44. ſciſcit prudentiſſime, ac vetat, ne *orent ſancti homines pro hominibus infidelibus, impiiſque defunctis*, ut idcirco plane incredibile videatur, prò homine cum profano, qui in Chriſtianos omni pœnarum genere crudeliſſime ſæviit, precatum Deum eſſe, atque imploraſſe. Nec immerito miratus Fabricius eſt (Biblioth. Lat. Tom. 1. Lib. 2. cap. 44.), plures, quos memorat, de noſtris ſcriptoribus ejus fabulæ apologiam ſcripſiſſe. Sed hæc pro inſtituti noſtri ratione pluſquam ſatis. Adeatur præter alios, Sandinius diſput. 16. hiſtor., quam deſignavi *de precibus Sancti Gregorii Magni pro Trajano*.

69. Accedunt ſententiæ Valentini tertii Concilii habiti anno 855., Remigii Lugdunenſis, ſimul eorum omnium, qui contra damnatorium conventus Cariſiacenſis judicium Goteſchalcum ſtrenue, ac fortiter adjuvarunt. His enim adeo perſuaſum fuit, adeo hærebat in mentibus, unigenam æterni Patris Filium in ſua illa glorioſa, & lætabili ad Inferos profectione ſolum inde piorum cœtum abſtraxiſse, ſecumque in cœleſtem Patriam ſuis veluti humeris reportaſse, ut (quod ferri tamen, probarique non poteſt) ne ipſum quidem, Petavii judicio, mortuum eſse crediderint pro impiorum multitudine, qui anteactis ætatibus interierant, præcipiteſque in Infernum, male acta vita, ſe dederant. Legatur quartus Valentini ejus Concilii canon volumine tertio Conciliorum Galliæ a Sirmondo editorum. Hinc enim & pſeudo-Joannis Damaſceni error, & nova, ac ſingularis Cadonici opinio nullo negotio oppugnabitur [14].

70. Sed ecce, nobis pene inſcientibus, atque imprudentibus, ad nonum ſæculum occultis viis, atque itineribus aditum ſibi munivit oratio. Videndum igitur de reliquorum judiciis, quibus eodem ſæculo certum, ac perſuaſum fuit, bonorum animos ante Chriſti migrationem ad Inferos ex hac turba, & colluvione ereptos ſempiternæ felicitatis, quæ in videndo Deo poſita eſt, compotes non fuiſse. Quid enim tibi erudito homini in mentem venit, Cadonice? Ejus rei auctores mihi plures, locupleteſque ſe offerunt. Auctor eſt enim Nicephorus Conſtantinopolitanus, Taraſii in Patriarchatu ſucceſsor, in epiſtola ad Leonem III. ſummum Pontificem

L data,

14 Cæterum ſuſpicioſus videri nolo, amice Lector. Nam Valentinis Patribus placuiſſe, Dei Filium pro impiis, atque *Gentilibus* ante ipſum mortuis non fudiſſe ſanguinem, dixi ex opinione Petavii (De Incarn. lib. 15. cap. 18. num. 12.), a qua recedendum puto. Aliter enim rem accipiunt graves oppido, probabileſque Theologi, quorum ſententia hoc unum Valentinorum Patrum concilium docere, ac ſtatuere voluit, ſalutarem Chriſti mortem ei generi hominum non profuiſſe ad ſalutem, ideſt, ut ego interpretor, Chriſtum quidem oppetiviſſe mortem pro omnibus, eo tamen abeunte ad Inferos, turbam illam malorum, ſceleratorumque colluviem nec veniam, nec liberationem pœnæ impetraſſe. Quam explicationem ut ſatis veriſimilem arbitrer, ſplendidum me Oſeæ oraculum permovet, *ero mors tua, o mors, ero morſus tuus, Inferne*, quod Valentini Antiſtites in medium protulerunt. Nam alios Patres hoc Oſeæ teſtimonio uſos eſſe in eandem ſententiam, vidimus. Conſulatur præſertim §. 11. *66.*, & infra §. 74. *81. 97.*, legaturque, ut ſupra monui, totus canon.

data, ubi totam plurimis, atque accuratiſſimis verbis fidei ſuæ rationem pro more ſtudioſiſſime exſequitur. Auctor eſt totum Arelatenſe VI. Concilium anno 813. eodem Pontifice habitum, cum canone 1., qui inſcribitur *de Fide Catholica omnibus prædicanda, & tenenda*, hoc de Dei Filio credi velit: *deſcendit ad Inferos, ut Sanctos, qui ibidem tenebantur, erueret, devictoque mortis imperio, reſurrexit*. Auctor eſt Rabanus Maurus, a quo in quarto de univerſo cap. 10. illud ſcitiſſime animadverſum, quod *ante reſurrectionem Domini omnes Sanctorum animæ in Inferno ſub debito prævaricationis Adæ tenebantur*, donec ſalutari illius morte liberationem culpæ, atque adeo miſeræ ejus cuſtodiæ impetrarunt. Auctor eſt Carolus cognomento Calvus, qui in Oratione ad S. Crucem hac prece pie, ſanctèque utebatur: *adoro te deſcendentem ad Inferos, & liberantem captivos*. Numquid enim tam bene captivis, ut coram in Deo mentis oculos figerent? Auctor eſt Remigius Antiſiodorenſis, qui in Commentariis in cap.9. Zachariæ rationem illam uſurpans, quæ à Rabano, & aliis Patribus quam ſæpiſſime inculcata eſt, *denique in reſurrectione Domini multi Sancti*, ait, *qui in Inferno vinculis peccati originalis tenebantur, ſurrexerunt cum eo*. Auctor eſt ad extremum Theodorus Abucara, Archiepiſcopus Cariæ (*a*), &, præter Michaelem Syncellum (*b*), liber ille, qui inſcribitur, altercatio ſynagogæ, & Eccleſiæ, ſi quidem libri ætas, quod neſcire me fateor, ad hoc ſæculum referri debet. Nam ſcriptor cap. 7. quid inter pios veteris, ac novæ legis, quod ad mortem, ac præmia attinet, differat, breviter e re noſtra, atque dilucide expoſuit.

71. Sed hæc miſſa facio. Cui enim moleſtum non eſſet, ſi ſingularum ætatum ſententias non modo ornare orationem vellem, ſed percenſere numerando? Itaque, ne multus videar, nunc de ſæculo decimo pauca dicam. Smaragdus Abbas Bedæ locum, quem §. 67. produximus, totidem exſcripſit verbis, atque approbavit (*c*). Simeon Metaphraſtes in vita Quiriaci Eremitæ cap. 2. *cogitabat*, inquit, *partum ſine ſemine..... &* qua ratione Chriſtus *per crucem Inferos ſpoliaverit, & fallacem ſerpentem aboleverit, & Adamum rurſus reduxerit in Paradiſum*. Moſes Barcepha ante hunc: *cum anima Infe-*

(*a*) In calc. opuſc. 1. (*b*) In Dionyſ. Areopag.
(*c*) Ad epiſt. Feriæ 6. poſt Paſch.

*Inferos correxit, atque ad eas animas, quae inibi tenebantur, concionem habuit, ſicut ait Petrus Apoſtolus in ſua epiſtola. Itaque anima Chriſti eas animas, quae in ſe credebant, ab Inferis ſuſtulit, ſubvectaſque induxit cum Latronis anima in Paradiſum, unde expulſus fuerat Adamus* (*a*). Suidas ſtudio, profeſſionéque Grammaticus: *Dei Filius unigenitus .... per venerandam crucem, & ſupplicium ſuum dejecto adverſario in terrae partes infimas deſcendit, indeque prolapſum Protoplaſtum eduxit, reſtituta imagini prima pulchritudine, & naturae priſtinae integritate*. Quibus ex verbis apparet, quod primus ille noſtri generis parens, etſi eum admiſſi ſceleris poenituerit, adhuc tamen peccati lege, ac vinculis tenebatur, atque adeo Deum praeſentem cernere, ac videre non poterat. Docet haec Svidas in voce Ἀδάμ, unde argumentamur, hominem anno circiter 980. floruiſſe. Nam cum varias temporum aeras percenſeat, definit tamen in obitu Joannis Zemiſcis Imperatoris, quem veneno ſublatum eſſe novimus toto ante quadriennio. Si quae igitur in Svidae Lexico poſteriora tempora ſapiunt, ea aliena manu fuiſſe addita veriſimillime credi poteſt.

72. Interim Theophylactus, Euthymius de Graecis, de Latinis vero Radulphus Ardens, Fulbertus, & Ivo Carnotenſes ſacrorum Antiſtites, Guitmundus Epiſcopus in Italia Averſanus, Micrologus, Anſelmus, & alii ſcriptores ſunt, qui ſaeculo undecimo magnam ſibi vel doctrinae, vel etiam ſanctitatis gloriam compararunt. At hi verba facientes de aeterna veterum beatitudine, qui e vivorum numero erepti ſunt, antequam Chriſtus, devicta morte, ad Inferos abiiſſet, optimum, & ſanctiſſimum quemque Dei adſpectu privatum eſſe dicebant, Theophylactus [15] in primis, qui, cum ait, *mortuorum reſurrectio, quae facta eſt in cruce Domini, ſignificat eorum, qui in Inferno fuerunt, liberationem* (*b*), non aliud certe perſuadere nobis voluit, niſi eos necdum divinae viſionis, cui inhiaverant, fuiſſe participes. Exemplo quoque eſſe poterit Radulphus Ardens, Gullielmo IV. Aquitaniae Duci a ſacris concionibus. Nam in concione publice habita in natali Chriſti

L 2

(*a*) De Parad. par. 1. (*b*) Comm. in cap. 27. Matth. & alibi.

15 De Theophylacti aetate accuratiſſime diſputavit vir clariſſimus de Praedicatorum Familia, quem, ut ipſius doctrina poſcit, honoris gratia nomino, Bernardus de Rubeis, in recenti operum ejuſdem auctoris editione.

ſti die his verbis auditores ſuos alloquitur. *Nec ſolum, chariſſimi, qui tunc in carne erant, viderunt hanc lucem, ſed & habitantibus, ſive ſedentibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis, hoc eſt Patriarchis, & Prophetis, cæteriſque Sanctis, qui carne ſoluti præſtolabantur adventum Mediatoris quaſi exſules, habitantes non quidem in morte, ſed in umbra, hoc eſt in ſimilitudine mortis, carentes viſione Dei*. Quid loquar de Anſelmo, Cantuarienſi Pontifice, qui ſanctus habitus eſt, atque doctiſſimus? Non poterat neque crebrius, neque luculentioribus verbis ſuam aperire ſententiam, noſtramque in clariſſimo lumine collocare. Nam ut alia taceam, lib.2. *cur Deus homo* cap.16. rotunde dixit, neminem unum ante Chriſti obitum in cœleſtem patriam ingredi potuiſſe, quod paullo ſupra confirmaſſe ſe ait exemplo Regis, in cujus ædes inferre pedem nemo poteſt, niſi antea culpa, quæ illum exacerbaverit, *relaxetur*. Perſpicua eſt etiam, & gravis oratio auctoris, qui ſcripſit in Pauli epiſtolas Commentarios eidem Anſelmo aſſignatos. Sunt qui auctorem operis ſuſpicantur eſſe Anſelmum Laudunenſem, ſunt qui Herveum. Sentiat, per me licet; quod quiſque vult: hæc ille oppido, quæ nullo egent interprete, in cap.2. epiſtolæ ad Coloſſenſes. *Chriſtus exſpoliavit* Principatus, ac poteſtates *Dæmonum auferendo illis animas juſtorum, quas in Inferno propter culpam primi parentis detinebant*. Et traduxit, *ideſt trans Infernum duxit ad regna cœlorum ipſas ab Inferis ereptas Sanctorum animas, & hoc* confidenter, *ideſt cum magna fiducia fecit, non timens Dæmones, utpote qui nullum habebat peccatum*. Reliqua ſunt Euthymii (*a*), Fulberti (*b*), Ivonis (*c*), Micrologi (*d*), & Guitmundi (*e*) teſtimonia; ſed ſiqui mihi fidem non habeant, ea loca a Lectoribus conſulentur.

73. Reſtat enim duodecimum ſæculum, & ad exitum feſtinat oratio. Itaque, ut quam citiſſime fieri poteſt, argumentum petitum ab auctoritate Majorum aliquando tandem concludatur, non commemorabo Algerum (*f*), non Radulphum Flaviacenſem (*g*), non Petrum Alphonſum (*h*), non Hono-

(*a*) In pſal. 106. & cap. 23. Luc. (*b*) In Hymn. *Chorus*.
(*c*) De convenient. vet. & nov. Teſtam. (*d*) De Eccleſiaſt. obſervat. cap. 36. (*e*) In Confeſſ. Fid. Exſtat Tom. 6. Bibl. Patr.
(*f*) De Euchar. lib. 2. cap. 8. (*g*) Lib. 2. in Levit. cap. 4.
(*h*) Titulo 9. & 10.

Honorium Auguſtudonenſem Sacerdotem (*a*), non Hugonem Victorinum (*b*), non Rupertum Tuitienſem (*c*), non Cluniacenſem Petrum (*d*), non Petrum Rigam (*e*), non Guntherum (*f*), non Arnoldum denique Bonæ-Vallis Abbatem (*g*). Immo, ut adhuc liberalius agam, & brevius, ne mentionem quidem faciam nonnullorum Græcorum, ut Michaelis Glycæ (*h*), atque Theoriani (*i*). Dies enim, & latera me deficerent, tot Patrum teſtimonia recitantem, meiſque interdum verbis notantem, atque illuſtrantem. Aliunde bono ſcriptori propoſitum eſſe debet, ut alios, quod ait Cicero, non ſolum delectet, ſed etiam ſine ſatietate oblectet. Tribus igitur in hac tanta opulentia contenti erimus teſtibus, Egberto Schonaugenſi, Huguccione, & Bernardo. Utar autem auctoritate Egberti, & quia dignus eſt, qui crebrius a Theologis appelletur, & quia ſermone nono adverſus Catharos, vel Manichæos hujuſmodi errorem iſtorum interrogando redarguit: primum dicite mihi: *an creditis, quia Dominus Jeſus Chriſtus in paſſione crucis emiſit ſpiritum, & ſecundum corpus quidem ſepultus eſt, ſecundum animam vero deſcendit ad Inferna, & ſpoliavit principes tenebrarum ab animabus electorum, qui vel ante legem, vel ſub lege Moyſi, quæ ſalvare neminem poterat, ab hac vita migraverant?* Tenes, quid dixerit? Adeo exploratum Egberto eſt, pios, de quibus loquitur, adhuc a ſalute alienos fuiſſe, neque illis Deum videndi ſui poteſtatem feciſſe, ut ejus rei confeſſionem a Manichæis ſui temporis requirat, ac poſtulet. Id igitur inter noſtros conſtabat ſic, ut nihil magis.

74. Sequitur Huguccio, inter Ferrarienſes Epiſcopos ab Ughellio numeratus, quamvis in eo erraſſe exiſtimetur, quod nominis ambiguitate deceptus duos ex uno fecerit; quod eruditiſſimo homini Fauſto Marrono noſtro, quo ego Theologiæ magiſtro uſus ſum, conſtituendum relinquo. Nobis enim ſatis eſt, exeunte ſæculo duodecimo, Huguccionem unum aliquem, præclarum ſane virum, & commemorabili doctrina præditum, floruiſſe. Quantus autem Huguccio Theologus fuerit,

(*a*) In ſpeculo Eccl. (*b*) De Sacram. Fid. lib. 2. par. 1. cap. 2.
(*c*) Dialog. Chriſt. & Jud. nunc primum edit. pag. 528. 29. Tom. 2. edit. Pariſ. S. Anſ. (*d*) Lib. 4. epiſt. 1. (*e*) In Recapitul. de Sampſone.
(*f*) In Ligur. lib. 1. & 9. (*g*) Tract. de Verb. Dom. num. 2. & 6. inter opera Cypr. (*h*) Par. 3. Annal. (*i*) Epiſt. ad Sacerd. de Jejun. Sabb.

rit, non obſcuro indicio eſt ejus explicatio de Symbolo Apoſtolorum, a navo, atque induſtrio homine, Trombellio nunc primum in lucem emiſſa, quæ me potiſſimum cauſſa impulit, ut ejus teſtimonio agendum eſſe exiſtimaverim. Teſtimonium vero illud ita ſe habet. „ Deſcendit ad Inferos tertia die „ *ut Sancti, qui ibi vincti tenebantur, per eum educentur. Unde Zacharias* „ tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua „ ..... *Et tunc Paradiſi porta, quæ per Evam cunctis clauſa fuerat, remoto Cherubin, qui in introitu Paradiſi cum flammeo gladio poſitus erat, aperta fuit, ut ſimul intrarent boni de Inferno extracti: non enim Chriſtus malos extraxit juxta illud Oſee*: o mors ero mors tua, morſus tuus ero, o Inferne. *Non enim Chriſtus ex toto exſpoliavit Infernum, ſed momordit* (*a*). Quod addit ad eam rem explicandam, a Gregorio Magno, cujus doctrina, & ſententiis uſi quamplurimi ſunt, mutuatur (§. 11.).

75. Tertio denique loco teſtem Bernardum adducendum putavi; idque dupliciter, & quia eximia eſt auctoritate vir, & quia inveni ego certam viam, atque rationem, qua eadem opera doceam, ſanctiſſimum hominem non ſolum a Millenariorum erroribus longe abfuiſſe, ſed illorum conatus plane fregiſſe, atque omnibus viribus profligaſſe. Nam ejus rei magnam mihi facultatem ſuppeditat epiſtola 98. de Machabæis, ſcripta, ut ſuſpicatur Petrina in illius epiſtolis nuper italice editis, ad Brunonem Colonienſem Pontificem. Cauſſas Bernardus quærit, quamobrem in Eccleſia feſtus Machabæorum agatur dies, non item reliquorum, quorum anteactis ſæculis apud Hebræos nobilitata eſt ſanctimonia. Eo autem, inquit, præſidio confidere, quod religionis cauſſa necati ſint, eſt illud hominis certe quidem inconſiderate diſputantis. Cur vero? *Siquidem & ipſi pro tempore non ad cæli*, ait, *mox gaudia, ſed ad Inferni tenebras deſcenderunt, ne tunc quippe apparente primogenito ex mortuis, qui aperiret credentibus regna cælorum*, quod etiam de beato illo ſene Simeone, cui Chriſtum puerulum deoſculari, atque complecti contigit, omni aſſeveratione confirmat. Ut nihil dicam de labefactata opinione Cadonici, ex his verbis, & ipſa quæſtione, quam vir ſanctus explanare inſtituit, perſpicax, & attentus quiſque argumentari ſimpliciter poterit, Bernardo judice, pios poſt Chri-

(*a*) Veter. PP. opuſcula Tom. 2. pag. 216.

Chriſtum mortuos, nullaque peccati labe infuſcatos, recta in cœlum contendere, ubi ſtatim Dei præſentia, & conſuetudine fruantur, atque expleantur. Quamquam eam cauſſam habemus in manibus, quæ ne argumentatione quidem magnopere egeat. Bernardus enim id, quod poſui, perſpicue non ſolum, aperte, luculenter, allatis etiam divinorum librorum oraculis, deinceps tradit, ſed etiam copioſe demonſtrat. Miror igitur, cur Durandus, Meldenſis Antiſtes, tam dure, ac ſevere noſtrum tractaverit, quaſi is ſempiternam Chriſtianorum hominum, qui ſancte, integreque obierint, felicitatem differendam eſſe putaverit. Miror, cur Petavius, infinitæ lectionis vir, non dubitaverit ſcribere, *de Bernardo notiſſima res eſt, hunc in opinione illa fuiſſe* (a). Miror, cur Hamelius, Habertus, Tournelyus, aliique Theologi, qui tantum operæ, ac ſtudii eo conferunt, ut Millenariis Bernardum eripiant, non ſolum ex hac epiſtola argumenta non ſumpſerint, ſed ne meminerint quidem. Perfectum enim eſſet, ut cauſſam non modo vincerent, ſed & omnem adverſariis ſpem redintegrandæ litis præciderent. Id ego ſaltem pro ſummo meo, atque perpetuo de ſingulari ejus virtute, atque doctrina judicio, a Bertio exſpectaveram. Sed & magnus iſte Theologus opinionem noſtram fefellit. Nam quid dicam de Muratorio, qui Thomam Burnetum, Millenariorum in Anglia fabulam iterum dantem, dedita opera confutandum ſuſcepit? Hortor igitur omnes, quibus Bernardi auctoritas curæ eſt, ut hanc epiſtolam conſulant, hanc ferant in oculis, hanc ad verbum ediſcant. Omnis enim ex animis ſcrupulus penitus evelletur; is autem in æterna laude verſabitur. Ego verba in lucem non profero, ne bonam partem epiſtolæ cogar exſcribere.

(a) De Deo &c. lib. 7. cap. 14. num. 10.

CAPUT

# CAPUT VII.

*Totius argumentationis ex Patrum teſtimoniis ductæ complexio. Quæ hinc adverſus opiniones Cadonici, & Lamii conſequantur. Gerardi Joannis Voſſii judicium. Futilis neſcio cujus Heterodoxi conatus, ut argumento vim detrahat. Alia adverſus hunc teſtimonia, præſertim ex opuſculis, a Gerberonio, & Mingarellio nunc primum editis, repetita. Vox, & conjectura Cadonici.*

76. Totus autem hic locus jam concludi poteſt. Vetus enim ſententia eſt, jam inde a primis Chriſtianæ Reipublicæ ducta temporibus, atque omnium Patrum firmata conſenſu, bonorum animos, qui ante mortem divini Filii exiſſent e vita, non ſtatim in Dei conſpectum veniſſe, etſi nulla eos culpæ fœditas, turpitudóque pollueret (§. 19.—75.); auctore autem cumprimis nobili, atque graviſſimo, cui reliqui ad unum omnes hac in parte aſſenſi ſunt, Vincentio Lirinenſi, omnium Patrum aliqua de re concordia, & conſpiratio religionis lex putanda eſt, ut inde ne tranſverſum quidem unguem diſcedere oporteat; nefas eſt igitur cum beato illo piorum cœtu, atque concilio, antequam Chriſtus ad Inferos abiit, Dei communicare præſentiam.

77. Ubi ad multorum errores (falſitas autem, ſuperioribus diſputatis, lucebit ipſa per ſe) animum breviter intendas, velim. Principio enim erravit Cadonicus, cum Tournelyum refutans, qui noſtram ſententiam ſumebat pro re conceſſa, & probata, tradidit, in eam Auguſtini ætate dumtaxat aliquos conſpiraſſe (*a*). Nam ut copioſiſſime oſtendimus toto capite tertio, vix unquam inter ſcriptores, & Patres, qui in quartum, quintumve ſæculum inciderunt, conſenſus major in ulla cauſſa fuit. Erravit igitur ſecundo loco vir doctus, cui dictum exciderit, cauſſam, quam defendimus, talem eſſe, ut perdifficiliter auctoritate antiquorum comprobari poſſe videatur (*b*). Fateor equidem, multos me exantlaſſe labores, ut teſtes quærerem, atque invenirem, ſed (ſit verbo venia) diligentia mea inveſtigatum eſt, quod latebat, tantaque Patres fre-

(*a*) Vind. cap. 16. pag. 158. (*b*) Dial. pag. 58.

frequentia ad ſententiam dicendam in Senatum venerunt, ut veritus ſæpe ſim, ne Cadonicum ipſum teſtimoniorum copia obtunderem. Neque tamen omnes, qui ubique fuerunt, Patres in judicium adduxi, teſteſque appellavi: infinita enim ſuſcepta a me fuiſſet oratio; ſed illos ſolum protuli, ab illis dumtaxat opem, atque auxilium petivi, qui nobis hæc ipſa commentantibus ad manus fuere, vel quos adire alibi potui, ſic, ut pœnitendam temporis jacturam non facerem.

78. Erravit tertio Joannes Lamius, qui magnis ornans Cadonicum laudibus ſcripſit, opinionem ab illo excitatam propius ad veritatem accedere, atque ab antiquioribus ſæculis viguiſſe (*a*). Pro ſancte Juppiter! Poteſtne illa opinio non dicam videri ad veritatem propenſior, ſed aliquam habere veriſimilitudinis ſpeciem, quæ cunctis Majorum ſuffragiis, atque omnium Patrum ſententiis jam inde ab ultima vetuſtatis memoria damnata eſt? Hanc tu opinionem, veluti eam, quam ipſa reliquis antiquitas præferat, æquis approbabis judicibus? Num teſtes Lamius, exquiſita licet eruditione vir, ex primo, ſecundo, tertio ſæculo proferet ejus novitatis ſuaſores? Proferat, & tacebimus. Sed audacter dico: propoſitum enim nobis eſt veri reperiendi cauſſa & contra noſtros, & pro alienis etiam dicere, &, cum res poſtulat, utroſque, nullius accepta perſona, ſine contumelia tamen, reprehendere: audacter igitur dico: æquiorem ſe nobis judicem præbuit Gerardus Joannes Voſſius, qui ipſa coactus veritatis vi breviter docuit, ſententiam noſtram & vetuſtate ipſa niti, & multorum, atque ampliſſimorum Patrum auctoritatibus confirmari (*b*).

79. Sed erravit & hic quarto loco, qui paullo poſt fidenti animo addiderit, non ita Patres ei addictos fuiſſe, quin etiam plures in contrarias partes diſceſſerint. Quæ hactenus in veritatis lucem protulimus, pacatis, quæſo, attentiſque animis recolantur; ſic enim mihi blandior, ut futurum eſſe arbitrer neminem, qui, niſi ſi pertinaciſſimus fuerit (nam cum pertinacia, & iracundia recte diſputari non poteſt, ut ſcite admonet Cicero), ſtatim non videat, nullum eſſe inter Patres opinionum diſſidium, ſed omnes in eo mirifice concordare, ut manantem ex Dei viſione felicitatem piorum animis adimant, antequam viam Chriſtus ad cœlum ſuo nobis ſan-

M guine

(*a*) Novelle &c. in Dial. Cadon. pag. 77.
(*b*) Diſput. 6. de ſtatu anim. ſepar. ad 1. quæſt. Tom. 6. Amſtel. 1701.

guine muniviſſet. Teſtimonium quidem ex Ambroſio adhibet Voſſius, fucum ut imperitioribus faciat, ſed qua ratione præclari viri doctrina abuti poſſit, & ex ſuperioribus, ubi de Ambroſio locuti ſumus (§.38.), ſatis perſpicuum eſt, & uberius, ut ſpero, intelligetur ſuo loco [16].

80. Erravit igitur quinto eruditus ille apud eundem Voſſium vir, qui alias quæſivit vias, ut argumenti vim ſubterfugeret, Majorumque auctoritatem quoquomodo eluderet. Quis credat? Ad metonymiam ſe recipit temporis. Putat enim homo acutus, & fideliſſimus voluntatis Patrum interpres, victos ante Chriſti mortem, ſpoliatoſque Inferos dici poſſe, quod ſine illius

16 Cum libros pleroſque omnes, quos mihi aliquid luminis præferre fortaſſe poſſe ſuſpicarer, in manus ſumerem quam cupidiſſime, incidi neſcio quo modo, ſed adulto jam, longéque provecto opere, in Voſſium, ex Voſſio autem cognovi, Patrum, ad quæ ipſe provocat, teſtimonia ab Jodoco Coccio in *Theſauro Catholico* collecta fuiſſe. Ut omnia ego facilius credere ſoleo, quam quod paſſim auctores credi jubent, cum Lectorem ad aliorum libros rejiciunt (ſæpe enim me fefellerunt, erraréque illos quotidie magis experior), Coccium e veſtigio adii, reperique volumine 1. lib. 2. art. 4. id ab eo reipſa præſtitum, quod affirmaverat Voſſius, allatas ſcilicet, poſitaſque in medio auctoritates Majorum, quibus efficeret: *in veteri Lege Sanctorum animas, licet in loco refrigerii, tamen in Limbo Inferorum fuiſſe: Chriſti Salvatoris animam..... vere ad Inferos deſcendiſſe, non ut illic quicquam amplius pateretur: ſed ut Sanctorum, non autem impiorum animas inde liberaret*. Intellexi tunc, mihi pene ipſi ſubiratus, magnam me levationem laboris habiturum fuiſſe, ſi jam inde a principio, quod nunquam in mentem venerat, de adeundo Coccio cogitaſſem. Vidiſſem enim magno ſaltem compendio temporis, quos ego fontes debebam conſulere. Re tamen accuratius conſiderata, non pœnitendum putavi, tantum me operæ, ac ſtudii in exquirendis Patrum auctoritatibus collocaſſe. Quid quæris? Lætari etiam cœpi, quod ingenii mei (ſentio autem cum Tullio, quam ſit exiguum) feciſſem periculum. Eodem accedit, quod Coccius more ſuo perpetuo Majorum loca dumtaxat producit, nunquam explicat, nec illuſtrat, ſæpe libris apocryphis, tanquam germanis, ac legitimis utitur, ſæpe in deſignandis, aut indicandis auctorum teſtimoniis fallitur, ſæpe etiam in conſtituenda ætate, qua quiſque floruerit, labi ſolet, ſæpe denique talia affert, quæ ad cauſſam meam non conveniunt, id unum in omni ſumma oſtendentia, Chriſtum vere ad Inferos abiiſſe. Quod non eo dixerim, ut eruditiſſimi hominis, plurimiſque defuncti laboribus inobſcurem gloriam, ſed eo dumtaxat, ut liqueat, quanta cautione ſcribendi materies ex Coccio ſumenda ſit, néve imperitus aliquis cenſeat, opus hoc ex illius doctrina coagmentatum eſſe, & expreſſum. Candide ego, minimeque aſtute agere ſoleo; Coccium, etſi ſero a me cognitus fuerit, aliquando in ſubſidium adhibui, diſputatio tamen tota mea eſt, ac propria, nec ex Coccii fontibus, quod eſſe nullo modo poterat, irrigata, ut unuſquiſque profecto intelliget, qui auctorem illum utcumque noverit, oculoſque vel præteriens in librum noſtrum conjecerit. Quamquam de his pluſquam ſatis;

illius morte victi, ſpoliatique non ſint. Interpretationem iſtam tamen, tanquam contortam, atque omni nudatam præſidio, Voſſius ipſe repudiat. Et quidem merito. Reperio primum in ea turpem ineſſe, ac puerilem fallaciam, quæ petitio principii eſt, erudito homine indigna. Dicere enim, ante Chriſti obitum peccati regnum funditus deletum, teterrimumque humani generis hoſtem victum, ſpoliatum, ac profligatum fuiſſe, apertas hinc, patefactaſque omnibus cœli fores, quod hæc omnia Servator noſtri capitis Chriſtus oppetita morte perfecerit, quid aliud, obſecro, eſt, niſi, commutatis verbis, ſtatuere, ante Chriſti mortem piorum cœtui, atque concilio æternæ felicitatis præmia tributa eſſe? Atqui hoc in quæſtione poſitum eſt, hoc a nobis omnis memoriæ tabulis, teſtibus, litteris, auctoritatibuſque rejectum. Deinde non illud nunc diſputo, an ea interpretatio fingi queat; hoc ago, an ad Patrum, ſcriptorumque ſententias, quas hactenus recitavimus, convenire poſſe videatur. Nunc autem ita illis contraria eſt, ut nihil magis poſſit eſſe contrarium, cum Patres manifeſte, & conſtantiſſime doceant, peccati vim fractam, atque enervatam, genuſque noſtrum a Dæmonis ſervitute ereptum eſſe, cum clementiſſimus Dei Filius in ſubterraneas illas regiones ſe contulit, antea vero homines in mortis adhuc poteſtate, ac dominatione fuiſſe, Dei opem, atque auxilium in Inferis expectaſſe, atque, ut verbo complectar omnia, necdum opulentiſſimæ illius hæreditatis, quæ filiorum Dei propria eſt, poſſeſſionem adiiſſe (§.19.—75.). Itaque facile ſic exiſtimo, eruditum virum, qui eo commento delectatus eſt, auctoritates Majorum ne de facie quidem noviſſe.

81. Quæ talia profecto ſunt, ut ſtatim hominem de falſa debeant, & inepta ſententia dimovere. Ut tamen una illud efficiam, quod ſupra profeſſus ſum, multos me teſtes prætermiſiſſe, placet hunc locum ornare veteris Gloſſarum in Exodum auctoris teſtimonio, quod nudiustertius mecum communicavit clarus oppido vir, quem rurſus honoris cauſſa libentiſſime nomino, Aloyſius Mingarellus. Gloſſæ illæ prodierunt in lucem ſtudio hujus doctiſſimi, atque amiciſſimi hominis quatuor abhinc annis; auctor vero, ut hic noſter in Præfatione demonſtravit, nono circiter ſæculo floruit; quocirca & ſatis antiquus eſt, & ad perſuadendum idoneus. Qui cum illud Exodi, *tranſibit enim Dominus percutiens Ægyptios* expl-

plicare inſtitueret, *in eadem die*, inquit, *qua percuſſit Ægyptios, eduxit Hebræos, quia quando Diabolum Chriſtus ſuperavit, electos a pœna liberavit. Nam ſicut per Prophetam dicit*: o mors ero mors tua, morſus tuus, ero, Inferne; *in morſu pars tollitur, & pars relinquitur* (ecce autem Gregorii Magni doctrinam, ex quo, ut jam monui, ſæpe alii profecerunt); *quia Chriſtus electos ab Inferno extrahens peccatores cum Diabolo torquendos reliquit* (*a*). Abeat igitur cum ſua illa metonymia temporis Voſſianus Interpres. In hujus enim perſpicuitate ſententiæ obtumeſcat, neceſſe eſt, & demittat auriculas.

82. Atque id multo magis, ſi Diſputatio in medium prodeat *Judæi cum Chriſtiano de Fide Chriſtiana*, quæ duodecimo ſæculo a Giſleberto Weſtmonaſterii Abbate conſcripta ad Anſelmum miſſa eſt, primumque ſuperioribus annis exivit in vulgus opera Gerberonii ex Maurina Familia. Ibi enim complura traduntur, quæ Voſſiani hominis commentum, explicationemque coarguunt, ut cum auctor affirmat, *ne ergo in æternum homo periret, reſtitui hominem oportebat: reſtitui autem non poterat, niſi Deus hominem aſſumeret* [17], vel cum hanc proponit, & una dirimit quæſtionem. *Poſt hanc denique qualemcumque vitam morientes quo tunc ibant? Nemo in cælum, ſed omnes in Infernum: tamen juſti ſpe bona, quod ab Inferis per Chriſtum eruerentur, & per Chriſtum ad ſuperos in cœlum revehi mererentur. Audi Patres eminentiſſimos id aperta voce conteſtantes* (*b*). Utitur nempe pluribus ſacrarum litterarum auctoritatibus, quæ ut Judæum, quocum controverſiam iniit, ſic diſputatorem illum, cujus meminit Voſſius, adducunt in anguſtias [18].

83. Quibus animadverſis, reliquos nunc oporteret adverſariorum errores diluere, ſed commodius in alia tempora inte-

(*a*) Anecdot. Faſcicul. pag. 95. (*b*) Inter oper. Anſel. Tom. 2.

17 Quam ego locutionem, & formulam, quæ de aſſumpto homine eſt, a Theologorum reprehenſionibus vindicavi, ſæpiſſiméque uſurpatam a Majoribus poſui, etiam poſt Epheſina Comitia; eandem hic vides a Giſleberto adhibitam; quod cum & alibi faciat, maneo, firmiorque ſum in ſententia. Sed hæc uberius ſuo loco.

18 Sed & antiquiora teſtimonia adverſus Cadonieum, & Voſſianum hunc hominem proierre poſſem, quæ partim ſilentio tranſeunda putavi, partim oblitus ſum, cum in animo eſſet deſcribere, partim etiam deinceps animadverti. Ut nihil dicam de Paſchaſio Radberto, neque de Leone Magno, Pontifice,

Digitized by Google

integros reſervamus. Unum igitur tantummodo hic ſupereſt, ut invidiam ſcilicet deprecer, quod dixerim, viros doctiſſimos, & acri judicio præditos, Lamium, atque Cadonicum erraviſſe. Nolo ego cujuſquam minuere gloriam, nolo eruditioni ſatis ſpectatæ, & cognitæ aut notam illinere, aut detrahere. Itaque errandi verbum a me poſitum eo dumtaxat valet, ut oſtendam, longo illos intervallo a diſciplina Majorum, ac veritate diſtare (veritate enim nulla mihi amicior res, neque jucundior), non ut talium perſonarum, quas natura ipſa duce, maxime vereor, exiſtimationem lædam, aut dignitatem extenuem. Nemo autem hominum ſic ſapiens eſt, ut ſapientem intelligere volumus, qui non aliquando deſipiat, non hallucinetur, non nubem pro Junone amplectatur; tanta eſt ſcilicet in rebus ipſis obſcuritas, atque in judiciis noſtris infirmitas. Exſpectabit hic aliquis, dum utar Horatiano illo monito, quod omnium jam tritum linguis, & litteris in proverbii conſuetudinem abiit: *quandoque bonus dormitat Homerus*. Ego vero libenter facio, ut quæ in promptu ſunt, prætermittam, reconditiora conſecter.

tifice, cujus luculentos *de Quadrageſima, de Paſſione, de Reſurrectione Domini* ſermones (V. & ſerm. 5. in Nativit.) in manus unusquiſque ſumere, & evolvere poterit, ejus rei ſpecimen capiatur, volo ex Iſidoro Peluſiota. Floruit vir iſte optimus ineunte quinto ſæculo, in quarto autem epiſtolarum extrema epiſtola 180. (edit. Venetæ an. 1745.) admonet, ruiſſe quodammodo Dei Filium ad interitum voluntarium, quia pro amore erga nos ſuo *ad mortem morte mulctandam feſtinabat, & ad vinciendum Diabolum, ad eos quoque qui ab his omnibus captivi tenebantur, liberandos ſe conferebat*. Specimen quoque deſumi poſſet ex Euſebio Emiſeno, ſcriptore quarti ſæculi, ex Gregorio, eo, qui Nicomedienſem gubernavit Eccleſiam, ex Heſychio, Hieroſolymitano primum Sacerdote, poſtea Antiſtite, cognomentoque Theologo (orat. de Reſurr. Dom. Tom. 12. Bibl. PP. Lugdun.), ad quem ponderoſam Gregorius Magnus dedit epiſtolam: quorum ego auctoritates in promptu habeo, in ipſo, quo hæc ſcriberem, articulo temporis mihi oblatas. Sed ſatietati occurrere debeo. Hæc autem eo etiam poſui, ne quis me cenſeat, fucum fortaſſe imperitioribus facere, cum præteriens ſtatuo, cauſſam meam magnorum, atque innumerabilium Patrum oratam eſſe ſententiis. Omnino enim iſto ſe modo res habet, nec proinde exiſtimo, quod ſuſpicatur Cadonicus (Vind. cap. 16. pag. 265.), unquam futurum, ut, ſi Scholaſtici quæſtionem hanc attentius examinandam, atque tractandam ſuſciperent, *in hoc vinci lucrum putarent*. Sed de Scholaſticis mox agemus, videbimuſque, quam vinci nec poſsint, nec debeant.

CAPUT

# CAPUT VIII.

*Nova Cadonici opinio ex concordi Theologorum conſenſu, ipſorumque Hebræorum auctoritate refellitur. Hominis adverſus Theologos conatus ad nihilum redacti. B. Thomæ Aquinatis doctrina fuſe, lateque expoſita, atque illuſtrata. Animadverſio in Pocochium, & Colliberium. Variæ veterum, recentiorumque Hæreticorum in hac cauſſa ſententiæ.*

84. AC de Patribus ſatis dictum eſt. Deinceps ſequitur, ut de Theologis, quorum ſemper in Chriſtiana Republica vivet auctoritas, dicendum eſse videatur. Horum enim in cauſsa, quam defendendam ſuſcepimus, nec variæ ſunt, nec diſcrepantes ſententiæ, ſed ad unum omnes una voce confirmant, pios, qui Chriſti tempora anteceſserunt, non ſtatim ab obitu in Dei conſpectum veniſse, ſumma licet religione homines, ac ſanctimonia. Fatetur id autem, pro eo ſane, ac debet, Cadonicus, quem, ſi fortaſse repugnaret, perfacile eſset teſtium multitudine obruere, nedum convincere. Quippe hanc de veteri illo piorum collegio opinionem, vel certam potius, ſtabilemque ſententiam alte animo imbiberunt Jacobus Vitriacus, Edmundus Cantuarienſis, Albertus Magnus, & ſecundum hos Bonaventura, Thomas Aquinas, Ægidius Romanus, Durandus a S. Portiano, Guido ex Carmelitarum Familia, Petrus Alliacus, Joannes Gerſonius, Laurentius Juſtinianus, Joannes Turrecremata, Cajetanus, Petrus Galatinus, & alii multitudine propemodum innumerabiles. Horum autem nominibus tot virorum, atque tantorum expoſitis (ſupervacaneum enim eſse arbitror loca indicare, vel exſcribere), quis non videat, eam doctrinam Theologis omnibus, iis etiam, qui ante D. Thomam fuerunt, mirum in modum placuiſse? Eſt enim imperiti hominis credere, quod rerum divinarum doctores ad unius ſe Thomæ auctoritatem contulerint.

85. Jam Cadonicus hanc quæſtionem in earum numerum referre ſe ait, in quibus, quid potiſſimum ſequi debeas, non inutiliter eruditus quiſque inveſtigat (a), in quibus ſcilicet omni-

(a) Procem. ad Vindic. pag. 5.

Digitized by Google

omnibus integrum eſt, quam ſententiam ſimiliorem veri putaverint, conſtanter defendere. Longe aliter tamen, quod ſanctum apud nos eſſe debet, Theologorum conſilium. Non ſolum enim veteres, antequam Chriſtus immigravit ad Inferos, a Dei arcent præſentia, verum etiam rem ita teſtatam, cognitam, atque perſpectam eſſe arbitrantur, ut eorum judicio diſſentire, repugnaréque non liceat. Ex infinito propemodum numero (ſæpe enim his verbis utendum mihi eſt) unus erit inſtar omnium Petavius. Hic 13. de Incarnat. libro cap. 18. num. 5. poſtquam de Chriſti deſcenſione ad Inferos accuratiſſime diſputaſſet, *illud præterea*, inquit, *ex omnium Patrum ſententia conſtituendum eſt, ideo Chriſtum ad Inferna deſcendiſſe, ut Sanctorum animas illinc extraheret, ac ſempiterna felicitate donaret. Quocum implicatum iſtud, & annexum eſt, ante Chriſti obitum Patriarcharum, & Prophetarum animas, reliquorumque Sanctorum nondum in cœlis admiſſas fuiſſe, ſed in ſubterraneis illis egiſſe locis.* Factum hinc eſt, ut qui noſtra, vel patrum memoria Theologiæ corpora emiſerunt in lucem, Juveninus, Hamelius, Habertus, Boucatus, Tournelyus, Vitaſſius, Bertius, cæteri id ne explicandum quidem, aut demonſtrandum ſuſceperint, ſed ſuo veluti jure ſumpſerint pro re conceſſa, & probata, quo loco eam dirimunt quæſtionem, an nunc bonorum animi, qui quidem expiatione non indigent, poſt diſceſſum e vita ſtatim in cœlum avolent, atque intueantur in Deum. Eademque de cauſſa Hieronymus Vida, Poeta longe elegantiſſimus, in ſexto Chriſtiados libro, cujus illi ſcribendæ negotium datum eſt a ſummis Pontificibus Leone X., & Clemente VII., de ſinu Abrahæ, bonorumque animis eo collectis hunc in modum confidentiſſime cecinit.

*Innocuæ circum ſedes, ſecretaque longe*
*Atria circuitu longo: hic incendia nulla.*
*Nulli obſunt penitus flammis ultricibus ignes:*
*Umbrarum ſed iners requies, penituſque ſilentis*
*Mundi temperies: ſecretæ his ſedibus ævum*
*Inſontes degunt animæ, quibus haud ſua damno*
*Admiſſa: at primi ſcelus exitiale parentis*
*Detinet hic clauſas, noſtræ nil lucis egentes,*
*Pœnarum prorſum expertes, niſi luce carerent*
*Jucunda, qua gens gaudet ſtellantis olympi.*

86. Quæ

86. Quæ cum ita ſint, nullo jure adverſarius reprehendit Tournelyum (a), quod cum difficiliora quædam Auguſtini loca explicaret, a pervagata illa, & illuſtri omnium Theologorum ſententia non abierit. Quam feliciter Auguſtinum defenderit, atque expiaverit, noſtra hic non intereſt quærere: viderit adverſarius; hoc ajo, hoc voce maxima profiteor, & prædico, cum univerſus Theologorum Senatus cunctis ſuffragiis aliquid docet, ac ſtatuit, quod præſertim religionem attingit, firmo id, certiſſimoque eſſe argumento, rem ita ſe habere, ut contra dicere, in aliamque opinionem relabi nefas ſit, quemadmodum norunt omnes, qui vel primoribus labris aureos Cani libros de locis Theologicis deguſtarunt. Illa igitur docti hominis interrogatio, num verba Gallo Theologo deerant, quibus honorabilem Scholaſticorum cœtum, etſi improbaſset decreta, ample tamen, liberaliterque tractaret?, cauſsam non adjuvat, cum ſumat ad concludendum ea, quæ nullo modo conceduntur. Præſertim in controverſia, quæ nunc in judicium venit, in qua qui hanc Scholæ ſententiam pertinaciter refutarint, hi invenientur & fontem, ideſt ſacroſanctam Majorum auctoritatem, & fidem (§. 19.—75.), unde illa manavit, repudiaſse. Quæ autem Majorum doctrinæ adverſa ſunt, ea nos hic non odimus ſolum, ſed tanquam venena refugimus (§. 76.). Prætereo ſacras litteras, Eccleſiæ judicia, rationis momenta, quibus Theologi adduci facile potuerunt, ut hominibus, qui apud Hebræos, vel apud exteras nationes ſancti ſunt habiti, atque dicti, ante Chriſtum mortuis Dei viſionem, & conſpectum eriperent. Nondum enim hos fontes adivimus. Mihi vero ea ſemper diſputandi ratio placuit, quæ Mathematicorum ratione, & via unamquamque artificioſe rem ex ſuperioribus colligit.

87. At enim Theologi diſſident inter ſe, atque diſcordant; ex quo fieri profecto debet, ut parum habeat virium ad faciendam fidem argumentum ex illorum auctoritate depromptum. Dicetur aperte, B. Thomas Aquinas, qui piorum animos in ſinum, complexumque Abrahæ venientes jucundiſſimo Dei conſpectu perfrui interim noluit, ſolo fortaſse motus ſermonis ejus teſtimonio, quem veluti fœtum parenti ſuum, Auguſtino relinquendum putaverat (nos ſupra adulterinum eſse poſuimus (§. 59.), mœrere eos caſum ſuum, eſséque in luctu,

(a) Vind. cap. 16. pag. 26.

luctu, in dolore, atque in angoribus credidit. Nec ſane ſine prudenti conſilio. Triſte eſt enim nomen ipſum carendi, quia ſubjicitur hæc vis: non habet, deſiderat, requirit, indiget, vel quia, ut apertius loquar, ſignificat egere eo, quod habere velis. Omnino enim ineſt velle in carendo, niſi, cum ſic, tanquam in febri, dicitur, alia quadam notione verbi. Quis autem non mœreat, nec vehementiſſime angatur Dei deſiderio, quo carere neceſse ſit, etſi ad illum toto pectore, ut dicitur, rapiatur? At juniores Theologi, quorum eſt in animis tenerum quiddam, atque molle, lenitatis, & miſericordiæ perſonam appetentes non quietam ſolum, & tranquillam vitam piorum animis liberaliter tribuunt, ſed etiam partem quandam felicitatis. Ut igitur ipſi multo ante abjecerunt Thomæ ſui ſententiam, propterea quod paullo durior, atque ſeverior videatur; ita moleſte ferre non debent, ſi Cadonicus nec Thomæ auctoritatem ſequatur, nec in ipſorum doctrina acquieſcat, quæ eo tandem, alte ſi ſpectes, revolvitur, ut graviſſimam pœnæ, quæ damni eſt, acerbitatem, ac vim, a D. quidem Thoma probe animadverſam, atque intellectam, magnopere extenuet.

88. Hæc noſtro more nos diximus, Cadonicus dicit ſuo (*a*). Sed quæ dixerit, nunc conſideremus, quo modo negligamus. Quid enim negotii eſt huic rationi obſiſtere, atque omnes radicum fibras evellere, ſic, ut ad nihilum veniat? Vide, quæſo, quam veritas præſidentem me facit. Nego, B. Thomam unius ſermonis, Auguſtino ſuppoſiti, auctoritate adductum noſtræ ſententiæ præluxiſſe. Nam ibidem rei, de qua agimus, cauſſam manifeſte repetit ab hæreditario primi parentis flagitio, nec ullo modo mihi probabile fit, ſummo virum ingenio, & excellenti doctrina præditum, quæ reliqua ſunt, cauſſæ præſidia non vidiſſe. Nego illum, quod tacite videtur Cadonicus ſumere, auctorem, principemque fuiſſe, cæteris ad ſuſcipiendam, atque ad ingrediendam hujus diſciplinæ rationem. Nam & tota Patrum antiquitas, nedum alii Theologi (§. 84.), ante D. Thomam veteres Patriarchas, Prophetas, omnemque illam piorum familiam Dei adſpectu, conſuetudinéque privaverat. Nego, poſſe idcirco adverſarium a Thomæ Aquinatis, ideſt a Majorum doctrina recedere, atque aliam viam, inſtitutumque tenere. Si faciat, recu-

N

(*a*) Prooem. ad Vindic. pag. 4. & 5.

cuſare non poterit, quin in odium, atque offenſionem Theologorum omnium ſua ſponte irruere videatur. Nego denique, Thomam, & Scholaſticos inter ſe differre ſententiis. Aut enim totus fallor, aut eorum judicia, opinioneſque concordant. Paullo hæc diligentius exponamus.

89. Magna noſter auctoritate doctor exiſtimat, piorum animos in luctu, ac dolore verſari. Non repugnant Theologi. Sic enim plerique omnes, quos equidem viderim, intelligunt, debere eos angi, ac mœrere, qui, cum impellantur, atque incitentur ad conſpiciendum, totaque mente contrectandum Deum, optatiſſima tamen re non fruuntur. Tota igitur opinionum varietas huc recidet, quod reliquorum Theologorum judicio quiete, & tranquille vivunt, non omnis prorſus felicitatis expertes. At ne hoc loco quidem vir ſummus diſſentit. Principio enim piorum licet animos mœrere, atque angi affirmet inexplicabili videndi Dei deſiderio, litteram tamen nullam reperies, qua illis quietem, & tranquillitatem vitæ, atque omnem penitus felicitatis partem invideat. Quid, invideat, dico? Quando lectiſſimis verbis, atque ſententiis utrumque tribuit, concedit, impertit? Nam 3. par. quæſt. 52. art. 2. ad 4. profitetur, *quod ſinus Abrahæ poteſt ſecundum duo conſiderari, uno modo ſecundum quietem, quæ ibi erat a pœna ſenſibili, & quantum ad hoc non competit ei nec nomen Inferni, nec ſunt ibi aliqui dolores. Alio modo poteſt conſiderari quantum ad privationem gloriæ ſperatæ, & ſecundum hoc habet rationem Inferni, & doloris*. Tribuit igitur noſtris in prima hujus orationis parte vitam quietis, & tranquillitatis pleniſſimam. Eſt hæc autem, opinor, non exigua felicitatis pars, de qua tamen, ſi expreſſius a Thoma, illuſtriuſque deſideres teſtimonium, præſto eſt ibidem art. 6. ad 2, in hæc verba. *Cum dicitur in gloſſa*: unde nulla miſericordia eos refrigerabat, *intelligendum eſt, quantum ad refrigerium perfectæ liberationis, quia ſancti Patres ab illis Inferni carceribus ante Chriſti adventum non poterant liberari*. In mediis ergo doloribus, ſi quidem refrigerii vocabulum recte accipio, pii illi, Thoma auctore, ſua habebant oblectamenta, & ſolatia ſervitutis, ideſt, etſi aſſervati in cuſtodia, aliqua tamen felicitate utebantur. Et certe quis exiſtimet, eximia ſapientia, ingenio, ſagacitate doctorem non ea odoratum eſſe argumenta, quibus inducti Theologi ſunt, ut piorum animis probe

probe expiatis tranquillitatem vitæ, & certam quandam felicitatis partem relinquerent? Hi igitur cum illo ſententiis non diſcordant, quod luculentius ex ipſo Thoma cap. 12. oſtendetur.

90. Sed enim luctus, mœror, angor animi pugnat cum quiete, hilaritate, ſolatiis. Hoc etiam quale ſit, infra videbimus. Nunc ſic habeto, quamvis Thomas Aquinas, Scholæque Theologi in ſuperiori illo rerum genere ſibi ipſi maxime diſcreparent, Cadonici tamen argumentationem nihil omnino habituram ad perſuadendum momenti. Fac enim, exploratum non ſit, interque illos non conſtet, dolerent ne boni in ſinu Abrahæ, an gauderent, ſuæque eſſent felicitatis, beatitudinisque participes. Quid? An non concordiſſime tradunt, atque uno ore conſentiunt, eorundem animos Dei adſpectu orbatos fuiſſe? Qua una in primis re liquida, ac ſolida, atque omnibus expleta partibus beatitudo continetur? Numquid fortaſſe opinionum in explicandis rei adjunctis diſſenſio conſtantiſſimum illum, atque perpetuum in re conſenſum enervat? Numquid continuo licebit ei piorum cœtui ante Chriſti profectionem ad Inferos, velint, nolint Theologi, tota licet reclamet antiquitas, Dei viſionem concedere? O præclare! Hoc modo poteris cum alia, tum divinæ etiam gratiæ efficacitatem reſpuere, quando inter ſe diſſident, diſcordantque Theologi, unde illa deſumi debeat, aliis ex liberæ voluntatis conſenſu, aliis ex circumſtantiarum, ut vocant, opportunitate, aliis cum Thomaſino ex quodam veluti cumulo gratiarum, cæteris optime omnium ex intima ipſius gratiæ vi, & natura, quæ animum vel delectat, vel abripit, eam repetentibus. Quod ſi hoc nemini, ne illud quidem licebit Cadonico. Gratiæ, ais, divinæ diſpar eſt ratio. Ejus enim adjumenti efficacitas & certa Eccleſiæ doctrina, & divinis oraculis nititur, non item hoc, quod Patres noſtri Deum in ſinu Abrahæ coram non viderint. Falſo id quoque dicitur, quemadmodum infra multis, ut ſpero, magniſque argumentis demonſtraturus perſpicue ſum, poſtquam veterum in hac cauſſa Judæorum teſtimonia, atque auctoritates attulero.

91. Nam, quod admirationem in multis efficiet, non Patres ſolum, & omnis Theologorum familia, ſed antiquiſſimi etiam, nobileſque Hebræorum doctores Cadonico adverſantur; tanta eſt ſcilicet hominum cujuſque generis voluntatum, ſententiarumque conſenſio. Sunt in hoc numero R. Hac-

cados, R. Simeon Jochai filius, Moſes Hadarſan, Midras Thehillim, Midras Schir Haſchirim, & alii plurimi, quorum in libris, vel commentariis eadem plane, quæ noſtra, de Meſſiæ deſcenſione ad Inferos, captivorumque liberatione doctrina continetur. Itaque perutile fuerit totam paucis exponere. Eſt igitur apud Haccados: *hic item Deus ſanctus, & benedictus eſt, qui dixit: decrevi deſcendere ad Inferos, ad redimendas animas juſtorum, quas in virga indignationis ſuæ Pater meus, qui eſt in cœlis, illuc detruſit propter peccatum* (a). Meſſiam hic & Dei Filium, & Deum appellat Haccados. Apud quem R. Simeon Jochai filius idem dedit noſtræ ſententiæ teſtimonium. *Tunc anima* Meſſiæ, inquit, *deſcendet ad Inferos, apud quos triduo morabitur, ut inde omnes animas Patrum, juſtorumque educat, ſicut dictum eſt Gen.* 47. ego deſcendam tecum in Ægyptum, & ego inde educam te. *Et faciet Deus ſanctus, & benedictus, ut eos in Paradiſum deducat, ſintque læti in gloria Dei*. Lætari in Dei gloria nihil aliud, niſi fallor, ſibi vult, quam voluptatem ex Dei conſpectu maximam capere, eumque intuendo præſentem bonis frui omnibus, nullo adjuncto malo. Neſcio igitur, quo jure Pocochius, atque ex Pocochio Colliberius (b) doceat, Hebræorum hanc eſſe ſententiam, ut piorum animi ante extremum illum diem in Dei conſpectum non veniant, medio interim quodam ſtatu futuri. Jam R. Moſis Hadarſan auctoritas dudum producta eſt, explicatáque ab Huetio (c). Is teſtificatur, R. Joſue ben Levi narraſſe, ſe Meſſia Davidis Filio comitatum iter feciſſe cum Kippod, Angelo mortis, Gehennæque præfecto, donec ad Inferorum fores perventum eſt. Captivos illuc truſos, & vinctos, vix conſpecto, qui charus omnibus, exſpectatuſque venerat, Meſſiæ lumine, omnibus eum excepiſſe lætitiis, certo ſperantes fore, ut ejus benignitate, ac potentia ex tantis in lucem tenebris vindicati longe meliorem experirentur fortunam, quemadmodum non Oſeas ſolum illis verbis oſtenderat, *de manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos*, ſed Propheta quoque majorum gentium Iſaias hunc in modum: *& redempti a Domino convertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum, gaudium, & lætitiam obtinebunt*. Sionis autem voca-

(a) In Revelatore Arcanorum. (b) Penſées lib. ſur l'Ame Eſſai 4. V. infra. (c) Demonſtr. Evang. prop. 9. cap. 141.

vocabulum eo loco ſignificare Paradiſum (*a*). Quæ hominis oratio ut rurſus Pocochium, Colliberiumque redarguit, nec recte illos de Hebræorum doctrina ſtatuere oſtendit, ita opinioni Cadonici inimica eſt, maximeque adverſaria.

92. Addere poſſem ad obtinendæ veritatis ſpem Midræ Thehillim (*b*), Midræ Coheleth (*c*), R. Salomonis (*d*), cæterorumque ſententias: locupletes enim ſunt, & perſpicuæ; ſed ne ſingula ſeorſim exſequens moleſta, ut accidit, videatur oratio, teſtem univerſe optimum, atque ampliſſimum dabimus Joannem Driedonem, doctiſſimum hominem, & eruditiſſimum, qui de Hebræis ſic loquitur. *Magiſtri Hebræorum viam, inquiunt, adulterorum eſſe, ut ſint in profundo Inferni, ſed inde, inquit David, liberaſti me, quando mihi dixit Nathan ſecundi Regum* 11. Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris. *Dicens ergo Propheta, ſe ſe liberatum ab Inferno inferiori, dedit intelligere, quendam Infernum eſſe ſuperiorem, & ab eodem tunc temporis animam ſuam non eſſe liberatam. Quod Chriſtiani vocant limbum Patriarcharum, vel ſinum Abrahæ ante Chriſti mortem, hoc Hebræi vocant apothecam, cellarium, vel locum conſervatorium animarum juſtorum hominum: & iſte Infernus eſt, ad quem Chriſtus deſcendit*, ut eum ſpoliaret, captivoſque de exilio in patriam aliquando tandem reduceret (*e*).

93. Exiſtimarunt igitur vetuſtiſſimi Hebræorum doctores, & argumentis oſtendere conati ſunt, piorum animos, qui ante Meſſiæ in has oras adventum evaſiſſent ex corpore, nondum tam felici uſos conditione, nec in eum locum veniſſe, ut in cœleſtium admiſſi concilium Dei præſentia, boniſque omnibus fruerentur. Eáque opinio non aliquorum dumtaxat mentes, neque has improvidas, occupavit, ſed omnibus retroactis ætatibus toti Synagogæ, atque adeo univerſo Judæorum populo probata eſt. Ne addubites, facit Midræ Schir Haſchirim teſtificatio, paullo illa quidem contortior, & impedita, digna tamen, quæ proferatur in lucem. Auctor enim ea Canticorum verba, *ego narciſſus, vel roſa terræ &c.*, quæ ſunt cap. 2. interpretans, *hoc eſt*, inquit, quod *ſcriptum eſt pſal.* 130. de profundis vocavi te Deus. *Dixerunt autem Magiſtri*,

(*a*) In Bereſith Rabba cap. 24. (*b*) In pſal. 48.
(*c*) In cap. 1. Eccleſiaſtis. (*d*) In cap. 37. Gen.
(*e*) De Captivit. & Redempt. gen. hum. tr. 2. cap. 1. edit. Lovanii 1572. pag. 7.

*giſtri*, *quod Eccleſia Iſrael dixit hoc*, *quæ ait*: ego ſum dilecta Deo; ego quippe data ero in profundis Gehennæ, quatenus redimat me inde Deus ſanctus, & benedictus. *Hoc eſt autem*, *quod dictum eſt pſal.* 89. & ſubire me fecit de puteo tumultus, & de luto fæcis, *ideſt de Inferno..... Et ipſum eſt*, *quod David per Spiritum ſanctum dixit pſal.*23. „ & cum ambulavero in valle umbræ mortis, *ideſt Inferni*, non timebo malum, quoniam tu mecum eris „. Cui orationi doctor ille Judæus adſcribit tandem hanc clauſulam: *hæc omnia traditio*.

94. Verumtamen licet Majores noſtri, licet Theologi, licet ipſi Hebræorum doctores magna animorum contentione Cadonici refellant, exagitentque ſententiam, fatendum eſt nihilominus, eandem non omni nudatam eſſe præſidio. Habet & ille, vera ſi loqui volumus, ſui juris defenſores, habet, qui ferant ſuppetias, Bezam, Cameronem, Martinium, Limborchium, Cattenburghium, ſimiles. His enim placet, etiam ante Chriſti obitum cœlum optimo cuique patuiſſe, ſtatimque a morte factam piorum animis videndi Dei poteſtatem. Extra jocum. Qui idem cum Cadonico ſentiant, ſoli illi ſunt, qui Romani Pontificis abjecerunt obedientiam, omnes reliqui mirabiliter diſſident. Quod non eo dico, ut religioſiſſimum, atque doctiſſimum virum in invidiam adducam (omnis enim in diſſerendo habenda ratio, & diligentia eſt, ut diſputationes acerbitate careant, & contumelia, ne Græcorum ſequi levitatem, atque impudentiam videamur), ſed ut unuſquiſque perſpiciat, quæ demum judicia de ea opinione facere oporteat, quæ odioſa, atque inviſa Patribus, Theologis, Hebræis, gratiam dumtaxat ab aliquibus hæreticis iniit.

95. Ab aliquibus vero hæreticis. Lutherus enim, Calvinus, atque alii plurimi, qui ſuperiori, vel noſtra fuerunt memoria, ſempiternam omnium hominum beatitudinem ad illa uſque tempora diſtulere, quibus uniuſcujuſque animus iterum cum ſuo corpore conjungetur [19]. Henricus Bullingerus dum

19 *Cum Scriptura*, ait Calvinus, *ubique jubeat pendere ab exſpectatione adventus Chriſti*, *& gloriæ coronam eo uſque differat*, *contenti ſimus his finibus divinitus nobis præſcriptis*: *animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere*, *ubi cum feliel lætitla fruitionem promiſſæ gloriæ exſpectant*. Lib. 3. Inſtit. cap. 25. num. 6. Etſi autem hic homo bonorum animos a Dei conſpectu longe ejectos exiſtimet, parum tamen ſibi conſtans, ut ſolet, veteres etiam Patres in cœlo eſſe voluit, atque habitare, priuſquam mor-

dum ad explicandum ingreditur de Chriſti ad Inferos migratione, *ſimplicius videbimur*, inquit, *hunc articulum intelligere, ſi ſenſerimus, virtutem mortis Chriſti etiam dimanaſſe ad defunctos, & his profuiſſe, hoc eſt, propter mortem Chriſti omnes Patriarchas, & fideles homines ante Chriſti adventum mortuos ab æterna morte ſervatos eſſe* (*a*). Voſſius etiam, multique, quos nominat, nobis ex omni parte aſſentiuntur, veterum inſiſtentes hæreticorum veſtigiis, qui, etſi falſa veritati admiſcuerint, illud tamen conſtanter agnoverunt, viros ſanctos, & probos, ante Chriſtum defunctos, hæreditatem filiorum Dei propriam, quæ nimirum in ejus fruenda divinitate, ac pulchritudine poſita eſt, non ſtatim ab obitu adiiſſe. Ita ſane docuit Marcion, de quo interim Cotelerius conſulendus (*b*), ita apud Auguſtinum Fauſtus Manichæus, confirmans, vetuſtiſſimos Hebræorum Patriarchas, pioſque cæteros *longo intervallo de terra, ac pœnali Infernorum cuſtodia, ubi ſe vitæ merita coercebant, a Chriſto Domino noſtro liberatos* (*c*). Quo fit, ut, ſi rem exigue, & exiliter revocemus ad calculos, major Heterodoxorum pars a nobis potius futura ſit, quam ab adverſario. Sed cum nos talium perſonarum ſuffragio non egeamus (ſpargunt enim, & ubique evomunt virus acerbitatis ſuæ), ad Eccleſiam, cujus tum auctoritas, tum doctrinæ in hoc genere & copia, & perſpicuitas ſumma eſt, orationem utilius convertemus.

mortem Servator noſtri capitis Chriſtus oppeteret. Quoniam vero facile erat cognoſcere, eum repugnantia loqui, & contraria, nec ulla ſuppetebat ratio, qua tam levem, falſitatiſque convictam opinionem muniret, ita diſputat Sophiſta aſtutiſſimus, ut nihil minus, quam venenatum hoc telum velle jacere videatur. Proferam ejus verba, hinc ut appareat, quam ingenio malo, pravoque Calvinus ſit, ad fallendumque compoſitus. *Nec vero*, inquit, *certum locum imaginari neceſſe eſt, cum ſinus Abrahæ nominatur; ſed tantum collectio illa, quam dixi, notatur: ut ſcilicet reipſa agnoſcant fideles, ſe non fruſtra ſub fidei Abrahæ auſpiciis militaſſe, quia eodem in cælis domicilio fruuntur*. In cap. 16. Lucæ. En quibus ducibus, & quam acutis diſputatoribus Heterodoxi noſtrorum temporum glorientur.

(*a*) Dec. 1. in expoſit. ſymb. (*b*) In not. ad Herm. lib. 3. ſimilit. 9. n. 16.
(*c*) Lib. 33. cont. Fauſtum cap. 2.

CAPUT

# CAPUT IX.

*Proponitur argumentum ex doctrina Eccleſiæ, ideſt ex Catechiſmo, & Breviario Romanis deſumptum. Quæ, & quanta ſit primi illius auctoritas. Quinam in eodem componendo operam ſuam poſuerint. Catechiſmum a Pogiano latine ſcriptum, atque explicatum fuiſſe. Pogiano ſimiliter Romani Breviarii hiſtorias deberi. Objecta Cadonici, argumentum ſuperius nitentis infringere. Varia, ac multiplex eorum diſſolutio. Preces quædam Eccleſiæ explicatæ. Pii II. Romani Pontificis litteræ noſtram ſententiam illuſtrantes.*

96. Scientiſſime, ut ſemper ſolet, ab omni politiore elegantia, & reconditioribus litteris inſtructiſſimus vir, Melchior Canus admonuit (a), nullum repertum iri dogma, quod Patres noſtri, atque Theologi uno ore tradiderint, quin idem univerſe Eccleſia teneat, eorum teſtimoniis, atque auctoritate permota. Quippe duodeviginti abhinc propemodum ſæculis, ſi quos illa errores execrata eſt, & damnavit, ſi quæ de Religione, de cæremoniis, de moribus decreta edidit, omni loco, & tempore utrorumque ſubſidio, ac diligentia vehementer adjuta eſt, ubique ſemper eorundem copiis, atque armis pugnavit. Id conſtat inter omnes, qui ſtudium aliquod in cognoſcenda vel ſola Comitiorum Tridentinorum hiſtoria collocarunt, & in hac præſertim controverſia exploratum eſt, Patribus, Theologis, Eccleſia in eandem ſententiam ſummo conſenſu abeuntibus. Cujus rei ex Catechiſmo Romano tam certà, ac manifeſta ſuppetunt documenta, ut ne Cadonicus quidem, qua eſt probitate, ac fide, repugnare ullo modo potuerit. Teſtimonia ecce tibi. *Tertium poſtremo receptaculi genus eſt, in quo animæ Sanctorum ante Chriſti Domini adventum excipiebantur, ibique ſine ullo doloris ſenſu, beata redemptionis ſpe ſuſtentatæ, quieta habitatione fruebantur. Horum igitur piorum animas, quæ in ſinu Abrahæ Salvatorem expectabant, Chriſtus Dominus ad Inferos deſcendens liberavit* (b). Et paullo poſt: *alii omnes, qui de-*

*ſcen-*

(a) Confer lib. 7. de Loc. cap. 3. concl. 5. & lib. 8. cap. 4. concl. 3.
(b) Par. 1. de ſymb. cap. 6. art. 5. num. 3.

*ſcenderant, partim pœnis acerbiſſimis torquebantur, partim vero, ut alio doloris ſenſu carerent, tamen Dei adſpectu privati, & ſpe beatæ gloriæ, quam exſpectabant, ſuſpenſi torquebantur. At Chriſtus Dominus deſcendit, non ut aliquid pateretur, verum ut ſanctos, & juſtos homines ex miſera illius cuſtodiæ moleſtia liberaret, eiſque paſſionis ſuæ fructum impertiret* (*a*).

97. Quam doctrinam, ut altius in mentibus hominum hæreret, nec ignorari a quoquam poſſet, ſtatim ejus libri auctores & Chriſtiano populo palam, ac publice explicandam eſſe præcipiunt, & divinis oraculis ex Oſea, Zacharia, & Paulo deprompt is confirmant, ac muniunt. Nam demonſtraturi, quibus tandem de cauſſis Dei Filius ſubterraneas illas regiones adire voluerit, hanc fuiſſe principem, atque graviſſimam ſtatuunt, *ut ereptis Dæmonum ſpoliis, ſanctos illos Patres, cæteroſque pios e carcere liberatos ſecum adduceret in cælum, quod ab eo admirabiliter, ſummaque cum gloria perfectum eſt. Statim enim illius adſpectus clariſſimam lucem captivis attulit, eorumque animas immenſa lætitia, gaudioque implevit, quibus etiam optatiſſimam beatitudinem, quæ in Dei viſione conſiſtit, impertivit: quo facto id comprobatum eſt, quod Latroni promiſerat illis verbis*, hodie mecum eris in Paradiſo. *Hanc vero piorum liberationem Oſeas tanto ante prædixerat in hunc modum*, ero mors tua, o mors, morſus tuus ero, Inferne. *Hoc etiam ſignificavit Zacharias Propheta, cum ait*, tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. *Idipſum denique expreſſit Apoſtolus illis verbis*: exſpolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo (*b*). Ex Catechiſmi ergo Romani, atque adeo ex ipſius Eccleſiæ doctrina apertum eſt, atque perſpicuum, bonorum animos, qui ante Chriſti migrationem ad Inferos obierunt, quieviſſe in ſinu quidem, complexuque Abrahæ, tanquam in portu otii, tranquillitatiſque pleniſſimo, nondum tamen tam beatos fuiſſe, ut ſe illis Deus in conſpectum daret, & coram videndum, atque fruendum objiceret.

98. Neque vero tunc primum, cum is liber prodiit, eam Eccleſia ſententiam arripuit, ſed ab omni ſemper antiquitate ſtudioſiſſime adamavit. Quod quidem ipſa per ſe lo-



(*a*) Ibid. num. 5. (*b*) Ibid. num. 6. V. & art. 6. num. 6. & alibi.

quitur res. Locupletiſſimo enim argumento ſunt & teſtimonia fere innumerabilia, quæ ſupra ex tenebris in veritatis lucem protulimus, & Lugdunenſis nominatim Eccleſia, cujus judicio Conſervator humani generis Chriſtus *ſuam paſſionem, & mortem, atque ad Inferos deſcenſionem illis ſolis jam defunctis, & quamvis apud Inferos, tamen in locis tranquillitatis, & lucis conſtitutis exhibuit, qui in fide futuri adventus ejus, ac redemptionis ſuæ paſſionem, & deſcenſionem ad eos Domini pro deſiderio exſpectabant* [20]. Ubi piorum manes in Purgatorio torti adhuc in tenebris, in pœnis, atque in ſuppliciis relinquuntur. Liquet etiam eiſdem ex locis, nullum eſſe tam remotum in Eccleſia angulum, quem non illa doctrina pervaſerit. Idque confirmant præterea Catechiſmi omnes, quos viderim, Hiſpanus potiſſimum. Nam in fidei ſymbolo, quod ex quatuordecim conſtat articulis, diſtincte hoc, & explicate credendum proponit: *quartus articulus eſt, quod deſcendit ad Inferos, & inde eduxit animas SS. Patrum, qui ejus adventum exſpectabant*. Romanus omnium manibus teritur, omnium fere linguis, ac litteris celebratur. Nam quo anno latine prodiit, eodem Italice redditus eſt ab Alexio Figliuccio de Prædicatorum Familia, deinde gallice ab aliis, germanice, atque polonice; ut idcirco facile omnes intelligant, ſententiam, quam defendimus, quocumque loco, ac tempore Eccleſiæ placuiſſe.

99. I. Liquidius autem de tota hac re judicabimus, ſi quantum auctoritatis ei libro deferre oporteat, breviter explicemus. Compoſitus eſt enim ex edicto Tridentini Concilii, idque ſalutari prorſus, divinoque conſilio, elaboratus ſumma induſtria, & maximis ſtudiis a gravibus, ſcientiſſimiſque Theologis, juſſu Pii IV.; perpolitus tandem, recognitus, approbatus, in lucemque editus, Pio V. Romano Pontifice; quibus ex quatuor rebus, quantum libri auctoritas valeat, documenta capere egregia poſſumus. Catechiſmum igitur primum componi,

20 Lib. de tenenda veritate ſcripturæ. Diu me latuit, quo is liber tempore in lucem exierit, ac diu etiam irrito labore perquiſivi. Nunc ſi quis avet cognoſcere, is ſic accipiat, libellum hunc prodiiſſe tempore circiter, quo habitum eſt Valentinum Concilium, medio ſcilicet nono ſæculo. Vid. §. 69. Auctor, quis fuerit, ignoratur. Scripſit autem, ut diximus, nomine Lugdunenſis Eccleſiæ, & trita omnium ſermonibus capitula quatuor, ab Hincmaro adverſus Goteſchalchum compoſita, ſtrenue confutavit. Ex Sirmondo in not. ad Valent. Conc.

poni, emittique in manus hominum voluit Tridentinorum Patrum Concilium, quod maxime auctoritatem facit. Ratione autem, qua moti ſunt, nihil divinius, neque opportunius. Hæreticorum per ea tempora impietas, omnibus Satanæ artibus inſtructa, tam longe progreſſa erat, ut nullis fere certis finibus contineri poſſe videretur. Cumque illi, præter grandiora volumina, infinitos etiam libellos conſcriberent, qui, cum pietatis ſpeciem præſeferrent, incautos ſimplicium animos depravabant, abducebantque in errorem, ut tanto, ac tam pernicioſo malo medicinam aliquam adhiberent, faciendum Patres putarunt, ut Romanus Pontifex inſtitutionem quandam ederet, quam maxime Parochi, Sacerdoteſque omnes in erudiendo populo ſequerentur. Multi quidem antea in hoc ſcriptionis genere cum magna pietatis, ac doctrinæ laude verſati fuerant, ſed tamen Patribus viſum eſt maxime referre, ſi liber tam auguſti Senatus auctoritate ederetur, unde illi, quibus docendi munus legitime impoſitum eſſet, certa præcepta petere, atque depromere ad fidelium ædificationem poſſent: ut, quemadmodum ex Pauli monito *unus eſt Dominus, una fides*; ita etiam una foret tradendæ fidei ratio, ad omniaque pietatis officia Chriſtianam plebem erudiendi communis regula, atque præſcriptio (*a*).

II. Pius IV., cujus prudentia optatiſſimos concilium exitus habuit, ut Patrum voluntatibus obſecundaret, ſtatim de componendo Catechiſmo illo cogitavit. Eam vero ad rem quatuor viros delegit Theologiæ laude præſtantes, ſcribendi autem, ac explicandi ea, quæ illi contuliſſent, negotium Pogiano dedit, ut ex graviſſimis monumentis cognoſcitur. Ac Theologos quidem, qui doctrinam, non qui latinitatem, atque elegantiam in id operis contulerunt, quatuor fuiſſe, teſtis locuples eſt Gratianus in epiſtola ad Cardinalem Commendonum. Sed diſſentire Julius Pogianus videtur. Nam in ſuis ad Annibalem Minalem litteris, menſe Decembri anni 1564. datis ſic loquitur. *Datum eſt negotium a Pontifice Maximo* Pio IV. *tribus Epiſcopis, ut ex decreto Tridentini Concilii commentarios componerent Chriſtianæ diſciplinæ, ex quibus paratam, & promptam habere poſſent Sacerdotes materiam, ac rationem inſtituendi eos, qui ipſorum fidei, prudentiæque commiſſi eſſent*. Qui tamen tribus Epiſcopis datum id nego-



(*a*). Ex Catech. Rom. Præfat.

negotium ſcripſit, non debuit de quarto alio Theologo non Epiſcopo, qui illis adjunctus, & tanquam miniſter datus eſſet, neceſſario mentionem injicere. Ac certe non tres, ſed quatuor omnino, ut mox docebimus, Theologi illi fuerunt.

III. Trium nomina, vitæque rationem, atque inſtitutum multi jam memoriæ prodiderunt, in primiſque Hiacynthus Graveſonius, quem ſi ſequimur, *Catechiſmus Concilii Tridentini..... compoſitus fuit a tribus Ordinis FF. Prædicatorum patribus, videlicet a Leonardo Marini, Archiepiſcopo Lancianenſi, Ægidio Foſcarario, Epiſcopo Mutinenſi, & Franciſco Forerio Tridentini Concilii*, ut addit, *Secretario* (*a*). Operæ autem pretium erit, quæ vere de tribus illis ſpectatiſſimæ Familiæ hominibus Graveſonius tradidit, æqualium ſcriptorum teſtimoniis confirmare. De Fuſcarario, & Marinio exſtat in Tabulario Romanæ Eccleſiæ, ab Erneſto Salomone Cypriano nuper edito, Franciſci Torrenſis, ſive Turriani ad Cardinalem Hoſium epiſtola, 15. Kalendas Majas anno 1564. Romæ ſcripta, ubi *in Breviario*, inquit, *laborant Mutinenſis* Epiſcopus Foſcararius, *& Lanchianenſis* Archiepiſcopus Marinius: *laborant quoque in Catechiſmo. Faciat Deus, ut exeat, qualis hanc ſanctiſſimam, & graviſſimam ſedem, totius orbis magiſtram Apoſtolicam decet*. Exſtat & altera Joannis Franciſci Lombardii ad eundem Hoſium epiſtola, poſtero ineunte anno Roma item data, in qua *Reverendiſſimus Mutinenſis*, ait, *abſoluto opere Catechiſmi, Breviarii &c. die 21. Decembris migravit ad cælos*. Hinc in elogio, quod in Fuſcararii tumulo hic Romæ in æde S. Mariæ ſupra Minervam inſcriptum eſt, objiſſe is dicitur, *cum Catechiſmum* jam, pro ſua nimirum parte, *compoſuiſſet*. Atque hæc de Fuſcarario, atque Marinio ad eum librum conficiendum a Pio IV. adhibitis.

IV. De Forerio autem illis adjuncto duæ ſunt apud Oltrocchium (*b*) Cardinalis Borromæi epiſtolæ, ad Luſitaniæ Regem una, altera ad Cardinalem Henricum, ejuſdem Luſitaniæ, ut ajunt, Infantem. In hac Forerium his apud illum verbis excuſat. *Quapropter magna ex parte illius*, nimirum Forerii, *diligentia, & induſtria Catechiſmum jam habemus abſolutum, præclarum opus, & luculentum; in quo pie, ſancteque*

(*a*) Hiſt. Eccleſ. Tom. 7. pag. 146. edit. Ven. 1738.
(*b*) Not. ad cap. 8. lib. 1. de vita, & rebus geſt. S. Car. Borrom.

*ſteque vivendi præcepta, & documenta comprehenſa fere ſunt omnia. Quæ res fecit, ut eum tamdiu apud nos haberemus, quoad ſuum ſtudium, & facultatem publicæ cauſſæ imperti-ret.* Habes igitur Theologos Epiſcopos duos, Fuſcararium, atque Marinium, unumque Theologum non Epiſcopum, Forerium, vel Fureirium.

V. Supereſt, ut quartum Theologum, eundemque tertium Epiſcopum, prodamus, atque indicemus. Quem antea ignotum, in latebraſque conjectum notum per hos annos fecit, eduxitque in hanc lucem Lagomarſinii diligentia. Eſt autem Mutius Calinius, Jadrenſis Archiepiſcopus, poſt Interamnatium Antiſtes, qui magna cum gloria Tridentinorum Patrum concilio interfuerat. Calinio enim datam provinciam, ut in Catechiſmum operam, ac ſtudium ſuum conferret, pluribus, niſi hallucinor, conſtat monumentorum generibus. Conſtat primum ex notis quibuſdam Anonymi manu adſcriptis ad unum e primis Catechiſmi Romani exemplis a Paulo Manutio editis, quod in Firmana Societatis Jeſu Bibliotheca aſſervatur. Ita enim hic Anonymus. *Patres, qui, ut audivi, fuerunt delecti ad hanc Catechiſmum conſcribendum, teſte D. Giganti: Mutius Calinus Jadren. Ægidius Fuſcararius Mutinen. Leonardus Marinus Lancianen. N. Franciſcus Forerius.* Conſtat deinde ex Calinii ejuſdem litteris ad Ludovicum Beccadellium datis (a), ubi Calinium idipſum de ſe ſuo ipſius teſtimonio confirmantem Firmanus ille animadverſor inducit. *Io mi ricordo molto bene, nè potrò mai dimenticarmene, quanto mi logoraſſe de' ſpiriti più vitali quella fatica del Catechiſmo; la quale ſe per altro hebbe felice fine, per certo fù lagrimevole, perchè ſi fece perdita di quel ſanto & ſingolar huomo Monſignor di Modena.* Conſtat denique ex duobus manu ſcriptis voluminibus, quæ hic Romæ Ludovicus Calinius, Antiochienſium Patriarcha, domi cuſtodit. Eorum alteri monumentum præit, quo non modo ipſius voluminis materies, atque argumentum, ſed etiam qui, quantuſque vir, Calinius fuerit, diſertiſſime declaratur his verbis. Fuit *il predetto Veſcovo huomo di molte lettere e molta pietà, & adoprato nel ſanto Concilio, da cui hebbe poi carico di ſcrivere le due prime parti di Catechiſmo, che ſtampò, nelle quali ſi tratta del ſimbolo degli Apoſtoli, e de' ſette Sacramenti.* In volumine altero

(a) Die 30. Jan. 1569.

tero epiſtola eſt ad Ænonenſium Epiſcopum a Calinio miſſa, ubi Catechiſmi mentio ita fit, ut nihil uberius ad id, quod nobis propoſitum eſt, optari poſſe videatur. Ejus ergo particulam afferemus. *Trovandomi aſſai debole, & conſiderando, che malamente potrei in queſte occupationi riſtorarmi, maſſimamente havendo già vicino il caldo Romano, hò penſato con queſta occaſione di poter giuſtamente domandar licenza di poter venire alla mia Chieſa* di Zara: *ſiccome parimente è ſtato sforzato Monſignore di Modena* Foſcarari *a fare, per non perdere in tutto la ſua ſanità. La licenza è richieſta a ſua beatitudine per nome noſtro, & ancora, che ſin quì non l'habbiamo avuta riſolutamente, nondimeno ſtiamo con boniſſima ſperanza di ottenerla domani. Percioccbè oltre l'indice de' libri, ch'è già ſtato publicato, & il Breviario, & il Meſſale, che ſi laſceranno riformati, per doverli poi ſtampare al ſuo tempo, anche del Catechiſmo ſi metterà tal' ordine, che con l'ajuto di Dio ſi poſſa con maggior commodità condurre l' opera al ſuo fine, quando ciaſcun di noi ritornerà alla ſua Chieſa.* Ipſa clamat epiſtola, datam ſe Roma, dimiſſo jam menſe Decembri anni 1563. Tridentino concilio, ſcriptamque appropinquante anni conſequentis æſtate, vivo adhuc Fuſcarario, qui menſe Decembri ejuſdem anni migravit in cœlum, ſtatim cum Deo futurus. Quod autem de tertio illo Epiſcopo ad Catechiſmum componendum adhibito quærebamus, quinam is cenſeri, haberique debeat, ex eadem iſta epiſtola plane perſpicuum, ac manifeſtum eſt. Merito eſt autem Calinii opera ad opus tam grave, tam ſalutaréque expetita. Nam divinarum rerum ſcientia excellebat, & propter ſermonis elegantiam auctor erat optimus latinitatis, magnumque propterea ſibi apud omnes nomen pepererat.

VI. Geſta hæc, ut docuimus, ſunt, Pontificatum Pio hujus nominis quarto gerente. Ei cum ſucceſſor Pius V. datus fuiſſet, immutata tunc rerum ratio eſt, actumque de libro edendo, ac divulgando. Liber tamen antequam Pauli Manutii arte, ac diligentia emitteretur in lucem, viſum eſt faciendum, ut aliqui eum Theologi, & eruditiſſimi homines, quemadmodum in editione reliquorum librorum uſuvenit, auctoritate publica recognoſcerent, diligenter expenderent, &, ſicubi opus eſſet, emendarent, corrigerent, expolirent; quo ſane fit, ut multum quoque ejus libri nomine Pio V. Pontifici de-

bea-

beamus. Id nihilominus ante ejus Pontificatum jam agi cœpiſſe, particula quædam Cardinalis Borromæi litterarum, ad Cardinalem Hoſium in Poloniam Roma datarum (*a*), liquido, diſerteque ſignificat. Ea eſt hujuſmodi. *Catechiſmum habemus jam abſolutum, doctiſſimorumque hominum ingenio, & induſtria elaboratum: quem nunc perpoliunt, ut, cum manus extrema acceſſerit, opus concinnius, atque perfectius evulgetur*. Quod ſancti viri, & ſapientiſſimi teſtimonium, cæteráque cum ejuſdem, tum aliorum, quæ tam multa a nobis hactenus allata ſunt, quomodo infirmari iis litteris, atque infringi non poſſint, quæ Pii V. nomine ipſius Catechiſmi volumini, cum primum anno 1566. ex Pauli Manutii officina prodiit, fuere præpoſitæ, idem, quem ſupra appellavi, Lagomarſinius viſus mihi eſt diligenter, & enodate explicaſſe.

VII. Nec tamen de Pii V. gloria diminutionem hinc facias, velim, aut præpoſtere exiſtimes, nihil ab illo profectum eſſe, quod ad immortale Catechiſmi opus pertineat. Nam operis perpolitio, atque perfectio, editio, ac promulgatio, ſumma denique, & incredibilis dignitas, atque auctoritas optimo huic, ſanctiſſimoque Pontifici aſſignetur, neceſſe eſt. Is enim, Pontificatu inito, doctiſſimorum hominum quendam cœtum, ut exorſus eram dicere, inſtituit, eiſdemque cognitionem libri, judicium, caſtigationemque permiſit. Quo de cœtu hæc a Firmano illo Anonymo ſunt perſcripta. *Fr. Franciſcus Forerius Luſitanus Dominicanus, Leonardus Marinus Januenſis, Archiepiſcopus Lancianenſis, Ægidius Fuſcararius, Bononienſis, Mutinenſis Epiſcopus poſt Concilium, mandante Pontifice, Catechiſmum confecerunt. Gul. Syrletus Cardinalis utrique operi adjunctus; adhibitis fratribus Thoma Manrique ſacri Palatii magiſtro, Euſtachio Lucatello Ordin. Prædic. procuratore, & compluribus doctiſſimis viris, dictum Catechiſmum expolivit. Ita teſtatur Fr. Felix de Caſtelfranco in Chronico Generalium Ordinis S. Dominici, conſtitutionibus dicti Ordinis adjuncto*. Rurſuſque infra: *Congregatio ad eundem Catechiſmum componendum, recognoſcendum, & perficiendum a Pio V. Pontifice delecta, teſte Don Sancte, Cardinalis Paleotti Secretario: Cardinalis Sirletus, præſes congregationis. Mutius Calinus, Archiepiſcopus Jadrenſis, Leonardus Marinus, Archiepiſcopus Lancianenſis, Ægidius Fuſcararius, Epiſcopus*

(*a*) Die 27. Decembr. 1564.

*pus Mutinenſis , Julius Pogianus , Cardinalis Sirleti Secretarius .*

VIII. Ex his autem monumentis multa etiam , quæ antea latebant , in lucem , adſpectumque hominum publicum proferuntur , niſi quod noſter iſte in ſua quidque tempora minime conferens , in Fuſcarario peccavit . Nam hic , menſe Decembri anni 1564. Pio IV. adhuc Pontifice , & jam Catechiſmo , ut ſupra docuimus (III), compoſito , mortuus , eidem recognoſcendo , atque expoliendo , anno 1566., Pontifice Pio V. , intereſſe non potuit . At cætera partim veriſſima eſſe conſtat , partim falſa eſſe conſtare non poteſt ; ut propterea cauſſæ nihil ſit , cur aſſenſum cohibeas . Certe de Sirleto , de Marinio , deque ſacri Palatii , ut vocant , Magiſtro , eadem Lombardius prodidit in ſuis ad Cardinalem Hoſium litteris (a) hunc in modum. *Paulus Manutius diu ægrotavit . Nunc vero e morbo convaleſcit , & dominationem veſtram illuſtriſs. ſalutat ; Idipſum facit illuſtriſſimus Sirletus , ſacri Senatus ornamentum , qui modo incumbit negotio* τοῦ κατηχισμοῦ *cum Archiepiſcopo Lancianen. , & Magiſtro ſacri Palatii , & ſpes eſt , illum cito editum iri typis Aldinis .* Quod autem Sirleti Secretarius fuiſſe Pogianus dicatur , id neminem movere debet . Nam cum illius Theologorum cœtus princeps , ac moderator Sirletus eſſet , cumque Pogianus ad ea ſcribenda , quæ omnes illi communi conſilio mutanda in Catechiſmo, ſive addenda cenſuiſſent , a Sirleto adhiberetur , recte noſtri hujus Secretarius in ea quidem re dici potuit .

IX. Extremam autem libro manum jam ante menſem Julium anni 1566. ; qui Pontificatus Pii V. primus fuit , acceſſiſſe , particula illa ipſius Pii epiſtolæ , Kalendis Quintilibus ejuſdem anni ad Jacobum Ukangium , Archiepiſcopum Gneſnenſem , datæ , luculenter demonſtrat . *Catechiſmus* , inquit , *abſolutus fuit , & Deo juvante , propediem edetur .* Abſoluta vero editio eſt jam inde a menſe Septembri , etſi non ſtatim libri exemplaria Bibliopolis tradita , ut diſtraherentur . Præclarum denique opus , antequam prodiret in lucem , idem Pius Pontifex Maximus auctoritate ſua approbavit , quod & poſtea a Gregorio XV. factum eſt . Magna ſunt igitur & Pii V. Pontificis , & totius cumprimis Dominicanæ Familiæ in id operis merita , immo totum fere , quantumcumque eſt , ſodali-

tatis

(a) Die 1. April. 1566.

ſatis ejus laboribus, ac diligentiæ acceptum referri debet. Quanta ſit autem, & quam incredibilis libri auctoritas, id quod præſertim moliebamur efficere, nullo omnes negotio, etiam me tacente, perſpiciunt. Nam cum edendi, conſcribendique operis auctores fuerint Tridentini Concilii Antiſtites, atque hi divino prope conſilio moti ſint, cum præterea ſummi illud Theologi, excellenti ingenio, atque doctrina præditi, compoſuerint, atque confecerint, Pius tandem V., & Gregorius XV. recognitum, expolitum, ac numeris perfectum omnibus judicio ſuo graviſſimo, & maximo ornaverint, auxerint, corroboraverint, poſſumus jam ſine erroris periculo conſtituere, ejuſdem operis auctoritatem quatuor his rebus ſubnixam, atque amplificatam, quantum apud divinarum rerum ſcriptores, quantum apud omnem Eccleſiam valituram eſſe exiſtimemus. Vere enim ab Hiacyntho Graveſonio ſcriptum eſt, quod Catechiſmum Romanum univerſa Eccleſia veluti fœtum quendam Tridentini Concilii, & interpretem agnoſcit, ac probat. Tanta ſane, ſalutarique doctrina, tam multiplici eruditione refertus eſt, tanta elaboratus induſtria, tantaque ad extremum latini ſermonis elegantia perfectus, ut, etiamſi reliqua non conſideres, multorum Theologicorum voluminum unus inſtar habere videatur [21].

P 100. Ar-

21 I. Quoniam de Theologis hactenus diximus, qui doctrinam in Catechiſmum, & quaſi materiam contulerunt, faciendum nunc eſſe arbitramur, ut de iis, a quibus latine conſcriptus eſt, ſaltem breviter diſputemus. Uni Pogiano id negotium datum a Pio IV. fuiſſe, jam ſupra monuimus (§. 99. II.), nitimurque teſtimonio Antonii Mariæ Gratiani Pogiano amiciſſimi, idipſum in ſua ad Cardinalem Commendonum epiſtola confirmantis. *Scribendi autem*, inquit, *ac explicandi ea, quæ illi contuliſſent, negotium Pogiano dedit*. Pervagata tamen opinio eſt, verſatum eſſe in ejuſmodi re, atque opera Paulum Manutium. Ita ſtatuit Graveſonius (loc. cit.), cui aliqua ex parte Apoſtolus Zenius aſſentitur. Nam in notis ad Fontaninianam Italicæ eloqnentiæ Bibliothecam appoſitis de Catechiſmo hæc reliquit in ſcriptis. *Dalle mani del Teologi, che eſaminarono l' opera per la ſana dottrina, ſi ſè paſſare a quella di trè inſigni umaniſti, acciocchè le deſſero perſezione per la purità della lingua; e queſti furono Paulo Manuzio, benchè non manchi più d' uno, che tutto il merito a lui ne aſcriva; Giulio Poggiano, e Cornelio Amalteo*. Tom. 2. pag. 131. edit. Venetæ an. 1753. Uni tamen Pogiano eam datam eſſe provinciam non Gratianus modo perſpicuis verbis ſignificat, ſed etiam Alexander Trivius in ſuis ad Gratianum ipſum litteris, 4. Kalendas Januarii anno 1584. Colonia Romam miſſis. En totum locum. *Etſi enim, quam accuratus æſtimator Latinæ, & Romanæ puritatis* Pogianus *fuerit, ex ejus libelli, quem Joannes Chryſo-*

100. Argumentum igitur, quod ex Romani Catechiſmi locis petivimus, ut adverſus Cadonicum oſtenderemus, piorum olim animos in ſinum Abrahæ congregatos non fuiſſe cum Deo,

*Chryſoſtomus de Virginitate græce conſcriptum reliquit, verſione, ex Catechiſmi, Breviariique, ut vocant, Romani, hujus viri divino ingenio elaboratorum, publicatione, veluti ex ungue leonem æſtimantes, intelligere aliquo modo poſſimus, ejuſmodi tamen non ſunt, ut ab interitu memoriam ejus vindicare poſſint. Ut enim notiſſimum eſt, in Chryſoſtomi unico illo ſermone convertendo feliciter eſſe verſatum, ita pauciſſimi norunt, Catechiſmi, & Breviarii nominibus quicquam ipſius ſtudiis, & laboribus deberi.*

II. Hæc Trivius; at Carolus a Baſilica - Petri, ex Familia CC. RR. S. Pauli, Breviarii quidem hiſtorias (Sanctorum nos lectiones uſitatiori verbo appellamus) ab uno Pogiano latine ſcriptas, atque illuſtratas concedit; at Catechiſmi partem dumtaxat ab eo latinitate donatam eſſe teſtatur. Cum Pogianus *Romæ in eorum numero eſſet, quos ſibi Carolus ille Borromæus, ſanctus Archiepiſcopus, & Cardinalis, litteris, doctrinaque claros ex omnibus familiares delegerat, eumque deinde in Familia Pii V. collocatus, & ejus epiſtolis Latinis conſcribendis addictus eſſet, factum eſt, ut Concilii Mediolanenſis primi decreta, & Romani Breviarii hiſtoriæ, quæ in manibus habentur, ejus ſtilo, magna puritatis, & facilitatis laude conſcriberentur, & præterea etiam Catechiſmi Romani pars*. In Novar. lib. 1. Antonius vero Poſſevinius, *feruntur autem*, ait, *ejus Lectiones hiſtoricæ Breviarii Romani ſub Pio V. Pontifice Maximo. Ejus etiam ſtili opus eſt ultimum caput Romani Catechiſmi* (Appar. ſacr. Tom. 2.), ideſt, ſi recte accipio, totius operis extrema pars. Nam in quatuor partes totus liber tribuitur, quarum prima de ſymbolo explicat, altera de ſacramentis, tertia de decalogo, quarta de oratione Dominica; ſingulæ vero partes in plura, vel pauciora capita diſtributæ ſunt, quorum ultimum in parte item ultima, prope omnium breviſſimum in dictionis *Amen* explicatione verſatur. Enimvero Pogianus, ut docebimus paullo poſt, quatuor omnino menſes in conſcribendo Catechiſmo inſumpſit, caput autem illud ultimum, qua facultate in latine ſcribendo, atque facilitate fuit, ſemihoræ ſpatio conficere, ac perpolire potuiſſet: Poſſevinius igitur illa capitis appellatione non partis illius quartæ poſtremum caput intelligi voluit, ſed ultimam univerſi operis, in quatuor partes, ac tanquam rerum capita diſtributi, partitionem, atque materiam.

III. Jam cum Gratianus, & Trivius totum Catechiſmi opus Pogiani ſtilo, Carolus autem a Baſilica - Petri, ac Poſſevinius non niſi totius operis partem adjudicent, utris tandem credendum eſt? Iis, opinor, quibus Pogianus ſuo ipſe teſtimonio ſuffragetur. At Pogianus in ea ad Minalem epiſtola, cujus partem jam recitavimus (§. 99. II.), de ſe ita dicit teſtimonium. *Datum eſt negotium a Pontifice Max. tribus Epiſcopis, ut ex decreto Tridentini Concilii commentarios componerent Chriſtianæ diſciplinæ, ex quibus paratam, & promptam habere poſſent Sacerdotes materiam, ac rationem inſtituendi eos, qui ipſorum fidei, prudentiæque commiſſi eſſent. Ad hæc conſcribenda ſum ego etiam adhibitus. Qua in ſcriptione quatuor ipſos menſes poſui: ut ab eo mu-*

*nere*

Digitized by Google

Deo, nec bona illa cœleſtia, quæ inquirimus, poſſediſſe, quantum momenti ad perſuadendum, ac ponderis habeat, videtis. Agnovit id etiam, probéque intellexit Cadonicus, qui

P 2 pro-

*nere mihi nihil reliquum fuerit vacui temporis*. Ait, ſe etiam ad illa conſcribenda fuiſſe adhibitum. Non unus igitur Pogianus fuit adhibitus, neque uno, & perpetuo ipſius ſtilo egregium opus conſcriptum aut eſt, aut certe adhuc tum fuerat, cum ad Minalem dedit epiſtolam. Quam igitur operis partem potiſſimum adornandam ſuſcepit, aut quomodo hæc cum ſuperioribus cohærent? Utrique ego quæſtioni, niſi moroſus es, breviter ſatisfaciam.

IV. Principio hic noſter quartam, ut arbitror, totius libri partem latinis litteris explicavit, eam nempe ipſam, quæ ultimum Catechiſmi caput, ut vidimus, a Poſſevinio dicta eſt. Conſentit enim cum Poſſevinio Firmanus ille auctor Anonymus, cujus hæc ſunt. *Aldus Manutius dixit, quod Mutius Calinus ſcripſit ſuper articulis fidei, & ſacramentis: Petrus Galeſinius ſuper decalogo: Julius Pogianus ſuper oratione Dominica*. Sed ſive non homines in Firmano hoc ſcripto commemoratos, ſed alios, atque alios, ſive non eos ſolos, ſed plures in Latina Catechiſmi explicatione collegas Pogianus habuerit, ſive tandem alia ei quædam operis pars, ac tanquam provincia primum obtigerit, hæc mihi omnia nunc quidem perinde ſunt, ut accipies. Sic enim ſecundo loco conſtituo, fuiſſe initio a pluribus in illa ſcriptione elaboratum, verum deinde, inſtaurata rurſum re, atque opera, ad unum totam illam procurationem, & negotium rediiſſe, ſic, ut reliquorum ſcriptionis recognitio, ac retractatio, & in unam, eandemque ſpeciem ſingularum partium conformatio uni tantummodo, hoc eſt Pogiano, fuerit demandata. Id ut exiſtimem, duo me ſuadent. Primum totius operis unus, atque idem ſtilus, & mira cum reliquis Pogiani ſcriptis, ac plane gemina ſimilitudo; deinde quædam ipſius litteræ die 5. Aprilis anno 1565. ad Commendonum in Poloniam Roma miſſæ. Eſt enim in his: *non excuſabo multiplices occupationes tum litterarum, quæ mihi quotidie ſcribendæ ſunt, & proprie Borromæi, & communiter ejuſdem, undecimque Cardinalium nomine, quos ſibi Pontifex in conſilium adhibuit ad explicandam, ubi opus ſit, Tridentini Concilii ſententiam, tum rationis cujuſdam ex Concilii auctoritate erudiendi Chriſtianos homines ad ſalutarem diſciplinam, Romanique Breviarii, ad quod tanquam ædificium me, quaſi fabrum, ipſi operis architecti adhibendum putaverunt. Nam, etſi concurrit, ut proximis Cardinalium Comitiis & hæc, & alia a me maxime ſcriberentur, potui tamen ex ea opera tantum eripere temporis, præſertim in hac mea ſubita quodammodo, ac neceſſaria in ſcribendo negligentia, tibi ut illud debitum officium perſolverem*. Officium hoc loco eſt gratulatio de Cardinalatu, quem Pontifex Commendono contulerat. Quæ igitur proxima Cardinalium Comitia vocat, Cardinalium creationem intellige, quos Pius IV. proxime, hoc eſt die ſuperioris menſis Martii duodecimo renunciaverat. Quo ipſo Comitiorum tempore, ait, ſe, præter illa alia multa, in ſcribendo etiam Catechiſmo occupatum fuiſſe. Atqui menſe Decembri ſuperioris anni 1564. abſolviſſe jam ſe eam Catechiſmi partem, ad quam conſcribendam a tribus illis Epiſcopis adhibitus fuerat, Annibali Minali ſcripſerat. Pogianum enim ipſum de ſe teſtificantem audivimus: *quo in ſcriptione quatuor ipſos menſes poſui, ſic, ut ab eo mune-*

*re*

propterea, ne tanta auctoritate oppreſſus cogeretur deſiſtere a ſententia, ad Breviarii Romani doctrinam confugiendum putavit. I. Hoc veluti præſidio erigit ſe, & ſolatur, hinc efficere ſe poſſe ſperat, Eccleſiam quodammodo in hac cauſſa connivere. Sic enim illa, ut de S. Joſepho, quo die ceſſiſse e vita creditur, canamus, præſcribit:

*Hac die Joſeph meruit perennis*
*Gaudia vitæ.*

Et

*re mihi nihil reliquum fuerit vacui temporis. Quare etſi, illa confecta re, premor præterea onere ſcribendarum epiſtolarum octo Cardinalium nomine, quibus Pontifex Maximus Tridentini Concilii cognitionem dedit, tamen diutius hoc ad te litterarum officio ſuperſedere non potui.* Qui menſe Decembri anni 1564. *rem illam*, hoc eſt Catechiſmi eam partem, ad quam ſtilo, orationéque poliendam a tribus Epiſcopis adhibitus fuerat, a ſe eſſe *confectam* ad Minalem ſcribit, idemque rurſus menſe Aprili anni inſequentis Commendono ſignificat, fuiſſe ſe in Catechiſmo Cardinalitiorum comitiorum tempore, quæ in ſuperioris menſis duodecimum diem inciderant, occupatum, nonne is novum ſe Catechiſmi ſcribendi laborem ſuſcepiſſe monere vult, &, ſi quidem penſum ſuum ſuperiore anno confecerat, in aliorum opere ſive reficiendo, ſive perficiendo fuiſſe hoc ipſo anno verſatum? Potuit enim hoc fieri (neque qui rei eventum perſpexerit, aliter factum eſſe judicabit), ut Pogiani in Catechiſmo conſcribendo collegæ minus vel ſibi, vel ceteris in iis, in quibus quiſque elaborarat, totius operis partibus ſatisfecerint, ad eumque propterea aditum ſit, ab eoque impetratum, ut, quæ ab illis ſcripta eſſent, recognoſceret, & limaret, eundemque univerſo operi, veluti cuidam ædificio, latinitatis ſuæ tanquam colorem allineret.

V. Quo tandem modo ii, qui hominem libri partem conſcripſiſſe affirmarunt, Carolus a Baſilica-Petri, Poſſevinius, & Firmanus Anonymus vera dixerunt, neque ii, qui totam conſcripti operis laudem illi tribuerunt, Gratianus, & Trivius, mentiti ſunt. Vere enim & non omnia conſcripſit, qui ſcriptionis, laboriſque collegas anno 1564. habuerat, & non partem modo conſcripſit, qui collegarum quoque ſcripta poſtea recognovit, limavitque politius, eaque ad ſcriptorum ſuorum elegantiam, venuſtatemque revocavit. Eloquentiæ autem luminibus paſſim totus Catechiſmi liber mirifice illuſtratur, ut veriſſime Gratianus in ſua illa, cujus ſæpe meminimus, ad Cardinalem Commendonum epiſtola dixerit, nullam unquam rem fuiſſe tam difficilem ad explicandum (ut ſpiſſa multa ſunt in ſacrorum diſciplina), quin facilis Julio fuerit, & quam ille non aliquo lumine eloquentiæ exornarit, nihil ut videatur ſcribi potuiſſe abſolutius. Quibus de rebus plura, & minutiora qui volet, Hieronymi Lagomarſinii notas adire poterit, eidem Gratiani epiſtolæ adſcriptas. Pog. epiſt. initio Tom. 2. Quandoquidem enim ingenui eſt hominis confiteri de iis, qui ſtudiis, laboribuſque te ſuis adjuverint, diſſimulare nec poſſum, nec debeo, quæcumque hactenus de Catechiſmi auctoribus, atque ſcriptoribus docui, ea me omnia, mutatis dumtaxat interdum verbis, ex illis Lagomarſinii fontibus in hortos meos importaſſe. Nunc me ad meum munus, penſumque revocabo.

Et rurſus:

*Hinc ſtygis victor, laqueo ſolutus*
*Carnis, ad ſedes placido ſopore*
*Migrat æternas, rutiliſque cingit*
*Tempora ſertis.*

Quæ ad diem omnino, quo vir ſanctus obiit, referri debent. Itaque Eccleſiæ judicio ſtatim a morte ſempiternæ vitæ gaudia adeptus eſt, in æternamque illam ſedem migravit, ac proinde & Deum vidit, præſentemque conſpexit. Gemina dici poſſunt de innocentiſſimis pueris Herodis juſſu interfectis. Etſi enim Romani Breviarii liber ſæpe correctus ſit, emendatus, atque expolitus, in natali tamen illorum die Sacerdotes hæc legimus. *Ante vitæ perpetuæ adepti ſunt dignitatem, quam uſuram præſentis acciperent. Aliorum quidem pretioſa mors Martyrum laudem in confeſſione promeruit: horum in conſummatione complacuit. Quia incipientis vitæ primordiis, ipſe eis occaſus initium gloriæ dedit, qui præſentis terminum impoſuit.* Quibus ex verbis manifeſte apparet, ſanctiſſimis ſe Deum puerulis ſtatim in conſpectum dediſſe. Nec obeſt ei ſententiæ, quod totum ſermonem, unde illa verba deſumpta ſunt, olim fidenter Auguſtino attributum, Maurini nunc editores in Appendicem (*a*), tanquam adulterinum fœtum, rejecerint. Nam primum Eccleſia, quæ ſermonem Sacerdotibus legendum propoſuit, retinendumque exiſtimavit, doctrinam inibi traditam ſuo ſe uſu non improbare ſignificat. Deinde ex pluribus locis evidens fere eſt, talem omnino fuiſſe Auguſtini ſententiam. Sic in tertio de lib. arbitr. num. 68. ſcriptum reliquit: *non enim fruſtra etiam infantes illos, qui, cum Dominus Jeſus Chriſtus necandus ab Herode quæreretur, occiſi ſunt, in honorem Martyrum receptos commendat Eccleſia*; & enarrat in pſalm. 47. num. 5., quod ad Herodem attinebat, *perdidit innocentes, quantum autem ad Chriſtum, etiam parvus, pro ſe morientes parvulos coronavit*. Quo fit, ut non ideo illa, quæ diximus, in Breviarii volumen relata fuerint, quia ſcripta ab Auguſtino, ſed quia erant ejuſmodi, quæ corrigenda nullo modo eſſe videbantur.

II. Hinc tam longo ab Auguſtini ætate intervallo, immo etiam poſtquam contraria apud Theologos inveteravit opinio, ſimilia in canticis legimus non de Joſepho ſolum, ſed de

(*a*) Tom. 5. num. 220., olim 10. de Sanctis.

de cæteris viris ſanctis Hebræis, quibus ex decreto Eccleſiæ commune eſt cum Martyribus, Confeſſoribuſque noſtris Officium. Quid plura? Sacerdotes rem divinam pro mortuis facientes non aliud a Deo flagitant, niſi *ut ſignifer S. Michael repræſentet* piorum animos *in lucem ſanctam*, *quam olim Abrahæ* ipſe Deus promiſit, *& ſemini ejus*; decedentibus autem e vita dum præſto ſunt (quod ego adjungi volo), etiam atque etiam evenire cupiunt, ut *beatæ quietis in ſinu Patriarcharum* eos *complexus aſtringat* (*a*). Itaque ex his illud eſt conſequens, ne ipſam quidem, cujus auctoritatem imploramus, Eccleſiam a ſuorum abhorrere ſententia, qui veteribus effectricem beatæ vitæ Dei viſionem vel ante Chriſti obitum concedendam eſſe arbitrantur.

101. Hæc vir nobis eruditiſſimus objicit. Sed non patiar iſtam manere ſuſpicionem. Nam ſi rem paullo altius repetamus, quam fruſtra hæc a noſtro jactentur, varia ratione, & via deprehendetur. Neque tamen tam multa verba faciam, propterea quod & in ſuperioribus informata jam cauſſa eſt, & a me brevitas, quæ alioquin mihimetipſi amiciſſima eſt, poſtulatur. Nego igitur, Breviarii Romani doctrinam ſuccumbenti jam jam adverſario ſubvenire. Principio enim Eccleſia cum in pluribus Catechiſmi locis ſtatuat, & ratione, atque argumentis dedita opera doceat, & inculcet, optimos quoſque, antequam Chriſtus profectus eſſet ad Inferos, a Dei conſpectu plane abfuiſſe, nullo modo credibile eſt, alibi eam in contrariam ſententiam propendere. Quæ res ſi virum gravem dedecet, & ſapientem, quanto magis Eccleſiam, dicta, & facta ſua omnia religioſiſſime ponderantem? Si ergo, quod vult Cadonicus, faceret, turpiter ipſa a ſe diſſentiret, quod ne cogitari quidem poteſt. Quandam id *conniventiam* vocat Cadonicus, ego nomine magis proprio, & ſuo maximarum rerum repugnantiam [22]. Jam omnes Criticæ artis præceptiones poſtulant, ut loca obſcuriora ex iis, quæ aperta ſunt, & dilucida, interpretemur. Nunc autem Eccleſia in Catechiſmo meditate, perſpicue, copioſeque demonſtrat, nedum ſignificat,

(*a*) In Ordine Commend. animæ.

22 Hæc, atque alia id genus cum diſputo, nolo equidem veluti dogma ab Eccleſia liquido diſceptatum, vel potius definitum, ut loquimur, accipi, quæ in hac controverſia in Catechiſmo, Breviarioque traduntur, ſed ſolum intelligi volo, tanquam doctrinam, in Eccleſiam magno conſenſu receptam, ab eaque approbatam.

Digitized by Google

eat, bonorum animos cum Abrahamo verſantes Deum coram non vidiſſe; quis mihi igitur, ſalvis Criticæ legibus, dixerit, aliter ipſam in Breviario judicare, ubi eam non tractat controverſiam, nec, quid ſentiat, verbis ſuis, & argumentis demonſtrat, ſed magis de piorum veneratione, & cultu ſollicita eſt, ac laborat? Si in Cadoniciana ſententia conniven- dum putabat, cur non id in Catechiſmo indicavit, cur & divinis teſtimoniis pugnat, & tam ſelectis, variiſque utitur argumentis, ut ſententiam hominis non enervet ſolum, ſed radicitus labefactet? Itaque ſi allata a Cadonico Breviarii loca cauſsam ipſius juvare quoquomodo viderentur, ea ad Catechiſmi exigenda eſsent doctrinam, ea his examinanda ponderibus; quod ſi fiat (fieri autem debet), prudens quiſque intelliget, utriuſque ſibi libri ſententias conſtare, interque ſe amiciſſime, concorditerque congruere.

102. Cui id dubium eſſe poteſt? Quis jure repugnaverit? Cum exploratum ſit, qui Theologi Catechiſmum compoſuerunt, eoſdem & in correctione Breviarii, atque emendatione operam collocaſſe? Res non obſcuris paullo ante demonſtrata eſt teſtimoniis (99. III. & ſeqq.); ſed & certiora habeo argumenta, litteras ſcilicet Ægidii Fuſcararii, quas ex ipſo, in quo paucis poſt diebus mortuus eſt, lecto ad ſummum Pontificem Pium IV. conſcripſit. Hæc igitur Fuſcararius. *Etſi, pro munere divini Officii componendi, Reverendiſſimis Archiepiſcopis Lanciano, & Jadrenſi, mihique injuncto ejuſdem cum illis fui ſententiæ, ut Officium ſanctiſs. Virginis intermitteretur, nunc tamen ſaniore conſilio attendens, quam optimis rationibus ab antiquis Patribus conſtitutum ſit, in hanc uſque diem ubique recitandum ..... ſupplex a ſanctitate tua peto, ..... ut nulla prioris meæ ſententiæ habita ratione, hoc divinum Officium in Eccleſia, ut hactenus, retinendum, atque adeo illam ſtellam lucidiſſimam, ſanctiſſimam Virginem, eoſdemque omnes Sanctos ſingulis horis perpetuo invocandos curet* (a). Cum ergo a quibus Theologis profectus eſt Catechiſmus, eiſdem correctio, novaque Breviarii ratio debeatur, quis imbibat, doctrinam in hoc illos reliquendam putaſſe, quæ ſententias tam multis locis, tamque accurate alibi conſtabilitas, niſi everteret, & opprimeret, inobſcuraret tamen? Præſertim cum plerique omnes ex Dominicana eſſent

(a) Apud Lagomarſ. ibid. pag. 32.

eſſent Familia, cui, conſentiente prorſus Cadonico, certum eſt, antequam Chriſtus mortem obierit, plane neminem in Dei conſpectum admittere. Nec vero fingi poteſt, variatis tunc Theologorum ſententiis, Eccleſiam judicaſſe factu optimum, ſi conniveret (*a*). Divinaret enim Cadonicus, non refelleret argumenta, quando reperiri nemo unus, quod ſciam, poterit, qui ea in re ab aliis diſſideret, quod etiam compertum eſſe arbitror ex iis, quæ toto capite octavo de ſummo, atque perpetuo Theologorum conſenſu docuimus. Ac ſane per ea circiter tempora, anno ſcilicet 1586., egregium Henricus Vicus adverſus Heterodoxos libellum edidit de *deſcenſu Jeſu Chriſti ad Inferos*, a Stapletono, cujus magna ubique laus, magna ſapientiæ opinio, approbatum; at ibi ſic identidem agit, & diſputat, ut non ſolum certum apud noſtros exiſtimet, pios ante Chriſtum mortuos in Dei conſpectum non ſtatim ab obitu admiſſos fuiſſe; ſed ſumere etiam videatur, graviter eos erraturos fore, ſi qui fortaſſe aliter conſtituerent. Theologi ergo omnes, quo tempore & Catechiſmus prodiit, & correctum, inſtauratumque Breviarium eſt, nobiſcum ſentiebant: horum autem habere ſemper Eccleſia rationem ſolet in ſententiarum delectu (§. 96.); fieri igitur nequit, ut in Catechiſmo piorum, quos dixi, animos Dei præſentia dignari voluerit, in Breviario autem, ut Cadonico loqui placet, connivendum putaverit.

103. Quadripartitam jam cauſſam habes, cur nullo modo veriſimile ſit, hoc illam in libro docti hominis opinioni aſſentiri, unam, ut ipſius ſcita, atque decreta ſecum cohæreant, alteram, quod loca ſubobſcura ex certis, atqne perſpicuis exponi debeant (§. 101.), tertiam ex eiſdem utriuſque libri auctoribus deſumptam, quartam, quod omnium olim Theologorum unum eſſet, conſentienſque judicium (§. 102.). Quinta his accedit, primaria tamen, cæterarumque graviſſima. Tantum enim abeſt, ut in Breviario nova illa pii viri opinio approbetur, ut identidem potius, neque id dubiis, vel obſcuris indiciis, deferatur, noſtra autem, vel citius Eccleſiæ cauſſa mirifice illuſtretur. Sic in celeberrimo, ac vetuſtiſſimo Cantico, cujus initium, *Te Deum*, Eccleſiæ nomine quotidie Sacerdotes dicimus: *tu devicto mortis aculeo aperuiſti credentibus regna cælorum*, qui locus quod pondus habeat, oppor-

(*a*) V. Cadon. Vind. pag. 264.

opportunius capite undecimo ediſſeremus. In primo nocturni ſecundi reſponſorio, in Sabbato ſanctioris hebdomadæ: *nam & ille captus eſt, qui captivum tenebat primum hominem* (adeoque & univerſum piorum concilium): *hodie portas mortis, & ſeras pariter Salvator diſrupit*. Purgatorii quam ſæpiſſime diſruperat? *Deſtruxit quidem clauſtra Inferni, & ſubvertit potentias Diaboli*. Sabbato in Albis in cantico ad Veſperas:

*O vera cæli victima,*
*Subjecta cui ſunt Tartara,*
*Soluta mortis vincula,*
*Recepta vitæ præmia.*
*Victor, ſubactis Inferis,*
*Trophæa Chriſtus explicat,*
*Cæloque aperto, ſubditum*
*Regem tenebrarum trahit.*

Vincula iſthæc, præmia, cœlum, reliqua id generis magna me eloquentia defendunt. Die poſtero item in cantico:

*Horrens Avernus infremit:*
*Rex ille dum fortiſſimus*
*De mortis inferno ſpecu*
*Patrum Senatum liberum*
*Educit ad vitæ jubar.*

Patrum Senatus non eos certe, quorum animos ignis acerrimus expiaret, ſignificat, ſed Patriarchas, ſed Prophetas, ſed ipſum florem, pene dixeram, ſanctitatis. Die etiam Aſcenſionis rurſus in cantico:

*Perrumpis infernum chaos,*
*Vinctis catenas detrahis,*
*Victor triumpho nobili*
*Ad dexteram Patris ſedes.*

Et alio loco:

*Tremunt videntes Angeli Verſam vicem mortalium.*

Ut nihil dicam de catenis, & vinculis, quibus captivi illi aliquando tandem ſoluti ſunt, cur, oro, tremunt animo, & exalbeſcunt, dum vident Angeli, mutatas eſſe humanas res, a Deique Filio fortunatas? Nam quæ tanta ex alio in aliud viciſſitudo, atque mutatio, ut, aſcendente in cœlum Chriſto, tremere debeant, & obſtupeſcere, ſi ſuperiori tempore ſanctiſſimi homines intuebantur in Deum, ejuſque pulchritudine coram fruentes ſummis gaudiis exultabant, lætitiis omnibus incedebant? Triduo poſt lectione 4. *Prædam enim Salvator quodammodo ſuſtulit, cum hominem, quem ſuſcepit, Inferni raptum faucibus portavit ad cælum, & alienæ dominationis, ideſt diabolicæ poteſtatis ſervum de captivitate erutum; duxit ad altiora captivum, ſicut ſcriptum eſt in Propheta:* aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Meminiſſe vero debes, eſſe hanc orationem

Maximi, Taurinenſis Pontificis, quem ſupra (§. 42.) audivimus, iterumque teſtem a nobis appellatum iri recepimus (§. 56. VII.).

104. Aperte autem, opinor, & luculenter hinc patet, quam Eccleſia in Breviario laudet, ſequaturve ſententiam. Quapropter mittam plura id generis ſimilia, quæ paſſim in eodem libro leguntur, ut celeberrimas precandi formulas O, quas ante natalem Chriſti diem uſurpari ſolitas integras ſuo loco, & tempori reſervamus, vel illud in Hymno ejus Officii, quod eſt de Lancea, & Clavis Domini, recitaturque per Germaniam, *Crux apud Inferos ſpoliat Tartara, Lancea ſuperis tribuit præmia*; illa ſimiliter, quæ ex Gregorio Nyſſeno deſumpta quarto ab aſcenſu Chriſti die recolitmus: *quis eſt iſte Rex gloriæ? Reſpondent ipſi* (Angeli ſcilicet, recipientem ſe ſe in cœlum Dei Filium comitantes), *reſpondent ipſi, demonſtrantque fortem, & potentem in prælio, qui pugnaturus erat contra illum, qui naturam humanam in ſervitute captivam detinebat, & everſurus eum, qui mortis habebat imperium: ut graviſſimo hoſte ſuperato, genus humanum in libertatem, & pacem vindicaret..... Rurſus comites ejus vocibus illis interrogantur: quis eſt iſte Rex gloriæ? Reſpondetur autem non amplius, fortis, & potens in prælio, ſed Dominus virtutum, qui mundi principatum obtinuit, qui ſummatim omnia in ſe collegit, qui priſtinum in ſtatum cuncta reſtituit* (a), adeoque & hominum genus æternam illis beatitudinem, cœleſtemque, unde olim exciderant, civitatem impertiens. Hæc, inquam, & plura alia tacitus præteribo, ea etiam re, quod jam me ſentio longius eſſe provectum, quam fortaſſe propoſita ratio poſtularet.

105. Tot ergo, tamque perſpicuis cauſſis vetantibus, quæ teſtimonia ex Romano Breviario allata contra ſunt (§.100.), ſuffragari certe adverſario nec poſſunt, nec debent. Qui, ais, intelligemus? Omnino non in eam, qua hic noſter vult, ſententiam, ſed apte, accommodateque ad perſonas, & tempora. Sic quod in die S. Joſepho ſacro, ac legitimo canimus, *meruit perennis gaudia vitæ*, accipietur de gaudiis, ſive de præmiis non re quidem ipſa, ſed ſpe ſtabili, ac certa adeptis; vel fortaſſe etiam probabilius, non ad diem, quo Joſephus obiit, referri debet, ſed ad tempus, quo beatitudinem iniit, quæ

(a) In 2. Noct. ex orat. de Aſcenſ. Dom.

quæ ei tamen beatitudo ſtatim ab obitu debebatur, impedimentis remotis. Non eſt autem, cur callida, aut ſubtilior, quam verior explicatio iſta exiſtimetur. Rogo enim hominem: quam ſæpe Eccleſia illud precatur a Deo, ut mortuos a ſempiternis ſuppliciis eripiat, incolumeſque conſervet? Preces tamen ejuſmodi nec præſens, nec futurum, ſed præteritum tempus ſpectant, quo nempe homines efflabant animam. Quandoque & viris ſanctiſſimis, qui jam in cœlum cum migraverint, Dei fruuntur præſentia, veniam, pacem, felicitatem exoptat. At hæ quoque preces (ſi preces potius, quam Dei laudes, vel quaſi ſacrificia dicendæ ſunt) in idem tempus conveniunt. Ante natale Chriſti maximis etiam ſtudiis petimus, & urgemus, ut nubes juſtum depluant, ut terra proferat Salvatorem, cujus in has terras adventum exſpectamus. Quid? Numquid non ille jamdiu ad nos venit, ſtudiiſque hominum cumulatiſſime ſatisfecit? Non eſt, quod ambigas, ſed Eccleſiæ, quæ his precibus utitur, propoſitum eſt reſpicere ſpatium præteriti temporis. Eadem igitur ratione, quæ canere de Joſepho ſolemus, nullo modo de die obitus intelligi, ſed alio ſpectare debent; idemque de ſanctis quibuſque hominibus ſentiendum eſt, quos, etſi ante Chriſtum e vivis exceſſerint, perinde tamen, ac noſtros, in quotidianis, diviniſque precibus veneramur. Nempe his in rebus mens potius, animus, ac ſenſus Eccleſiæ (ſpiritum rectiſſime dixeris), quam verborum vim oportet attendere. En, quam facillime argumentum illud, quod graviſſimum Cadonico eſt, diſſolvatur.

106. Nam quod de pueris Herodis juſſu interfectis legitur, *ipſe eis occaſus initium gloriæ dedit*, id alterutro etiam ex illis modo ſumatur, neceſſe eſt. Sic etiam ſumi poterit, ut ipſe eis occaſus initium gloriæ dederit, non quod Deum e veſtigio adierint, atque conſpexerint, ſed quod in ſinum Abrahæ recepti ſint, ubi interim lætabantur, gaudebant, habebantque oppetitæ mortis ſolatia (de hoc infra videbimus), ſuo deinde tempore cumulatæ ejus beatitudinis, quæ Dei adſpectu efficitur, poſſeſſionem adituri. Hunc autem in modum exiſtimandum eſt ſcripſiſſe Auguſtinum, *Chriſtum etiam parvulum pro ſe morientes parvulos coronaſſe*. Vere enim corona pueris data eſt, ſed accommodata & loco, & tempori. Nam primum illud Auguſtini teſtimonium quam vim habeat, ego equidem, ut de me confitear, exputare non poſſum. Quis

enim ita concluſerit: *non fruſtra infantes illos, qui, cum Dominus Jeſus Chriſtus necandus ab Herode quæreretur, occiſi ſunt, in honorem Martyrum receptos commendat Eccleſia*; ſtatim igitur Deum viderunt? Rite concluſum eſſe negabit Bernardus (vid.§.75.), negabunt permulti alii, negabit potiſſimum Vincentius Bellovacenſis, quo judice, *Innocentes quidem Martyres dicuntur laxato vocabulo, non quia teſtes Chriſti, ſed quia pro Chriſto occiſi...... Pro quo Eccleſia ſolemnizat, quamvis ad Inferos deſcenderint* (*a*). Non igitur ex auctoritate Auguſtini illud eſt conſequens, quod vir doctus eſſe conſequens cenſuit, ſed hoc magis, in veris Martyribus optimos pueros numerari oportere, luderéque idcirco, & jocari Samuelem Baſnagium, qui ut Martyrum illis nomen non invideat, rem certe ipſam conatur eripere (*b*).

107. Noverat enim, probeque hic homo intelligebat, in ea fuiſſe ſententia, præter Auguſtinum, antiquiſſimos quoſque, atque doctiſſimos, Irenæum, Cyprianum (*c*), Chryſologum (*d*). Quibus & adjungere poterat non Auguſtinum ſolum, cujus plura huc ſpectantia teſtimonia diſſimulare non debuit, ſed Hilarium (*e*) etiam, Ambroſium (*f*), alióſque. In his Irenæus lib. 3. cap. 16. num. 4. olim cap. 17. non 18., in quo peccat Baſnagius, hæc commentatur. *Propter hoc & pueros eripiebat, qui erant in domo David, bene ſortiti illo tempore naſci, ut eos præmitteret in ſuum Regnum, ipſe infans cum eſſet, infantes hominum Martyres parans, propter Chriſtum, qui in Bethlehem natus eſt Judæ, in civitate David, interfectos*. Atque hos etiam Eccleſia ab omni fere antiquitatis memoria in Martyrum numero venerandos ſibi, & colendos ſuſcepit. Nec diſſentit, ut Baſnagii opinio eſt, Vincentius Bellovacenſis. *Laxato*, ait ille, *vocabulo* (§. 106.), quod innocentes pueruli non oratione, & verbis, ſed morte, & ſanguine Chriſto dederint teſtimonium: unde Tertullianus dixerat, eos *teſtimonium Chriſto ſanguine ſuo litaſſe*, & Eccleſia *non loquendo, ſed moriendo confeſſos eſſe*. Enimvero ad obeundum martyrium voluntatis certe quidem conſenſus requiritur in adultis hominibus, qui jam ratione uti poſſunt, non tamen in infantibus pueris, quemadmodum ex Baptiſmo etiam cogno-

(*a*) In Spec. hiſt. lib. 6. cap. 83. (*b*) Ann. 5. ante Chr. num. 65.
(*c*) Epiſt. 56. (*d*) Serm. 152. & 153. (*e*) In cap. 2. Matth.
(*f*) In epiſt. ad Horantianum, & alibi.

cognoſcere facile eſt, quo ſuſcepto, pueri, etſi ratione nondum uti per ætatem queant, a nativa tamen, & hæreditaria peccati labe expiantur, in amicitiamque recipiuntur cum Deo [23].

108. Hæc habui, quæ de priori illo, quo confidebat Cadonicus, Auguſtini teſtimonio dicerem. Præterea enim, quod reſpondeam, occurrit nihil. Tantum fateri debeo, ut facio, adverſario debere me plurimum, quod amplam nec opinanti mihi confutandi Baſnagii occaſionem præbuerit. Venio igitur ad reliqua: de Auguſtino enim uberius ſuo loco. Sacerdotes dum ſacra faciunt, Deum Eccleſiæ nomine obſecrant, piorum ut manes, a quibus in Purgatorio pœnas expetit, in lucem illam abire jubeat, quam olim Abrahæ, poſteritatique ejus promi-

23 Duo hic placet animadvertere. Quod piorum animos Deus a conſpectu ſuo removerit, priusquam unigena Filius vitam pro ſalute humani generis profudiſſet, apertiſſime docuit Irenæus (§. 22.). Nunc tamen ei dictum eſt, Chriſtum beatos illos puerulos, quibus ſanguinem Herodes, vitamque eripuit, in regnum ſuum præmiſiſſe. Quo teſtimonio Cadonicus, ſi notum ipſi fuiſſet, triumphaſſet, credo. At hinc intelligat, velim, quam non facile, neque præpropere ex quibuſdam Patrum vocibus colligere debeat, ſuæ illos opinionis veluti ſemina, ac fundamenta jeciſſe. Magno ſe enim errandi periculo objiceret. Aliqua nunc de ritibus, quos Rubricas vetere vocabulo dicimus, proferamus. Uterque enim Sacerdotes ſumus; is autem, ut ipſius munus poſtulat, totam illam cœremoniarum rationem pulchre callere debet. Quæro, Cadonice, abs te, ecquid fiat, ut in feſto horum puerorum die, divinas dum preces facimus, vetus canticum, *te Deum*, a Sacerdotibus omittatur. Si Micrologum audias (Obſervat. Eccleſ. cap. 36.), idcirco omittitur, quia lætitiæ, & gaudii indicium eſt, pueruli autem de vita egreſſi non in cœlum migrarunt, ſed recta deſcenderunt ad Inferos, ubi Dei præſentia oblectare ſe ſe, lætarique non poterant. Quid ſi hac uterer ratione? Sed utendum non puto, propterea quod & Joannes Baptiſta in regiones illas ſubterraneas abiit, & tamen redeunte quotannis die ejus emortuali, canticum, *te Deum*, recitandum præſcribitur. Omitti igitur cum Amalario (Lib. 1. de Eccleſ. Offic. cap. 41.) arbitror, non propter puerorum migrationem ad Inferos, ſed potius propter magnam lacrymarum vim, quas matres in acerbo filiorum interitu profuderunt. Illud magis notatione dignum exiſtimo, quod idem notavit Amalarius, nempe in die natali Joannis Baptiſtæ vocem *alleluja*, quæ lætitiam ſonat, in tertii, quod ajunt, nocturni Antiphonis prætermitti (nec ea tamen prætermittitur in Apoſtolorum celebritatibus), ideo quia Joannis Baptiſtæ ortus divini Filii obitum, quo tempore æterna hominibus ſalus, atque felicitas parta eſt, anteceſſit. De Ordine Antiph. cap. 59. Patet hinc, Amalarium, quod antea latebat, in noſtram conceſſiſſe ſententiam, nec opinionem Cadonici cum precandi ratione, qua Eccleſia utitur, concordare. Poſſem quoque ex Miſſali, quando hoc ille quæſivit perfugium, auctoritates depromere. Sed nolo plura. Conſulantur præſertim, quæ ſolent Sacerdotes canere in Sabbato ſanctioris hebdomadæ.

promiſerat. Non abnuo; hoc volo, nunquam Deum Abrahæ ſpopondiſse, ipſum in lucem illam exceſsurum, ſtatim ac naturæ, & legibus ſatisfeciſset. Id enim nec affirmat Eccleſia, nec ſperabat Abrahamus, cujus, ut alia taceam, pronepos Jacobus dicebat, ſe propter doloris vim ad filium ſuum, quem a valentiſſima beſtia laniatum eſse acceperat, in Inferos deſcenſurum (*a*). Merito autem iidem Sacerdotes precantur Deum, ut morituris bene eſse velit, & ***beatæ quietis in ſinu Patriarcharum eos complexus adſtringat.*** Etſi enim Patres optimi, atque ſanctiſſimi non ſtatim a morte Deum adjerint, jucundiſſimo ejus adſpectu fruituri, nunc certe regnant in cœlo, triumphanteſque cum Chriſto bonis omnibus, atque deliciis potiuntur.

109. Velim igitur, dicere Cadonicus deſinat, Eccleſiam hoc in loco quodammodo connivere. Ipſius enim ſententia, cum in Catechiſmo (§. 96 – 98.), tum in Breviario (§. 103. 104.) conſtanter, & dilucide expoſita, piorum Deus mentibus ſuam ſemper ſubduxit præſentiam, atque occultavit, neque ex poſteriori libro aliqua homini faventis Eccleſiæ aura afflari poteſt (§. 101. &c.). Quod etſi ex ſuperioribus rebus ita patere arbitror, nulla ut prudenti viro accidere dubitatio debeat, tamen ut adverſarius ab omni ſpe, ſi quam adhuc habet in manibus, dejectum ſe eſſe ſentiat, Pii II. Romani Pontificis litteras recitabimus. Plenam, inquit, ignominiæ, & acerbitatis mortem Dei Filius *in ligno crucis ſuſtinuit*. *In quo moriens mortem noſtram deſtruxit, & vitam reparavit. Deſpoliavit Inferos, abduxit SS. Patres, & victor mortis, ac Diaboli triumphator cœlum jam longo tempore clauſum aperiens aſcendit ad Patrem, nobiſque viam oſtendit, per quam ſequi eum poſſemus*. Sic Romanus iſte Pontifex in Conſtit. 6., quæ incipit, *miſericordias Domini*, edita anno 1461., cum Catharinam Senenſem in ſanctarum Virginum numerum aggregaret, nec multo aliter in Conſtit. 1. §. 1. Quin hic vero Cadonici convellatur opinio, mediocri etiam ingenio homines perſpicient. Oedipo certe conjectore, qui Sphingi interpres fuit, haud eſt opus. Declarat enim Pius, antiquos Patres fuiſſe apud Inferos, hinc, veluti e loco, in quo ſummo aliquo carerent bono, abductos, propterea Dei Filium deſpoliato Diabolo triumphaſſe, cœlique fores tam longo ante intervallo obſtructas aliquando tandem reſeraſſe ad felicitatem huma-

(*a*) Gen. cap. 37. ver. 35.

humani generis ſempiternam. Quæ niſi ſignificant, piis antea de vita egreſſis nondum Deum videndi ſui feciſſe copiam, quo id modo ſignificari poſſit, equidem vix intelligo.

# CAPUT X.

*Ponuntur in medio argumenta, deprompta ex divinis oraculis. Tale non eſſe teſtimonium, a Juſtino olim, Irenæoque uſurpatum. Convinci non poſſe Cadonicum ex formulis, quibus in veteri lege piorum obitus enarratur; ex his tamen Socinianorum errores de immortalitate animi refutari. Præcipua adverſus illum argumenta ſumi, primum quidem, & alterum ex Iſaia, tertium ex Paulo, & Davide, ubi & Marcionis notatur amentia, quartum ex locis, quæ* §. 10. *ſunt a nobis propoſita. Objecta Cadonici, & Lamii. Sinus ne Abrahæ ad Inferos pertineret. Argumentum quintum ex Pauli ad Hebræos epiſtola. Eccleſiaſtis locus exponitur, & Cadonicianis eripitur.*

110. SED jam tempus eſt, taciteque a nobis res ipſa flagitat, ut quando Patrum, Theologorum, Hebræorum quoque, & Eccleſiæ doctrinam in medio poſuimus, & pro virili parte illuſtravimus, de ſacris tandem, diviniſque litteris diſputemus. Argumenta e quibus deprompta contra communem, atque inveteratam aliorum conſuetudinem hunc in locum meditate rejecimus, quoniam futurum ſperamus, ut ſuperiora iis, quæ nunc dicenda ſunt, plurimam opportune lucem, quin etiam pondus, & auctoritatem adhibeant. Hic autem ordo & nobis ſemper mirifice placuit, & inviſus legentibus, aut ingratus eſſe non debet, hominibus præſertim, qui & ſibi perſuaderi aliquid cupiunt, & egregia illa docendi ratione, & via, quæ a Geometris culta, & probata eſt, delectantur.

111. Principio autem, ſi hoc teſtimonium, *& commemoratus eſt Dominus ſanctorum mortuorum ſuorum, eorum, qui ante dormierunt in terra ſepelitionis, & deſcendit ad eos extrahere eos, & ſalvare eos*, germanum, divinumque eſſe conſtaret, jam nullo negotio effectum eſſet, quod volumus. Hanc enim ad rem, eum locum, ut vidimus, Juſtinus, atque Irenæus, nobiliſſimum ſane doctorum par, uſurparunt,

Juſti-

Juſtinus quidem, tanquam Jeremiæ (§. 20.), Irenæus vero nunc tanquam Jeremiæ ejuſdem, nunc tanquam Iſaiæ ſententiam (*a*), nunc etiam ſcriptoris nomine prætermiſſo [24]. Fatendum eſt tamen, nuſpiam in divinis litteris reperiri, in manuque ſcriptis codicibus fruſtra quæri. Doluit profecto Juſtinus, Judæorum fraude, atque malitia e ſacris libris ſublatum fuiſſe. Sed cur hoc potiſſimum, & alia quædam ſimilia de Chriſto teſtimonia e medio ſuſtulerit Judæorum protervia, reliquis vero longe illuſtrioribus, gravioribuſque pepercerit, magnus, ut arbitror, nodus eſt, quem, niſi ſeces, non facile certe quidem expedias. Vereor igitur, his ut duumviris fucum fecerit apocrypha quædam ſcriptura, quæ tunc temporis multorum manibus tereretur. At hoc ſaltem deputandum in lucro. Sequitur enim, primis illis noſtri nominis ſæculis, non Juſtini ſolum, atque Irenæi, ſed aliorum quoque exploratam, & ſtabilem fuiſſe ſententiam, piorum animos, qui emigraſſent e vita, non ſtatim conjunctos fuiſſe cum Deo, nec in illius conſpectum admiſſos, etſi pœnas male anteactæ vitæ deberent nullas perſolvere. Vide §. 23.

112. Sunt qui ejus rei argumentum deſumi poſſe arbitrantur ex ipſis verborum formulis, quibus optimi cujuſque mors in ſacris litteris narrari ſolet. Eſt enim de Abrahamo Gen. cap. 25. ver. 8. *& deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, provectæque ætatis, & plenus dierum: congregatuſque eſt ad populum ſuum*, quemadmodum multo ante Deus ipſe prædixerat hunc in modum: *tu autem ibis ad patres tuos in pace, ſepultus in ſenectute bona* (*b*). Quæ verba intelligi nequeunt de Abrahami corpore, quod illatum eſt in ſepulchrum, ab ipſo recens extructum, ubi, præter Saram uxorem, nemo adhuc reconditus fuerat, ſed de animo accipi omnino debent, qui, cum purus, & integer his ſe vinculis corpo-

(*a*) Lib. 3. cap. 20. num. 4. (*b*) Gen. cap. 15. ver. 15.

24 Lib. 4. cap. 33., & lib. 5. ut ſupra in §. 22. Ponam autem verba Irenæi in lib. 4. cap. 22. num. 1. edit. Maurin. teſtimonium illud Jeremiæ adſcribentis: eo magis, quod quam impenſe ſanctus vir mihi faveat, apertiſſime hinc planum fiet. *Recumbentibus eis*, inquit, *miniſtrabat eſcam, ſignificans eos, qui in terra recumbebant, quibus venit miniſtrare vitam, ſicut Hieremias ait*,, recommemoratus eſt Dominus ſanctus Iſrael mortuorum ſuorum, qui prædormierunt in terra defoſſionis, & deſcendit ad eos, uti evangelizaret eis ſalutare ſuum, ad ſalvandum eos,, Cum ait Antiſtes hic noſter, *in terra recumbebant*, ludit in verbo *ἀνακεῖσθαι*, quod in proxime ſuperiori verſiculo *diſcumbere ad menſam* ſonat, hic vero *jacere mortuum*.

corporis relaxaſſet, ad divinum illud concilium, cœtumque animorum ſui ſimilium diſceſſit, congregatus nempe eſt, conjunctuſque cum piis cæteris, Adamo, Abele, Setho, Enos, Noe, qui, vita religioſe, innocenterque traducta, in Limbum venerant, ubi Liberatoris, Deique ſui adventum exſpectabant. Cum igitur ſacri ſcriptores loquuntur de bonis, ante Chriſtum de vita egreſſis, *appoſitus eſt*, inquiunt, *ad patres ſuos*, vel, *congregatus eſt ad populum ſuum*, vel, *dormivit cum patribus ſuis*, aut tale aliquid. Loquentes vero de noſtris, quos Deus ſingulari beneficio in hæc feliciora tempora reſervavit, eoſdem diſſimili prorſus ſententia dicunt, *obdormiſſe in Domino*, ut Stephanum (*a*), aut, *dormiſſe in Chriſto* (*b*), aut, *mori in Domino*, aut tandem, *diſſolvi*, & *eſſe cum Chriſto*, quæ Pauli vox eſt, omnium frequentata ſermonibus. Hi nempe poſt diſceſſum e vita ſtatim abierunt ad Deum, divinæ e veſtigio viſionis lumine fruituri, non item ſuperiores illi, qui idcirco ne dici quidem poterant in Deo, aut in Domino obdormire, ſed congregabantur cum patribus, & majoribus ſuis, Servatorem interea humani generis exſpectaturi, a quo tandem ſoluti vinculis in poſſeſſionem Dei, bonorumque cœleſtium mitterentur.

113. Uſus eſt hoc argumento Paulus Burgenſis (*c*), ſed fateri ingenue debeo, tale non eſſe, ut, quamvis ſua fortaſſe probabilitate non careat, adverſarium tamen poſſit convincere. Neque id ſine cauſſa. Illæ enim dicendi formulæ, abire ad patres ſuos, & hujus ſimiles, in ſacra Hebræorum ſcriptura ſæpenumero adhibitæ, non ſolum de hominibus innocentia vitæ ſanctis, ut de Abrahamo, de Iſaaco, de Jacobo, de aliis uſurpantur, verum etiam de malis, & impiis, ut de Iſmaele (*d*), de cujus ſalute vehementer ambigitur, de Achabo (*e*), & Achaz (*f*), quos in æternorum ſuppliciorum locum truſos eſſe intelligimus, ac denique de aliis fere omnibus regibus, licet fœde, ac flagitioſe vixerint, de quibus libri Regum, Paralipomenonque commemorant. Quo fit, ut ea argumentatione, tanquam parum firma, & perſpicua, pugnare nolim.

114. Nullam ne igitur, inquies, ex ſuperioribus formulis utilitatem capiemus? Non ita ſane; neque ego committam,



(*a*) Act. cap. 7. ver. ult. (*b*) 1. ad Corinth. cap. 15. ver. 18.
(*c*) In cap. 49. Geneſ. additione ult. (*d*) Gen. cap. 25. ver. 17.
(*e*) Lib. 3. Reg. cap. ult. ver. 40. (*f*) Lib. 2. Paral. cap. 28. ver. 27.

ut hæc legens omnino tempus abjeceris. Niſi enim aliud, hoc ſaltem exinde colligi, cogique poteſt, errare vehementer Socinianos, qui in ſacris Hebræorum libris nunquam fieri immortalitatis animorum mentionem putant, immo hanc doctrinam clamitant, eorum ipſorum decretis eſſe contrariam, & ex Pythagoræorum, atque Platonicorum philoſophia in Chriſtianam religionem manaſſe. Scio equidem, illas locutiones, ut narrant Hebraicarum rerum interpretes, quaſdam eſſe dicendi formulas, his Latinorum ſimiles, ceſſit e vita, migravit ab hominibus, amandatus eſt infra mortuos, naturæ ſatisfecit, mortem oppetiit, deſignantes, eos, de quibus diſſeritur, obiiſſe; compertum tamen eſſe arbitror, varias eiſdem verbis notiones ſubjici poſſe, & ſententias, ita ut non ſolum ſignificent cum elegantia id, quod potiſſimum agitur, ſed attentis myſteria quædam aperiant. Quæ res in ſacris præſertim litteris valere debet, quarum eſſe Deum auctorem cognovimus. Cum apud Ciceronem Cato in libro de ſenectute, o præclarum diem, ait, cum ex hac turba, & colluvione diſcedam!, præter mortem, explicat etiam infelicem hujus vitæ ſtatum, in quo cum tanta iſta fœce hominum congregamur. Ac ne digrediar a divinis oraculis, cum Paulus noſter vetat, nos *de dormientibus contriſtari*, nonne & jubet, ut ne mortuorum vicem doleamus, & eadem opera docere vult, hominum corpora eſſe olim reſtituenda in priſtinum, ad vitamque revocanda? Quod ajunt igitur Sociniani, in toto Moſis Pentateucho nullum eſſe immortalitatis animorum veſtigium, in eo homines imprudentia, veritatiſque odio labuntur; placet mihi vero Cajetanus, qui ex ſuperioribus illis formulis, quas enarravimus, concludit, ſacros etiam Hebræorum libros non obſcuram, neque tam raram ejus doctrinæ mentionem feciſſe (*a*).

115. Niſi ergo Cadonicum, Socinianos certe quidem, quantum hic locus poſtulabat, refellimus. Cum Cadonico autem primum Iſaiæ teſtimonio depugnabimus. Is enim cap. 53. ver. ultimo ita vaticinatur de Chriſto. *Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia, pro eo, quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit*. Ac totum quidem caput ad humani generis Liberatorem, cujus res

(*a*) In cap. 25. Geneſ.

Digitized by Google

res geſtas inſtinctu, inflatuque divino prænunciat, referri oportere, Daniel Huetius egregie demonſtravit, hoc autem verſiculo futurum portendi, ut antiquorum Patrum animi ex illa quaſi Inferorum cuſtodia emittantur, his perſuadere conabimur rationum momentis. Principio animos eorum, qui mortem effugerint, ſpolia in ſacris litteris appellari, ſatis perſpicuum eſt. Hinc Jeremias non ſemel, *ſed erit tibi anima tua Leſcalal, in ſpolium*. Apud Iſaiam præterea Meſſiæ hoc nomen imponitur, *accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari* (*a*), idque de Filio Dei intelligendum eſſe, graviſſimi Patres, ut Juſtinus, Tertullianus, & alii docuerunt. Fortes, quibus Meſſias ſpolia detraxit, quinam haberi debeant, diſtincte Paulus in epiſtola ad Coloſſenſes data explicavit: *& exſpolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo*. Poteſtates appellat & in epiſtola ad Epheſios *principes mundi rectores tenebrarum harum* (*b*), quos Iſaias fortes appellaverat. Mortis quoque fortitudo, & Inferni prædicatur in Canticis: *fortis eſt, ut mors, dilectio, dura ſicut Infernus, æmulatio* (*c*); & David: *quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem, eruet animam ſuam de manu Inferi* (*d*)? Dividere ad extremum perinde eſt, ac partem ſumere, partem relinquere, convenitque cum morſu, cujus vim ex illo Oſeæ oraculo, *morſus tuus ero, Inferne*, ſæpius Patres exponentes audivimus. Rerum ergo multarum obſcuras, & neceſſarias intelligentias enudavi: quo conſtituto, intelligere proclive eſt, ſpolia illa fortium, quæ dividenda Iſaias prædicit, piorum animos deſignare ex intimis terræ receſſibus a Dei Filio liberatos, & in cœlum evectos, relictis intereaapud Inferos impiis; tum viventium hominum animos, quos peccati, & Diaboli crudeli dominatus oppreſsos idem Dei Filius benigne ſolvit, in libertatemque reſtituit.

116. Eodem ſpectant complura alia Iſaiæ oracula, illudque potiſſimum, *dedi te in fœdus populi, in lucem gentium; ut aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris* (*e*), hoc etiam, *dedi te in fœdus populi, ut ſuſcitares terram, & poſſideres hæreditates diſſipatas; ut diceres his, qui vincti ſunt, Exite, & his,*

R 2 *qui*

(*a*) Cap. 8. ver. 1. & 3.
(*b*) Cap. 6. ver. 12.
(*c*) Cap. 8. ver. 6.
(*d*) Pſal. 88. ver. 49.
(*e*) Cap. 42. ver. 6. & 7.

*qui in tenebris*, *Revelamini* (*a*). Sed diutius his in locis non verſabitur oratio mea, ideo quod difficiles explicatus non habent, eademque, ut vidimus, eruditiſſimi Græcorum Patrum, Cyrillus (§. 47.), & Anaſtaſius Sinaita (§. 49.), e re noſtra illuſtrarunt. Idipſum facit auctor Elucidarii inter opera Anſelmi, dignuſque præterea eſt, qui adeatur, Calmetius (*b*).

117. Tertium igitur proponere juverit, atque ornare argumentum, duceturque ex teſtimonio Davidis notiſſimo, celebratiſſimoque ſermone omnium, *aſcendiſti in altum*, *cepiſti captivitatem* (*c*), quod a Paulo longo poſt tempore, adhibitum Dorotheus, Palæſtinus Archimandrita (§. 54.), illoque ſuperior, Taurinenſis Pontifex, Maximus (§. 42.), & ex Maximo Eccleſia (§. 103.) in eandem interpretantur ſententiam. Quamquam unus David inſtar omnium eſſe poteſt, cujus illud oraculum celebre Paulus, & clarum fecit, enodatiuſque his verbis expoſuit: *aſcendit in altum*, *captivam duxit captivitatem*, *dedit dona hominibus*. Manu enim, prope dicam, tenemus, Dei Filium in ſublime aſcendentem, ideſt in cœleſtem patriam redeuntem, prædam ſecum opimam, nobiliſſimam, atque pulcherrimam abduxiſſe. Prædam vero unde egerit, ne ignorare poſſemus, divina providit ejuſdem Pauli diligentia, qui verbi *aſcendiſti* vim, ac poteſtatem evolvens, captam fuiſſe mox ſubjicit in ſubterraneis illis regionibus, ad quas ſtatim a morte victoriæ jure diſceſſerat. *Quod autem aſcendit*, *quid eſt*, *niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ? Qui deſcendit*, *ipſe eſt*, *& qui aſcendit ſuper omnes cælos*, *ut impleret omnia*. Prædam hanc vero, ſeu potius captivitatem plane ſanctam, puram, nulliſque pollutam ſordibus, nec contaminatam fuiſſe, perſpicere ex eo liquido poteris, quod aſcendentem in cœlum Chriſtum ſecuta ſit, in idque regnum pedem intulerit, in quod, ut ex divino oraculo accepimus, nihil maculoſum, nihil vitiatum, nihil tandem, quod abominari poſſis (*d*), ingreditur. Neque enim ex hoc numero illi ſunt, quorum Marcion ſalutem cogitatione ſibi finxit (nam de argento ſomnium), ſed quos divinæ litteræ, & Eccleſia veluti probos, ac religioſos viros agnoſcunt, atque ſuſpiciunt (vid. §. 11.), quod adeo inter omnes conſtat doctos non ſolum, ſed etiam indoctos, ut qui olim

(*a*) Cap. 49. ver. 8. & 9.
(*b*) In poſter. locum.
(*c*) Pſal. 67. ver. 19.
(*d*) Apocal. cap. 21. ver. 27.

olim adverſus hominem calamum acuerunt, Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, ſimiles ne faciendum quidem putaverint, ut ejus commentum rationibus, argumentiſque refellerent. Ea ſiquidem eſt Marcionis ſtultitia, opinioniſque perverſitas, ut etiam ſine teſtibus, & auctoritatibus teneatur [25]. Nam quod Heterodoxi poſteriores, Marloratuſque nominatim de alio tantum captivorum genere eum locum accipiunt, de morte ſcilicet, Inferno, & Diabolo, veritati vim adhibent, etſi omnino concedi debeat, hos Chriſtum hoſtes viciſſe, in poteſtatemque ſuam, ac ditionem in perpetuum redegiſſe. Rationes vero, cur ita ſentiamus, judicio ſuo graviſſimo, & maximo Caſſiodorus confirmat, qui regium illud oraculum diligenter expoſuit. Nam Dei Filius, inquit, *crucifixus deſcendit ad Inferos, & liberatos a captivitate perduxit ad cælos. Neceſ-*

*ſe*

25 Blateravit enim homo veſaniſſimus, in illa Chriſti glorioſa, & lætabili ad Inferos migratione Cainum, Eſau, Sodomitas, Gentiles, cæteroſque ejuſdem generis impios ſalutem conſecutos fuiſſe; Abelem autem, Enochum, Noe, Abrahamum, & Patriarchas, ac pios reliquos relictos eſſe apud Inferos ſine ulla rerum exſpectatione meliorum. Itaque de ſalute penitus deſperaſſe. *Super blaſphemiam autem, quæ eſt in Deum, adjecit & hoc, vere Diaboli os accipiens Marcion, & omnia contraria dicens veritati: Cainum, & eos, qui ſimiles ſunt ei, & Sodomitas, & Ægyptios, & ſimiles eis, & omnes omnino gentes, quæ in omni permixtione malignitatis ambulaverunt, ſalvatas eſſe a Domino, quum deſcendiſſet ad Inferos, & accucurriſſent ei, & in ſuum aſſumpſiſſe regnum: Abel autem, & Enoch, & Noe, & reliquos juſtos, & eos, qui ſunt erga Abraham Patriarcham, cum omnibus Prophetis, & his, qui placuerunt Deo, non participaſſe ſalutem, qui in Marcione fuit, ſerpens præconavit.* Lepida eſt autem, qua inducitur, ratio, ut hæc tam temere de ſanctis viris effutiat. *Quoniam enim ſciebant, inquit, Deum ſuum ſemper tentantem eos, & tunc tentare eum ſuſpicati, non accucurrerunt Jeſu, neque crediderunt annuntiationi ejus: & propterea remanſiſſe animas eorum apud Inferos dixit.* Hæc de Marcionis erroribus Irenæus (lib. 1. cap. 27. num. 3. edit. Maur.), quem *Diaboli* ait *os accepiſſe*, non obtrectandi libidine, ſed propter maledicta, atque impias hominis, & nefarias voces, quas in cœlum, ejuſque incolas ſceleratiſſime evomebat: eadem plane ratione, qua Paulus Elymam Magum *Filium Diaboli, & omnis juſtitiæ inimicum vocaverat.* Re enim vera miniſter Marcion fuit, & ſatelles Diaboli, atque ſerpentis, quem Joannes in Apocalypſi bellum gerere in cœlum, cœlique habitatores pronunciat. Patres quippe ſanctiſſimos, Prophetas, totamque ejuſmodi piorum familiam, quos Dei Filius, ſoluto ſui ſanguinis pretio, redemit ab hoſtibus, in ſuorumque numerum aggregavit, damnare, homines vero improbiſſimos ſalvos, beatoſque eſſe velle, nonne eſt pugnare cum Deo, cœlum terra miſcere, Paradiſum denique ipſum cum Inferno confundere? Sed de Marcione fortaſſe poſterius. Nunc Græca ſuperioris loci verba legi poterunt apud Theodoretum lib. 1. hæret. fabul. cap. 24.

*ſe enim fuit mortem perire, cujus regnum vita pervaſit. Hæc ſunt ſpolia illa, quæ ſuperius dixit, unde ſancta ornatur Eccleſia, unde Domini regna complenda ſunt*. Aſcendit *ipſe utique, qui propter nos deſcendit eruendos*. In altum, *videlicet ſupra cælos cælorum*. Et ſcriptor ille expoſitionis in Pſalterium, quæ Hieronymi nomine circumfertur, interpres, ut alibi diximus, valde probabilis, & antiquus, *aſcendiſti*, ait, *in cælos, captivaſti nos, qui captivi tenebamur a Diabolo. Qui quondam in Sinai deſcendens populo legem diſtribuit, ipſe nunc in ſancto, ideſt in aſſumpto homine* (*de quo Angelus ad Mariam:* quod naſcetur ex te, ſanctum vocabitur) *cælorum excelſa conſcendens, eos, qui in captivitate Diaboli tenebantur, abſolvit, ac poſt ſe tanquam captivos deductos æternæ vitæ reſtituit* (*a*). Ac tandem Eccleſiam quam ea delectet interpretatio, præter Breviarium (§. 103.), in Romano etiam Catechiſmo abunde patefactum eſt (*b*). Quapropter quod indicatum a Calmetio video (*c*), hanc oraculorum Davidis, & Pauli explicationem eſſe ejuſmodi, quam optimi, & probatiſſimi ſequerentur interpretes, non rationibus ſolum, ſed teſtibus docui; atque adeo una illud effeci, quod in omni argumentatione a me fieri oportet, captivis Chriſtum, quos ereptos ex Inferis in cœleſte regnum, domiciliumque introduxit, ſalutem etiam, beatitudinemque optatiſſimam, quæ tota in Dei viſione nititur, attuliſſe.

118. Atque hujus rei locuples quarto loco documentum ſuppeditant illuſtria Oſeæ, Zachariæ, Davidis iterum, ac Pauli teſtimonia capite 1. §. 10. a nobis propoſita. Hoc ibi unum docuimus, quod Dei Filius cum in infimas terræ partes ſe contuliſſet, animas ſibi chariſſimas in ſinum Abrahæ receptas, tanquam e cuſtodia eduxit, ſummaque confeſtim voluptate, & inexplicabili gaudio cumulavit; an vero antea ſua illas Deus fortunaret præſentia, nec ne, conſulto tacuimus, re in hunc locum opportunius rejecta, ne videremur id ſumere, quod eſt in quæſtione poſitum, & a nobis ſatis perſpicue demonſtrari non poterat. Quæſtio igitur nunc demum diſſolvenda, quod priuſquam facio, auctoritatum illarum redeundum eſt in memoriam. I. Oſeas igitur ſic ajebat: *de manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, o mors, morſus*

(*a*) In pſal. 67. (*b*) Par. 1. de ſymb. art. 6. cap. 7. num. 6.
(*c*) Comment. in hunc pſal.

*morſus tuus ero, Inferne*; Zacharias vero: *tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua*; at David: *qui educit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos, qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris*; Paulus tandem: *exſpolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo*. Hæc autem verba, ſi vel mediocrem ad conſiderandas res adhibeas diligentiam, non ſolum piorum tibi ex Inferorum locis liberationem ſignificant, ſed clamant etiam, loquunturque ipſa per ſe, ea illos antea conditione uſos eſſe, ut omnino Deum non cernerent. Nam qui de mortis faucibus redempti ſunt, qui ſoluti vinculis, & de cuſtodiis liberati, qui demum, tanquam hoſtium, & tyrannorum ſpolia, in libertatem priſtinam reſtituti, iis certe non ea ſe forma oſtendebat Deus, quæ animos florentes efficit, ac beatos: tales vero fuerunt Patres illi ſanctiſſimi, atque optimi, qui in ſinum, complexumque Abrahæ venerant (ex §. 8. & 14.); his igitur ea, quam dixi, forma ſe Deus antea non oſtenderat, ideſt in conſpectum non dabat.

II. Ac ſane ſuperiora loca explicanda eſſe de piis, penes Abrahamum interea temporis diverſantibus, multa ſunt argumenta ad docendum idonea, ſententia Eccleſiæ, ratio magnorumque Patrum auctoritas. Primum ſententia Eccleſiæ, quæ illa Oſeæ, Zachariæ, Paulique oracula hunc in modum, ut vidimus, interpretata eſt, & expoſuit (§. 97.). Quis autem ab Eccleſiæ doctrina, quæ præſertim perſpicua ſit, & illuſtris, atque omnibus obvallata præſidiis, ſibi abeundum putaverit? Deinde ratio. Nam de impiis teſtimonia id generis intelligi nullo pacto poſſunt, ut §. 11. 12., atque alibi etiam, occaſione oblata, docuimus. Sed ne de bonis quidem, in Purgatorio leviores, quas contraxerant, animi labes eluentibus, vel graviorum, quæ admiſerant, ſatis tamen in hac vita non expiaverant, peccatorum Deo pœnas ſolventibus: clementiſſimus enim Servator noſter illos quidem bene ſperare juſſit, pœnæ quoque vim, & acerbitatem imminuit (§. 13.), ſed reliquit tamen in Inferis, Deo adhuc ſatisfacturos de injuriis (§. 15.), quod & B. Thomæ doctrina, auctoritatéque uberrime oſtendimus (§. cit. II.): reliquum igitur eſt, ut referantur ad pios, quieſcentes in ſinu Abrahæ, quaſi in aliquo opportuno, & honeſtiſſimo diverſorio. Idipſum denique planum fieri poterit magnorum, & graviſſimorum Patrum aucto-

rita-

ritatibus. Sed ut controverſiam perſpicue tractemus, omnemque effugiendi aditum & Cadonico, & aliis intercludamus, breviter quidem, ſed ſeorſim tamen, ac ſigillatim de unoquoque teſtimonio dicendum eſt.

III. Ad Oſeam quod attinet, ejus prædictionem apte, appoſiteque ad id, quod agimus, explicarunt olim Cyrillus Hieroſolymitanus Antiſtes, Gregorius Magnus, Romanus Pontifex (§. 11.), auctor Gloſſarum in Exodum (§. 81.) Huguccio Ferrarienſis Epiſcopus (§. 74.), &, quod pluris æſtimes, totum Toletanorum Patrum concilium (§. 66.). Par autem, ac gemina interpretatio eſt Hieronymi, cujus ſi verba ſubjecero, fidem ſolvam, quam dederam (§. 39.). Audiatur. *Liberavit autem omnes Dominus, & redemit in paſſione crucis, & effuſione ſanguinis ſui, quando anima ejus deſcendit ad Infernum, & caro ejus non vidit corruptionem, & ad ipſam mortem, atque Infernum loquutus eſt*: ero mors tua, o mors. *Idcirco enim mortuus ſum, ut tu mea morte moriaris*. Ero morſus tuus, Inferne: *qui omnes tuis faucibus devorabas. Videnſque mortis duram neceſſitatem, & quod nullus ſit hominum, qui vivat, & non videat mortem, clementiſſimus pater ſententiæ recordatur antiquæ, quia in Adam omnes morimur..... Inter mortem autem, & Inferos hoc intereſt: mors eſt, qua anima ſeparatur a corpore; Infernus, locus, in quo animæ recluduntur ſive in refrigerio, ſive in pœnis pro qualitate meritorum* (a). Ut autem qui ſacrarum litterarum ſcientiam reconditiorem non tenent id, quod de Cyrillo conſtitui, intelligant, monendi benevole a me ſunt, ſeptuaginta Interpretes Oſeæ oraculum ita vertiſſe: ἐκ χειρὸς ᾅδου ῥύσομαι αὐτοὺς, ἐκ θανάτου λυτρώσομαι αὐτοὺς. Ποῦ ἡ δίκη σοῦ, θάνατε, ποῦ τὸ κέντρον σοῦ, ᾅδη; *de manu Inferi eruam eos, de morte redimam eos. Ubi eſt cauſſa tua, o mors, ubi ſtimulus tuus, Inferne?* Liquet hinc, Cyrillum loco illo, quem ſupra deſcripſimus (§. 35.), reſpectum ad Oſeæ teſtimonium habuiſſe; eodemque ſpectaſſe etiam auctorem libri de myſterio Paſchæ, ſive is Ambroſius ſit, ſive alius, cum hæc capite quarto ſcribebat: *expers peccati Chriſtus, cum ad Tartari ima deſcenderet, ſeras Inferni, januaſque confringens, vinctas peccato animas, mortis damnatione deſtructa, e diaboli faucibus revocavit ad vitam, atque ita divinitus triumphus æternis eſt chara-*

(a) Lib. 3. in Oſe. cap. 13. Tom. 6. edit. Vallarſ.

*characteribus conſcriptus, dum dicit*: „ ubi eſt mors aculeus tuus? Ubi eſt mors victoria tua „?

IV. Poſt hæc animum libenter induxerim, ut cum Vallarſio, doctiſſimo homine, atque eruditiſſimo, exiſtimem (*a*), non bene operam collocaſſe Marianum Victorium, Reatinum Antiſtitem, qui apud Oſeam de Purgatorio agi longa conatus eſt perſuadere oratione (*b*). Egregiam ſcientiſſimi viri bene merendi de Purgatorio, reſiſtendique Heræticis voluntatem probo, opinionem ne ſequar, facit Eccleſiæ doctrina (§ 97.); facit auctoritas Patrum (III.), facit denique divini vatis conſilium. Propoſitum enim Oſeæ eſt, talia de Chriſto prænuncianti, ſingularem triumphum, glorioſiſſimamque, & inauditam victoriam, qualis nunquam antea contigiſſet, deſcribere. Hic autem triumphus, hæc victoria magis in pios quadrat in ſinu Abrahæ commorantes, quam qui in Purgatorio pœnas dabant. Hos enim, amabo te, quam ſæpe de poteſtate mortis Deus redemerat? Quam ſæpe etiam Infernum momorderat, cum ipſos ex tetro illo, & horribili carcere in ſinum Abrahæ immigrare jubebat, præſertim ſi hunc ſinum extra Inferos ſtatuas?

V. De hac opinione, quæ recens in Theologiam inducta eſt, videbimus paullo poſt (§. 121.) nunc ſequitur, ut de Zachariæ oraculo quam breviſſime ediſſeramus. Nam præter ſuperiora, quæ adjungam, vix habeo. Tantum igitur revocandum eſt in memoriam, id teſtimonii de piis apud Abrahamum commorantibus intelligi voluiſſe Antiſiodorenſem Remigium (§. 70.), & Huguccionem Ferrariæ Antiſtitem (§. 74.). Creberrime autem in hac explicatione acquievit, vir longe maximus, atque perſpicaciſſimus, D. Thomas Aquinas (*c*), &, qui in idem ſæculum incidit, Jacobus Genuenſis, cujus orationem accipere, Lectorem ne pigeat, rogo (*d*). *Voluit Dominus deſcendere ad Inferna. Primum propter triumphum: de hoſte enim tunc quis perfecte triumphat, quando non ſolum eum in campo vincit, ſed etiam exſpoliat, & in domo ſua eum ligat. Chriſtus Diabolum in cruce vicit, ſed in Inferno eum ſpoliavit. Coloſſ.* 3. Exſpolians principatus, & poteſtates. *Secundo propter remedium: ut ſcilicet ſanctis Patribus ſubveniret, & eos de Limbo educeret.* Zachariæ 9. Tu quoque in ſanguine teſta-

S

(*a*) In hunc locum Hier. . . (*b*) In S. Hier. edit. hic.
(*c*) 3. part. quæſt. 52. paſſim. (*d*) Serm. 3. in Domin. 21. poſt Trinit.

teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua „. Nec te moveat aqua iſta, quæ aberat. Aberat enim e lacu, ideſt ex ſinu Abrahæ apud Inferos poſito, non illa quidem, quæ conſolationis aqua eſt, cujus ſe potione Lazarus recreabat, cujus guttam dives in gehenna expetebat, ſed aqua aberat hauſta e fontibus Salvatoris, deducta ex rivis ſalientibus in vitam æternam, in animos copioſiſſime influens ex torrente voluptatis divinæ, unde qui biberint, nihil ultra ſitiunt, ſed toti in Dei conſpectu, & colloquio ſuaviſſime conquieſcunt. Hinc ſtatim ſubjicit Zacharias: *convertimini ad munitionem vincti ſpei*; vos videlicet, qui in Inferis ob noxam incluſi, & conſtricti tenemini (*a*), macti virtute, & in arcem cœleſtem, quæ jam demum Chriſti ſanguine expugnata eſt, ad quam unice adſpiratis, irrumpite. Pios ſcilicet, qui erant in ſinu Abrahæ, vir divinus alloquitur. Nomen enim vinctorum ſpei latius patet, quam ut bonos in Purgatorium detruſos ſignificare videatur. Sperabant illi quidem, ſe aliquando relaxandos e vinculis; ſed interea non ſolum conſtricti vinculis tenebantur, ſed etiam acerbiſſimas pœnas peccatis debitas tolerabant.

VI. Jam Davidis teſtimonio loca alia in ſacris litteris quam ſimillima invenio. David ipſe ſibi mirifice, atque omni ex parte conſentiens, pſal. 106. ver. 14. & 16. *eduxit*, inquit, *eos de tenebris, & umbra mortis, & vincula eorum diſrupit ...... quia contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit*; Iſaias quoque, *ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi theſauros abſconditos* (*b*). Hinc a Patribus ſæpenumero traditum, Dei Filium digreſſum ad Inferos portas æreas contriviſſe, & vectes fregiſſe ferreos, cum captivis ſuis in ſinu Abrahæ quieſcentibus lucem ipſorum ſententia, libertatem, vitam, ſalutemque importavit. In his præcipue ſunt Euſebius, Jacobus Niſibenus (§. 33.), Julius Firmicus Maternus (§. 38.), Euſtratius (§. 55.), auctor ſermonis de Reſurrectione Domini apud Auguſtinum (59.), auctor operis de myſterio Paſchæ (III.), & quorum teſtimonia vel ſolum deſignavi, ac notavi, ut Gregorius Nyſſenus (§. 33.), Joannes Caſſianus (§. 43.), & Euthymius (§. 72.), vel prorſus tran-

(*a*) Ex Catech. Rom. par. 1. cap. 6. num. 5.

(*b*) Cap. 45. ver. 2. & 3.

tranſivi ſilentio, ut Joannes Chryſoſtomus, atque alii, prope dixeram, innumerabiles. Aureum Chryſoſtomi locum, quoniam interpretationem meam mirum in modum corroborat, quin hic adſcribam, impetrare a me nequeo. Quare ecce tibi. *Quoniam cum in Infernum deſcendiſſet, omnia turbavit, ſtrepitu; atque tumultu univerſa replevit, arcemque deſtruxit, hanc rem* Prophetæ *non ſilentio prætereunt, ſed modo David dicit*: attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ; *modo Iſaias aliter*, portas æreas confringam, & vectes ferreos conteram, & aperiam tibi theſauros tenebroſos, occultos, inviſibiles oſtendam tibi, *ſic appellans Infernum. Nam etiamſi Infernus eſſet, attamen ſanctas animas, & vaſa pretioſa ſervabat, nempe Abraham, Iſaac, & Jacob: propterea theſauros appellat, tenebroſos autem, quia nondum ſol juſtitiæ ibi fulſerat.* Velim autem ſciat, Cadonicus, hæc ſummum virum ſcripſiſſe oratione illa, vel libro, quo anno 388. ex divinorum vatum prædictionibus adverſus Gentiles, & Judæos Chriſtum Deum eſſe demonſtrandum ſuſceperat (*a*). Ubi idcirco acri eum judicio, ſingulari diligentia, & exquiſito rerum, argumentorumque delectu agere oportuit.

Nec vero ſapientiſſimi Patres, ut fingere Calvino placuit (*b*), ignorabant, Iſaiam quidem, ſi voces ſpectes, & ſyllabas, loquutum eſſe de Cyro, Davidem autem de Judæo populo in ſervitutem abducto; ſed illis loquendi formulis, & ſententiis uſi ſunt, quod Cyrus Chriſti imaginem gereret (quem idcirco Iſaias maximis litteris Chriſtum vocat, a quo deinde ad humani generis Conſervatorem, qui vere, ac proprie Chriſtus eſt, manifeſte progreditur), frequens vero Judæorum ex ſervitute, ditionéque hoſtium liberatio, in patriamque reductio divinam illam Chriſti clementiam, bonitatemque incredibilem adumbraret, qua factum eſt, ut piorum apud Inferos animi lucem, ſalutemque redditam ſibi, ac reſtitutam acceperint. Inexplicabilem cujus beneficii vim ſignificavit audax Sampſonis facinus, qui Gazanæ civitatis fores cum poſtibus, & ſera ſuſtulit, impoſitaſque humeris in montis faſtigium, qui ad Hebron ſpectabat, deportavit per id temporis, quo locum civitatis principes præſidiis firmaverant (*c*).

S 2 VII. Re-

(*a*) Tom. 1. edit. Montf. (*b*) Inſtit. lib. 2. cap. 16. ſect. 9.
(*c*) Judic. cap. 16. ver. 3.

Digitized by Google

VII. Reſtat Pauli auctoritas in epiſtola ad Coloſſenſes data. Eam ignotus auctor, qui edidit in Pauli epiſtolas commentarios Anſelmo ſuppoſitos, de piorum animis in ſinum Abrahæ receptis, quos Chriſtus ex Inferis, victo, ſpoliatoque Diabolo, eduxit, minutatim expoſuit (§. 72.). Sed improbat interpretationem Anſelmi (Anſelmo enim commentarios acceptos refert) Cornelius a Lapide, cui placet, declaratum a Paulo eſſe, Chriſtum victoris inſtar circumduxiſſe Diabolum, nefarioſque ejus ſatellites, ut cladem, quam acceperant, ante omnium oculos poneret. Suſpicabitur fortaſſe aliquis, gravate me ferre, aut ſuccenſere Cornelio, quod hanc Paulini oraculi explicationem rejiciat. Næ is vehementer erraret. Nam tantum abeſt, ut ſubiraſcar, ut illi potius humaniſſime ignoſcendum putem. Etenim cum interpretem ageret, atque adeo magna volumina deberet conſcribere, non potuit hoc loco ſigillatim cognoſcere de auctoritatibus Ephræmi Syri (§. 36.), Ruffini (§. 40.), Paulini Aquilejenſis (§. 41.), Cyrilli, ac Synodi Alexandrinæ (§. 48.), Liturgiæ Marco adſcriptæ (§. 58.), Quiriaci Eremitæ (71.), Ivonis (§. 72.), Egberti (§. 73.), Pii II. ſummi Pontificis (§. 10.), Jacobi Genuenſis (III.), auctoris commentariorum in Pauli epiſtolas in Ambroſii Appendice latentium (*a*), ac tandem aliorum graviſſimorum Patrum, qui cum affirmant, unigenam Dei Filium Inferos, tyrannumque teterrimum ſpoliaſſe, prædamque ei opulentiſſimam, ac pretioſiſſimam detraxiſſe, moti hoc Pauli teſtimonio ſunt, quod de bonorum animis apud Abrahamum commorantibus conſtantiſſime intelligi voluere. Grates tibi igitur, ſumme Deus, vobiſque cœlites univerſi. Perorare aliquando poſſumus, argumentumque in pauca conferre. Pii illi, ad quos conveniunt divina Oſeæ, Zachariæ, Davidis, & Pauli oracula §. 10. in medium producta, nunc autem copioſe, ac dilucide expoſita, Deum antea non videbant; intelligi autem reipſa debent de piis, qui in beatas illas Abrahami ſedes conceſſerant; id enim flagitat doctrina Eccleſiæ (§. 97.), ratio (I.II.), auctoritas Patrum (III.&c.), ipſum denique divinorum ſcriptorum conſilium, atque propoſitum (noſtra quippe in Oſeam animadverſio (IV.) cadit & percommode in reliquos); Deum igitur non viderant adhuc ab ejus conſpectu, conſortionéque prohibiti.

119. Qui

(*a*) Hic Tom. 4. edit. Maur.

119. Qui poſſit Cadonicus, etſi ſagax, & induſtrius vir, argumenti hujus quaſi laqueos declinare, haud facile intellexerim. Omnino cogetur contra dicere, in ſacris litteris ſermonem ubique fieri de Purgatorio. Sed jam, ne iſthac via poſſet effugere, aditus omnes quadruplici armorum genere obſtruximus. Prodibit in ſcenam Lamius, & afferet, futurum, ut Catholica de Purgatorio veritas nova argumentatione, planeque perſpicua patefiat, exſtet quodammodo, & emineat, ſi ea de re divinorum librorum teſtimonia accipienda eſſe conſtiterit. Enitendum igitur, & conandum, ut in hanc explicemus ſententiam. Hoc enim ponetur in lucro. Latrabunt tunc hæretici, non loquentur (a). Viri doctiſſimi, & qui non de litteris ſolum, ſed bene etiam de religione mereri vult, laudamus conſilium, ſequi certe quidem non poſſumus. Multa enim obſtant, & impediunt. Quanti conſilii vir apud Romanos Cato? Non ei ſemper tamen aſſentiebatur Senatus. Iis Purgatorium inædificatum eſt fundamentis, tam clara in luce a noſtris ſcriptoribus poſitum, ut aut cæcus ſit, qui lucem illam non videat, aut infirmior, quam ut ferre poſſit. Nam radiis Solis acies hominum, ſenſuſque vincitur, ut figere in illum oculos nequeas, niſi te Deus corroboret. Latrare ergo hæretici poterunt, mordere non poterunt. Numquid non fuerunt, ſi probe memini, qui Lunam olim voce maxima allatrarent? Luna tamen non deflexit de via, ſed eadem, qua antea, progreſſa eſt placabilitate mirabili. Henricus a Porta, vir clarus ex Prædicatorum Familia, qui ſuperioribus menſibus Viennam profecturus eſſe dicebatur ad Theologiam tradendam Reginæ religioſiſſimæ accerſitu, exercitationes duas anno abhinc altero Mediolani edidit, ſatis uberes, & luculentas, quibus adverſus Theodoricum Hackſpanium, Lutherianum hominem, Purgatorium eſſe effecit. Teſtimonia autem, quæ vellet Lamius, nec præteriens uſurpavit. Immo ne illis quidem utendum putavit Innocentius a S. Thoma Aquinate, homo in ordine noſtro ornatiſſimus, qui copioſam de eodem argumento Diſſertationem contra Helveticæ ſectæ Miniſtrum compoſuit, emiſitque in vulgus anno 1737. Jaurini, urbe Germaniæ. Nihil igitur opus eſt ad eos convincendos, qui a nobis diſſentiunt, ſuperiora teſtimonia adhibere. Nam quod addidit Lamius, hunc Eccleſiaſticis locum, *viſitabo omnes inferiores*

(a) Novel. apud Cadon. in Vind. pag. 77. & 78.

*res partes terræ &c.*, maximum tunc pondus ad demonſtrandam rem habiturum, quam id nollem a viro docto commemoratum fuiſſe! Caveat, obſecro, Lamius, caveat, ne Purgatorium eſſe certo, atque perſpicue probaturus, tali contra Heterodoxos argumento depugnet. Niſi enim everteret, cauſſæ certe optimæ, cui conſultum vellet, auctoritatem non mediocriter enervaret. Vid. §. 13.

120. Sed agamus remiſſius, & , quoniam copiis omnibus ad obtinendæ victoriæ ſpem inſtructi ſumus, aliquid de jure noſtro imminui patiamur. Primum fateor, atque ultro do, exiſtimaſſe nonnullos ex Patribus, quorum auctoritates produximus, bonos in Purgatorii vincula conjectos, abeunte Chriſto ad Inferos, liberationem pœnæ, ac veniam impetraſſe. Talis videtur eſſe Cæſarius (§. 43.), Arator (§. 52.), atque alii fortaſſe pauci. Verum hi Patres, atque ſcriptores ab opinione Cadonici his ipſis in locis mirabiliter diſſident, Dei conſpectum, atque præſentiam piis omnibus ſine controverſia adimentes; reliquos vero magnis tradere aſſenſionibus vidimus, idcirco Dei Filium in ſubterranea illa loca immigraſſe, ut piorum familiam, quæ inflammato eum ſtudio ad ſinum Abrahæ præſtolabatur, divinitate ſua impleret, beatamque aliquando tandem efficeret. Quo fit, ut quod ſupra de Majorum noſtrorum conſenſu, & doctrina prædiximus (§. 15.), ipſe id rerum exitus, atque illorum auctoritas comprobarit. Nunc liberum relinquatur Cadonico, & Lamio, ut divinarum litterarum oracula, quæ toto hoc capite explanavimus, de Purgatorio accipiant. Nequeo, opinor, æquiorem conditionem offerre. Quid? Ne liberalitas quidem tanta iſta mea, ipſa id vetante cauſſa, duumviros adjuvabit. Cauſſam ſi quæris, in promptu eſt. Nam cum divini ſcriptores generatim, atque univerſe loquantur, nec rem aliquibus veluti finibus circumſcribant, ipſorum oracula tum de bonis in Purgatorio pœnas luentibus, cum de Patribus, quos Abrahæ ſinus exceperat, intelligantur, neceſſe eſt. Generatim vaticinatus eſt Iſaias: *diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia*, generatim dictum a Paulo: *aſcendens in altum captivam duxit captivitatem*, generatim inquit Oſeas, *de manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos*, generatim reliqui, atque univerſe edunt oracula. Aut hæc igitur in piorum animos quadrant in ſinu Abrahæ commorantium, ut paullo ante quadripartito argumen-

gumentorum ordine oſtendimus, aut ſi de bonis in Purgatorio expiandis ſumantur, multo magis de ſuperioribus ſumi debent.

121. I. Dixerit fortaſſe Cadonicus, ſinum Abrahæ apud Inferos non fuiſſe, quod tamen a nobis & toto iſto capite, & §. 8. veluti certum, atque exploratum ſtatuitur. Profecto *ſi utraque regio & dolentium, & requieſcentium, ideſt, ubi dives ille torquebatur, & ubi pauper ille lætabatur* (quin tamen Deum conſpiceret), *in Inferno eſſe credenda eſt* (verbis uti placuit Auguſtini, ut conjectura adverſarii & ponderis, & perſpicuitatis plus habeat); *quis audeat dicere, Dominum Jeſum ad pœnales Inferni partes veniſſe, nec fuiſſe apud eos, qui in Abrahæ ſinu requieſcunt? Ubi ſi fuit, ipſe eſt intelligendus Paradiſus, quem Latronis animæ illo die dignatus eſt polliceri* (*a*). In dubium autem non immerito vocari poteſt, utrum regio iſta apud Inferos fuerit; omnia igitur argumenta, ex ſacris petita litteris, uni illi nixa principio uno etiam labefactata motu vacillant, & concidunt. Revera Cadonicus, quantum lectione, & ſtudio aſſequor (*b*), in negantem videtur propendere ſententiam, propendet autem ſine dubio, & palam inclinat eruditus, ac prudentiſſimus ille vir (quem honoris gratia nomino), qui per hos dies ad Bibliothecam Lucii Ferraris notas, vel appendices appoſuit (*c*). Plura enim molitur, ut ab Inferis ſinum Abrahæ, ac piorum ſedem eripiat.

II. In ea, inquit, parabola, qua narratur a Chriſto, Lazarum de vita egreſſum in ſinum ſtatim, gremiumque Abrahæ convolaſſe, ne veſtigium quidem, nec littera, ex qua cognoſcatur, ſedem olim Abrahamum ſuam apud Inferos habuiſſe. Negare id ego audacter poſſem (narratur enim paullo poſt, divitem, ſublatis oculis, vidiſſe Abrahamum, quod non levi, nec obſcuro indicio eſt, regionem utramque, niſi finitimam, fuiſſe ſaltem ſubterraneam), negare igitur confidenter poſſem; ſed concedatur, quod vult; res enim, niſi ex hac Parabola, vel hiſtoria, ex aliis certe quidem locis, auctoritatibuſque colligitur. Ac primum ex verbis optimi, & ſpectatiſſimi ſenis Jacobi, qui, cum ex fictis filiorum ſermonibus ſibi induxiſſet in animum, puerum Joſephum, quem unice

(*a*) Epiſt. 187. ad Dard. num. 6. edit. Maur. (*b*) Ex cap. 16. Vindic.
(*c*) Tom. 4. art. *Infernus.* edit. Romæ 1759.

ce diligebat, ac ferebat in oculis, privatum vita fuiſſe, atque a valentiſſima beſtia in partes diſcerptum, in has voces, quas doloris elicuit acerbitas, erupit: *deſcendam ad filium meum lugens in Infernum* (*a*): Sed hunc locum quoniam Petrus Alphonſus titulo 10. ejus dialogi, in quo Petrum, & Moſem diſputantes inducit, egregie tractavit, unaque Calvini argutias, longe ante Calvini memoriam excogitatas, diſſolvit, libet ejuſdem verbis exponere, diſſerere, atque firmare. Petrus igitur, ſumpta Chriſtiani hominis perſona, argumentatur hoc modo. *In Geneſi de Jacob legitur, quod & filiis, & filiabus ſuis ad conſolandum eum ſuper filio ſuo Joſeph congregatis, noluit conſolari dicens*: quia deſcendam ad filium meum lugens ad Inferos. *Non hoc ſecundum corpus dicit: ſciebat enim, quod filius ſuus in terra non erat ſepultus, immo putabat, quod ab aliqua beſtia erat devoratus. Hoc ergo dixit ſecundum animam*: quia ad filium meum lugens ad Inferos deſcendam. *Ac ſi diceret, quia mortuus eſt filius meus, moriar, & ad Inferos, ubi anima ejus eſt, & omnes animæ mortuorum, lugens deveniam*. Moſes reſpondet: *ſi ita eſt, ut aſſeris, tunc & Patriarcharum animæ, & Prophetarum, cæterorumque Sanctorum omnium, ante mortem illius, quem Chriſtum dicitis, defunctorum, una cum animabus impiorum in uno loco demoratæ ſunt*. Tum Petrus: *verum profecto eſt, quod in obſcuritate omnes, ac tenebris, ſed non erant omnes in locis pœnalibus, ſive ſuppliciis: nam juxta merita ſua retribuebatur ſingulis: verumtamen omnes in Inferno, & ſub jure erant Diaboli: nullus enim mortuus ab Adam uſque ad mortem Chriſti clauſtra devitavit Inferni*. In hunc igitur modum Jacobi enucleat, interpetraturque ſententiam Petrus Alphonſus, homo videlicet Hebræis natus parentibus, & Hebræam longo intervallo religionem profeſſus, qui cum exquiſitam etiam Hebraicarum rerum teneret ſcientiam, permultum ſane ad id, quod quærimus, explicatio iſta profecerit.

III. Sed pergamus breviter reliqua. Ex Davide enim didicimus, univerſo hominum generi, ne exceptis quidem optimis, & qui juſte, ſanctiſſimeque vixiſſent, migrandum fuiſſe olim ad Inferos. *Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem, eruet animam ſuam de manu Inferi* (*b*)? Quem locum idcirco vocabat interdum Jobus domicilium toti vivorum

(*a*) Cap. 37. ver. 35.

(*b*) Pſal. 88. ver. 49.

rum familiæ conſtitutum. *Scio, quia morti trades me, ubi conſtituta eſt domus omni viventi* (*a*). Hinc Eccleſiaſtes Davidem ſecutus: *quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud Inferos, quo tu properas* (*b*). Rurſus patientiſſimus ille Jobus: *in profundiſſimum Infernum deſcendent omnia mea* (*c*), & alio loco, quem inter cæteros Gregorius Magnus nominatim de ſinu Abrahæ ſcitiſſime explicavit: *ſi ſuſtinuero, Infernus domus mea eſt, & in tenebris ſtravi lectulum meum* (§. 53.). Eleazarus quoque ab amicis admonitus, ut ſimulatione neſcio qua vitandæ mortis cauſſa uteretur, reſpondit, *præmitti ſe velle in Infernum* (*d*). Ac tandem maga illa in ſacris litteris famoſiſſima Sauli, a quo juſſa fuerat Samuelem excitare, *Deos vidi*, ait, *aſcendentes de terra* (*e*), videlicet Samuelem, qui deinde, ut eſt in libro Eccleſiaſtici (*f*), *exaltavit vocem ſuam de terra*. Quibus ex rebus acutiores facile intelligent, ſinum Abrahæ omnino ad Inferos pertinere; cæteris auctor ſum, ut adeant Henricum Vicum in opuſculo de deſcenſione Chriſti ad Inferos, ubi multa ex his teſtimoniis ſedulo declaravit, atque a contortis Hæreticorum, quibuſcum agebat, interpretationibus, atque fallaciis accuratiſſime expedivit (*g*). Nobis enim, quid præterea novus Lucii Ferraris editor, & interpres objiciat, ſaltem breviter, audiendum eſt, ne quemquam, indicta cauſſa, condemnare videamur.

IV. Sic igitur cauſſam dicit. Patres plerique omnes exiſtimant, quod piorum animi in ſinum, complexumque Abrahæ venientes magnis ibi & deliciis, & voluptatibus fruebantur: deliciarum autem, ac voluptatis regio componi nequit cum carcere, incluſo penitus in terræ venis, atque viſceribus. Prius cujuſmodi ſit, ex infinitis propemodum, quas ſupra enarravimus, Majorum noſtrorum auctoritatibus tute judicabis, attentionem ſi afferas, de altero quæremus commodius ſuo loco. Unum hic breviſſime dicam, delicias, ac voluptates animi non ex regione, in qua quiſque ſit, ſed magis ex rebus ipſis æſtimari oportere; quod cum dico, vel Stoici mihi Philoſophi, in quorum ego caſtra me poſſem recipere, ve-

T he-

(*a*) Cap. 30. ver. 23. (*b*) Cap. 9. ver. 10. (*c*) Cap. 17. ver. ult. (*d*) Lib. 2. Machab. cap. 6. ver. 23. (*e*) Lib. 1. Reg. cap. 28. ver. 13. (*f*) Cap. 46. ver. ult. (*g*) Sect. 15.

hementer aſſentiunt. At enim, ſi Patrum ſpectes auctoritatem, incertum videri poteſt, fuerit ne ſinus ille apud Inferos. Id vero (patienter, quæſo, vir illuſtris accipiat) conſtantiſſime pernego. Tota enim ſuperior diſputatio ſatis argumenti eſt, Majores noſtros, qui ab ultima antiquitatis memoria uſque ad ſæculum duodecimum floruerunt, piorum iſtam ſedem, & locum in ſubterraneis receptaculis collocandam putaſſe (§. 19—75.). Varias illi, reſpondet, rationes ſectantur, & cauſſas, cur Dei Filius ad Inferos immigraverit. Alii enim, ut Irenæus, Tertullianus, Hilarius, Gelaſius, hanc profectionis ejus fuiſſe cauſſam commemorant, ut mortuorum legem ſervaret, alii, quod ex eodem Tertulliano, Auguſtinoque colligitur, ne nos Inferos adiremus, alii cum Herma, & Origene, ut ad eos, qui in Inferno eſſent, concionaretur, alii, ut ibi etiam, quemadmodum in cœlo, & in terris, vim ſuam, poteſtatemque declararet, alii, ut ſuum omnibus triumphum, atque victoriam patefaceret, alii denique, alias ob cauſſas, & conſilia, quæ ſubtiliter perſequuntur. Hic ego noſtri hujus ſcientia plaudatur, velim. Brevi enim orationis circuitu nihil poterat nec eruditius, nec ingenioſius diſputari. Unum illud a ſolertiſſimo homine addi debuerat, univerſam Patrum familiam, eam præterea afferre cauſſam, cur Inferos Chriſtus adierit, ut ſcilicet animas ſibi chariſſimas, in ſinum Abrahæ incluſas, inde eriperet, communiſque peccati vinculis ſolutas ad beatitudinem revocaret.

V. Nondum tamen clarus, & illuſtris vir abit de ſententia; immo nihil remittens hoc urget, veterum Patrum de illa Abrahami ſede opinionem a Græcis primum ad Hebræos, Phariſæoſque potiſſimum profectam eſſe, paullo ante, quam Dei Filius in has terras veniſſet, deinde ex Hebræis, ut fit, paullatim in Chriſtianam Rempublicam permanaſſe. Græci enim ita exiſtimabant, omnium hominum animos poſt diſceſſum a corpore ad Inferos pergere, eſſe autem Inferos in partes diviſos duas, Elyſium, & Tartara a Latinis cognominatas Poetis, quarum illam boni incolerent, ibique feliciter viverent, in hanc truderentur mali, qui pœnas Diis immortalibus in mediis ſuppliciis, cruciatibuſque perſolverent. Antiquiſſimi igitur Patres opinati, vocabulo Ἅδης, *Infernus* eandem ſubeſſe in divinis litteris notionem, ac vim, quæ ſubjiciebatur a Græcis, duplices quoque illas apud Inferos ſedes diſtin-

diſtinxerunt, eamque deinde doctrinam, veluti ὑπόθεσιν quandam, ſecuti libenter ſunt in opinionibus quiſque ſuis de futuro animorum ſtatu, & quaſi loco exponendis. Ex quo patet, quantum ei ſententiæ, quæ ab his fontibus deducta eſt, tribuere oporteat. Accedit, quod veteribus, quorum plerique negarunt, eſſe homines e regione nobis, e contraria parte terræ, qui adverſis veſtigiis ſtent contra noſtra veſtigia, quos Antipodas vocamus, figura, vel forma terræ minus cognita, & perſpecta fuit, quam nobis: quapropter longe facilius moveri potuerunt, ut in varias Inferos ſedes, ac tanquam regiones tribuerent. At vero Eccleſia nihil de loco, in quo ſinus Abrahæ reponi debeat, judicavit, atque adeo extra Inferos, modo ne in cœlo, ubi ſe Deus videndum, atque intuendum præbet, conſtitui poteſt, ſalva pietate, & officio.

VI. Quaſi ſcilicet Eccleſia, etſi judicium conceptis verbis nullum tulerit, ſententiam tamen ſuam luculenter non aperuerit in Catechiſmo (§. 96. 97.), nec ex Patribus, ſacriſque litteris confeſſa res ſit, & manifeſta. Nam quod de figura terræ allatum eſt, ſi quid in philoſophia video, nobis citius, quam editori prodeſſe debet; nego autem, pleroſque Patres de medio Antipodas ſuſtuliſſe. Pauci videlicet, non plerique, eos removendos, atque extinguendos, putarunt, cœteri reliquerunt [26]. Antiquorum etiam de Abrahæ ſinu non

T 2 opi-

26 Vide not. 2. VIII. Zacharias ipſe Romanus Pontifex, utrum Antipodas nullos eſſe voluerit, hæreo. Nam etſi Virgilium damnari, privarique Sacerdotio juſſerit, videtur nihilominus non eam præciſe ob cauſſam damnandum putaſſe, quod eſſe Antipodas diceret, ſed ſub ea dumtaxat conditione, ſi alium Solem, & Lunam induceret, quod certe cum ſacris litteris manifeſte pugnaret. Adſcribam illius verba in epiſtola 11. ad Bonifacium, Moguntinum, ut ſæpe diximus, ſacrorum Antiſtitem data, ut eadem opera & noſtri Philoſophi, quid cavere debeant, intelligant, & Heterodoxis, qui Romanum illum Pontificem mordent, licentiuſque vituperant, reſiſtamus. *Et hoc*, inquit, *intimatum eſt a tua fraterna ſanctitate, quod Virgilius ille, neſcimus, ſi dicatur presbyter, malignatur adverſum te, pro eo, quod conſundebatur a te, erroneum ſe eſſe a catholica doctrina, immiſſiones faciens Otiloni Duci Bajoariorum, ut odium inter te, & illum ſeminaret, ajens, quod & a nobis eſſet abſolutus, ut unius defuncti ex quatuor illis Epiſcopis, quos tua illic ordinavit fraternitas, Diœceſim obtineret, quod nequaquam verum eſt, quia mentita eſt iniquitas ſibi. De perverſa autem, & iniqua doctrina ejus, qui contra Deum, & animam ſuam locutus eſt, ſi clarificatum fuerit, ita eum confiteri, quod alius Mundus, & alii homines ſub terra ſint, ſeu Sol, & Luna, hunc, habito conſilio, ab Eccleſia pelle, Sacerdotii honore privatum.*

opinionem, ſed firmam, ſtabilemque ſententiam ex incertis Græcorum fontibus profluxiſſe, quis concedat, tribus maxime cauſſis, & rationibus repugnantibus? Primum enim ex vetuſtiſſimis Hebræis, ſacriſque illorum libris ea manavit ſcientia (II. III.). Deinde cum nonnulli ſaltem ex Patribus in Hebraicis litteris inſigniter verſati eſſent, hinc ipſos credibile eſt didiciſſe, quæ verbi *ſcheol*, *Infernus* poteſtas eſſet in divinis tabulis, atque ſignificatio, nec facile exiſtimaverim, viros ſanctos, atque eruditiſſimos in cauſſa magni momenti Græcorum opinionem ſequi, & doctrinam, re plane incognita, voluiſſe. Sed nec ſequi, ſi vel maxime voluiſſent, potuerunt. Falſo enim ab acutiſſimo homine dictum eſt (generalius certe, quam deceat), Græcos in ea fuiſſe ſententia, poſt diſceſſum animi a corpore, eſse omnibus ſine ulla exceptione ad Inferos abeundum. Nam, ut ſileam de Poetis, graviores hercle, nobilioreſque Philoſophi repugnabant, arbitrantes bonorum animos, relictis corporibus, migraturos in cœlum. Ne longius abeam, ejus rei argumenta ex uno capiam Cicerone, qui in primo Tuſculanarum quæſtionum, variis, ac diſſidentibus de natura animi Græcorum Philoſophorum opinionibus explicatis, orationem concludit his verbis. *Reliquorum ſententiæ ſpem afferunt, ſi te forte hoc delectat, poſſe animos, cum e corporibus exceſſerint, in cœlum, quaſi in domicilium ſuum, pervenire* (*a*). Sed luculentius paullo poſt: *itaque unum illud erat inſitum priſcis illis, quos Caſcos appellat Ennius.... mortem non interitum eſſe omnia tollentem, atque delentem, ſed quandam quaſi migrationem, commutationemque vitæ, quæ in claris viris, & fœminis dux in cœlum ſoleret eſſe, in cæteris humi retineretur, & permaneret tamen. Ex hoc, & noſtrorum opinione,*

Romulus in cœlo cum Diis agit ævum,

*ut famæ aſſentiens dixit Ennius: & apud Græcos, indèque perlapſus ad nos, & uſque ad Oceanum Hercules tantus, & tam præſens habetur Deus. Hinc Liber Deus Semele natus: eademque famæ celebritate Tyndaridæ fratres, qui non modo adjutores in præliis victoriæ populi Romani, ſed etiam nuntii fuiſſe*

*vatum*. Tom. 1. Concil. Gall. edit. Sirm. Audiſtis? Jubet ſummus Pontifex, diligentiſſime inquiri, num Antipodes opinione Virgilii alio Sole, atque alia Luna, quæ illis eſſet peculiaris, & propria, uterentur.

(*a*) Num. 11. edit. Oliv.

*fuiſſe perhibentur . Quid ? Ino , Cadmi Filia , nonne Leucothea nominata a Græcis , Matuta habetur a noſtris ? Quid ? Totum prope cælum , ne plures perſequar , nonne humano genere completum eſt ? Si vero ſcrutari vetera , & ex his ea , quæ ſcriptores Græciæ prodiderunt , eruere coner , ipſi illi , majorum gentium Dii qui habentur , hinc a nobis profecti in cælum reperientur* (*a*) . Græcus erat Socrates , & omnium ſapientiſſimus, ut creditum eſt, oraculo Apollinis judicatus; at is ſupremo vitæ die *cum pæne in manu jam mortiferum illud teneret poculum , locutus ita eſt , ut non ad mortem trudi , verum in cælum videretur aſcendere . Ita enim cenſebat , itáque diſſeruit , duas eſſe vias , duplicesque curſus animorum e corpore excedentium . Nam qui ſe humanis vitiis contaminaviſſent , & ſe totos libidinibus dediſſent , quibus cæcati velut domeſticiis vitiis , atque flagitiis ſe inquinaviſſent , vel in republica violanda fraudes inexpiabiles concepiſſent* [27] , *iis devium quoddam iter eſſe , ſecluſum a concilio deorum . Qui autem ſe integros , caſtoſque ſervaviſſent , quibuſque fuiſſet minima cum corporibus contagio , ſeſeque ab his ſemper ſevocaſſent , eſſentque in corporibus humanis vitam imitati Deorum : his ad illos , a quibus eſſent profecti* , nempe in cœlum , reditum facilem patere .

Atque hoc ego loco totam fere de ſomnio Scipionis narrationem poſſem exſcribere . In tres enim omnino partes is liber tribuitur ; in prima autem de præmiis piorum , & vita cœleſti , in tertia de animorum immortalitate , quæ pars potiſſima eſt , & in quam ſumma narrationis recidit , diſputatur. Sed pauca excerpemus . Africanus cum P. Cornelio Scipione , nepote ſuo , cui per ſomni tempus de cœlo ſe oſtenderat , ſic primum colloquitur . *Sed quo ſis , Africane , alacrior ad tutandum Rempublicam , ſic habeto : omnibus , qui patriam conſervarint , adjuverint , auxerint , certum eſſe in cælo definitum locum , ubi beati ævo ſempiterno fruantur . Nihil eſt enim illi principi Deo , qui omnem hunc Mundum regit , quod quidem in terris fiat , acceptius , quam concilia , cætuſque hominum , jure ſociati , quæ civitates appellantur : harum rectores , & conſervatores hinc profecti , huc revertuntur* , quemadmodum Plato

(*a*) Num. 12. & 13.

27 Locus intellectu perdifficilis , egens vel interprete , vel correctore . Vide , ſi intereſt , notas in editione Oliveti . Num. 30.

Digitized by Google

Plato, ex cujus ſententia Cicero agit, poſuerat. Paucis deinde interjectis verbis, compareт Paulus pater, geſtientemque filium properare in cœlum reprimit in hæc verba. *Et tibi, Publi, & piis omnibus retinendus eſt animus in cuſtodia corporis: nec injuſſu ejus, a quo ille eſt vobis datus, ex hominum vita migrandum eſt, ne munus humanum aſſignatum a Deo defugiſſe videamini. Sed ſic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, juſtitiam cole, & pietatem: quæ cum ſit magna in parentibus, & propinquis, tum in patria maxima eſt. Ea vita, via eſt in cœlum, & in hunc cœtum eorum, qui jam vixerunt, & corpore laxati illum incolunt locum, quem vides* (*a*). Tandem avus Platonicorum, & Socratis in Phædone ſecutus ſententiam, animum, inquit, *tu exerce in optimis rebus. Sunt autem optimæ curæ, de ſalute patriæ, quibus agitatus, & exercitatus animus velocius in hanc ſedem, & domum ſuam pervolabit: idque ocyus faciet, ſi jam tum, cum erit incluſus in corpore, eminebit foras, & ea, quæ extra erunt, contemplans, quam maxime ſe a corpore abſtrahet. Namque eorum animi, qui ſe corporis voluptatibus dediderunt, earumque ſe quaſi miniſtros præbuerunt, impulſuque libidinum voluptatibus obedientium, deorum, & hominum jura violaverunt: corporibus elapſi circum terram ipſam volutantur, nec hunc in locum, niſi multis exagitati ſæculis, revertuntur* (*b*). Quibus copioſe, ac dilucide diſputatis, eſt omnino, cur nobis de victoria gratulemur, cum Ferraris editor, & interpres Abrahæ ſinum, ac piorum ſedem apud Inferos cogatur relinquere. Etenim quod antiquorum Patrum ſententia a Græcis non dimanarit auctoribus, ex his rebus, niſi plane me fallit animus, luculenter efficitur. Aliunde illa & ſummo, atque perpetuo ipſorum Patrum judicio (§. 19-75.), & ſacrarum litterarum oraculis (II. III.), & approbatione, conſenſuque Eccleſiæ (§. 96. 97.) explorata, atque comperta eſt; nihil vero cogitantibus nobis cauſſæ occurrit, quamobrem ab hac veterum diſciplina, atque inſtitutione deſciſcas.

122. Hæc autem cum ita ſe habeant, de argumentorum ſumma, quæ ex ſacris litteris prompſimus, ut doceremus, bonorum animos in ſubterraneis illis Abrahæ ſedibus conſidentes, Dei adſpectu orbatos fuiſſe, nihil ponderis, nec efficacitatis decedit. Quamquam ne decederet quidem, ſi Abrahæ ſinum

(*a*) Num. 3. (*b*) Num. 9.

ſinum, repugnante licet rerum natura, extra Inferos locaremus. Neque enim ea ullo pacto valet argumentatio: Abrahæ regio ad Inferorum loca non pertinet: ergo illius incolæ intuebantur in Deum: ſed id argumentis propriis, & ſuis docere oporteret. Confitentem vero habeo eruditiſſimum ipſum virum, cujus hactenus opinionem non diſſentiendi libidine, ſed veri reperiendi cauſſa refellimus. Etſi enim omnes ingenii, induſtriæque nervos intenderit, ut ſinum Abrahæ ab Inferis removeret, ſententiam Patrum quidem certe minueret, qua eſt tamen perſpicacitate, judicandique ſolertia, piorum animis ibi vitam agentibus conſpectum Dei, & viſionem, quam beatificam dicimus, conſtantiſſime eripuit. Immo res Sole clarior futura eſt, & illuſtrior ex argumento, quod poſtremo denique loco ex Pauli doctrina adverſus Cadonicum concludemus. Ad illud enim enervandum nihil conducet nec Purgatorii carcer, nec regio, in qua tandem Abrahæ ſedes conſiſteret.

123. Argumentum mihi naſcetur ex epiſtola ad Hebræos, ex eoque potiſſimum teſtimonio, quo ad errorum ſuorum defenſionem Heterodoxi abuti ſolent. Paulus enim capite 11. cum res geſtas, & præclara Patrum facinora commemoraſſet, qui a mundi initio ad Davidis uſque, & Prophetarum ætatem fuerunt, hæc duobus poſtremis verſibus ſubiicit: *& hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur*. His autem verbis ſignificatum a Paulo eſſe, viros ſanctos ante adventum, mortemque Chriſti magnifica illa Dei promiſſa, quæ ad ſempiternam beatitudinem animi referuntur, nondum conſecutos fuiſſe, ex multis conſtat capitibus. Ac primum de cœleſtis, non de caducæ hujus vitæ præmiis loqui Paulum, dubitari non poteſt, cum ſupra, verſu ſcilicet 13., & ſeqq. dixerit: *juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed a longe eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram. Qui enim hæc dicunt* (dicebat autem Abrahamus (*a*), Jacobus (*b*), Hebræus populus apud Davidem (*c*), & Salomon (*d*), neque ſolum de ſe, ſed etiam de majoribus ſuis), *ſignificant, ſe patriam inquirere. Et ſi quidem ipſius memi-*

(*a*) Gen. cap. 23. ver. 4. (*b*) Ibid. cap. 47. ver. 9.
(*c*) Pſal. 38. ver. 13. (*d*) Lib. 1. Paralip. cap. 29. ver. 15.

Digitized by Google

*meminiſſent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi: nunc autem meliorem appetunt, ideſt cœleſtem*. Sic poterat Abrahamus in patriam, nempe in Chaldæam, ſi voluiſſet, reverti; *nunc autem*, videlicet, cum autem videamus (illa enim particula *nunc* non tempus hoc loco deſignat, ſed adverſandi vim habet), cum autem videamus, redire eum noluiſſe, ſequitur, quod civitatem aliam multo nobiliorem, cœleſtem ſcilicet, inquirebat. Inhiabant igitur veteres Hebræorum Patres, atque adſpirabant in cœlum, hujus ſe bona, & nunquam intermorituras delicias conſecuturos ſperabant, idque tanta fiducia, ac ſtudio, ut quamvis eas a longe aſpicerent, obſcure nimirum fidei præſidio viderent, tota tamen contentione animi expeterent, & quam ſæpiſſime ſalutarent. Ad quam rem exprimendam metaphoram Paulus, ut docet Joannes Chryſoſtomus (*a*), ſumit a nautis, qui portum eminus ubi primum conſpiciunt, facere nequeunt, quin ſalutent, in voces lætitiæ teſtes, & indices ſoliti erumpere. Ut ecce elatus gaudio apud Virgilium

*Italiam, Italiam primus conclamat Achates.*

II. Ex his igitur, & aliis, quas prætereo, rationibus palam eſt, locutum fuiſſe Paulum de æternis, ac cœleſtibus præmiis; at hæc, ipſo judice, poſt diſceſſum a corpore adepti Hebræorum Patres non ſunt, *non acceperunt repromiſſionem*, quapropter ne Deum quidem viderunt. Non viderunt autem, quia præclarius nobiſcum, & commodius, quam cum illis agi Deus volebat, *Deo pro nobis melius aliquid providente*. Ab omni enim æternitate pro ſumma ſua ſapientia ſtatuit, ut beatitas animi, & corporum reſtitutio (nos reſurrectionem vocamus) poſt Filii obitum differretur, atque adeo omnem piorum cœtum quatuor, & eo amplius, annorum millibus ab adeunda hujus, ad quam ſummopere nitebantur, beatitatis poſſeſſione prohibuit. Voluit propterea, cœlum patere nemini, niſi amantiſſimus Filius de noſtris ſibi ſceleribus pie, & caſte ſatisfaciens ſua illud morte, atque ingreſſu aperiret. Quod Paulus idcirco poſuit, ut ſtimulos admoveret Hebræis, eoſque objecta tam ſingularis beneficii ſpecie a Moſe, & Prophetis ad Chriſtum, a veteri lege ad novam, a figura, & imagine ad rem ipſam, veritatemque traduceret, vel traductos retineret. Singulare enim, ut dixi, collatum in noſtros fue-

(*a*) Homil. 23. num. 1. ut infra.

Digitized by Google

fuerat, & præclariſſimum beneficium, qui ſtatim a morte beati eſſe poſſent, ſtatim divina frui pulchritudine, ſtatim in cœlum aſcendere eodem fere, quo demum ingreſſi ſunt, tempore veteres illi Hebræorum Patres, viri optimi, Deoque acceptiſſimi. Quo magis temere faciunt Beza, Grotius, & alii, comminiſcentes hoc loco, pios etiam ante Chriſtum mortuos, confeſtim migraſſe in cœlum, atque ibi beate vixiſse, Chriſtum vero eo redeuntem aliquem tantum, ut Beza loquitur, gradum illorum felicitati, atque particulam addidiſse. Pace enim hominum dixerim, commenta iſta ſunt non diſserentium, ſed ſomniantium Theologorum, apertiſſime hoc ipſo in loco convicta a Paulo, quo auctore, ne viri quidem ſanctiſſimi ante id temporis migrarunt in cœlum, aut Deum coram viderunt, *ut non ſine nobis conſummarentur*. Cur enim ſine nobis conſummati non eſse dicuntur? Quia ſcilicet ante nos neque animi, neque corporis beatitudo priſcis illis delata eſt, teſte etiam Baſilio Magno, & interprete, qui Paulinum oraculum in eandem, qua nos, ſententiam rectiſſime explicavit (§. 37.). Tota enim Pauli ad Hebræos epiſtola eo collineat, ut oſtendat, generatim beatitudinem, ac ſalutem nemini per legem, ſed per Chriſtum, qui ſalutis, ac beatitudinis noſtræ auctor, & parens eſt, impertiri; ideoque capite 9. fuſe Paulus docuerat, Dei Filium cœleſtis regni fores ſuo nobis ſanguine reſeraſſe. Taceo reliqua. Habes enim cauſſas omnino quatuor, cur, bona ipſius cum venia, Joannis Cadonici opinionem abjicias. Nam ſive illa Pauli verba, *non acceperunt repromiſſionem*, ſive hæc alia, *Deo pro nobis melius aliquid providente*, ſive proxime conſequentia, *ut non ſine nobis conſummarentur*, ſive tandem Baſilii Magni doctrinam, auctoritatemque conſideres, apertum undique, & perſpicuum eſt, piorum animos, qui ante Chriſti mortem ceſſerunt e vita, divina promiſſa conſecutos non eſſe, neque adeo ſtatim ab obitu fuiſſe cum Deo.

124. Quocumque autem ſe verterit, pedem eruditus vir, ubi figat, non habet. Ei enim argumento ſua ſemper conſtabit vis, ſive affirmet, Chriſtum in infimas terræ partes profectum bonis omnibus, qui anteactæ vitæ ſordes in Purgatorio eluebant, dediſſe veniam, ac ſalutem, ſive exiſtimet, Abrahami ſedem extra Inferos poni oportere. Paulum enim teſtificantem audivimus, Deum etſi in promiſſis, & fide fir-

miſſimum, promiſſa tamen ſanctis viris, & fœminis ante Filii obitum non ſolviſſe. Contra fortaſſe dicet, alios Patres de extremis Pauli verbis paullo aliter ſentire. Nonnulli enim conſummationis vocabulo intelligi volunt beatitudinem corporis, quam priſci ante nos, videlicet ante ultimum illum diem non inibunt. Quæ enim vere, ac proprie dicitur conſummatio, non ſola eſt animi beatitudo, ſed perfecta, & omnibus expleta partibus cum animi, tum corporis una conjunctorum felicitas, quæ videlicet in totum hominem permanabit, ſive totum hominem animo conſtantem, & corpore beatum, vel glorioſum efficiet, ſic, ut nihil requirat amplius.

125. Ego vero libenter facio, ut dem, fuiſſe Patres, quibus explicatio iſta placuerit, atque in his nominatim, clariſſimum Græciæ lumen, & interpretem probatiſſimum, Joannem Chryſoſtomum. Sed illorum doctrina nec adverſaria noſtræ eſt, nec Cadonico auxilia mittit, quibus argumenti vim poſſit infringere. Chryſoſtomus interpretationem ſic orditur (ac paullo illa quidem longior videbitur, ſed a me tamen, quanta, quanta, afferenda: moveor enim cauſſa, de qua poſtea cognoſces, & graviſſima, & maxima), orditur igitur in hæc verba. *Quæ eſt ergo merces tantæ ſpei? Quæ remuneratio? Tanta certe, ut oratione exprimi non poſſit. Ea enim præparavit Deus diligentibus eum, quæ neque oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt.* Sed nondum acceperunt, *verum adhuc exſpectant, cum in tanta deceſſerint afflictione. Tot ſunt anni, ex quo vicerunt, & nondum acceperunt: vos autem dum adhuc certatis, mœſti eſtis? Cogitate vos quoque, quid, & quantum ſit, ſedere Abraham, & Paulum Apoſtolum, exſpectantes, quando tu fueris conſummatus, ut tunc poſſint accipere mercedem. Nam niſi quoque adfuerimus, prædixit eis Servator, ſe non daturum. Sicut ſi pater benevolus dicat probis filiis, & qui opus confecerunt, ſe non daturum, quod edant, niſi venerint eorum fratres. Tu autem ægre fers, quod mercedem nondum acceperis. Quid ergo faciet Abel, qui ante omnes vicit, & ſedet non coronatus? Quid vero Noe, & quid ii, qui illis fuere temporibus, qui te, & eos, qui poſt te erunt, exſpectant? Vides, quod illis ſumus ſuperiores, & melior ſit noſtra, quam illorum conditio? De nobis enim, inquit, aliquid melius prævidit Deus. Ne viderentur eſſe melioris, quam nos, conditionis, ſi primi coronaren-*

*narentur, definivit omnibus tempus unum coronarum. Etiam qui tam multis ante te annis vicit, tecum accipit coronam. Vides Dei curam, & providentiam? Non dixit*, ne ſine nobis coronentur, ſed ut non ſine nobis conſummarentur. *Itaque tunc quoque apparent perfecti. Præceſſerunt in certaminibus, ſed non præceſſerunt in coronis. Non illos læſit; ſed nos honoravit. Ipſi enim fratres exſpectant. Nam ſi omnes ſumus unum corpus, exſiſtit huic corpori major voluptas, quando communiter coronatur, & non ſingulatim. Etenim in hoc quoque ſunt juſti admirabiles, quod lætantur bonis fratrum, tamquam ſuis. Quamobrem hoc quoque illis cedit ex animi ſui ſententia, quod cum propriis memris ſint coronati. Quod enim ſimul ſint glorificati, magna eſt voluptas* (a).

126. Abutitur hac tota viri ſancti oratione Thomas Burnetus in peſtifero illo libro, cujus ſæpe commemini, de ſtatu mortuorum, & reſurgentium, vociferans, piorum animos nec viſuros Deum, nec abituros in cœlum, antequam extremus ille, & fatalis mundo dies adventet, quo mortui revocabuntur ad vitam: eſse interim in medio quidam ſtatu quietis, ſilentii, & ἀεργασίας, quod inactionem ſignificat. Sed hanc hominis ἀεργασίαν, Euſtratius jam, ut indicavimus (§. 55.), Conſtantinopolitanus Sacerdos, duodecim ante ſæculis de medio ſuſtulit, & refutavit, prorſus ut appareat, Burnetum actum agere, nec audiendum eſse dicto Juvenali poetæ, cujus ſententia, quæ notiſſima in vulgus eſt,

*Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.*

Joannes vero Chryſoſtomus ne Cadonico quidem ſuffragatur, tantum abeſt, ut Burneto. Non Burneto, cum id unum ſibi voluerit, Abeli, Noemo, eorumque ſimilibus, etſi jam Deo fruantur, præmiumque laborum ſuorum ampliſſimum ceperint, nondum tamen perfectam illam, & pleniorem mercedem tributam eſse, quæ nobis ſupremo mundi die deferetur, cum corpora excitabuntur a mortuis, beatitudoque in totum hominem influet. Quapropter notatione dignum putavit, non dixiſse Paulum, *ne ſine nobis coronentur, ſed ut non ſine nobis conſummarentur*, ne ſcilicet abſque nobis ſummam illam, atque omnibus abſolutam numeris beatitudinem inirent, in cujus poſſeſſionem, reſtitutis corporibus, una omnes mittemur. Itaque non de felicitate animi, quæ unicuique ſtatim a

 morte

(a) Homil. 28. in hanc epiſt. num. 1. Tom. 12. edit. Montf.

Digitized by Google

morte tribuitur, ſed de felicitate corporis, atque adeo totius hominis loquitur, quæ extremo mundi tempore piis omnibus reſervatur. Nam his alioquin coronam jam datam eſſe, & tributum præmium, oſtendunt vel loca ipſa Chryſoſtomi, quæ pro re nata in hoc opere attulimus. Ejus enim teſtificatione, & judicio prima illa ante Chriſtum via ducebat ad Inferos, recens, quam idem ſtravit, via eſt ad vitam (§. 5.), mors item metum olim Judæis, doloremque immittebat, nunc autem jucunda eſt, & optabilis, piis rite expiatis ſtatim ab obitu una cum Chriſto futuris (not. 12.), Chriſtus denique ipſe ad Inferos abiens Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, cæteriſque inſtar Solis illuxit (§. 118. VI.), eorumque animos omni bonorum genere cumulavit. His autem, quæ domi nata ſunt, ſi reliqua addas, a Ludovico Muratorio, cujus erant hæ partes, copioſiſſime diſputata (*a*), probe intelliges, tantum abeſſe, ut ſummus vir Burneti erroribus faveat, ut eos potius execratus ſit, atque rejecerit.

127. Sed, narro tibi, nec favet, ut videri poſſet, Cadonico. Etſi enim conſummationis, quo utitur Paulus, vocabulum de felicitate corporis, atque totius hominis interpretetur, argumento illi tamen, quod ex ipſo Pauli teſtimonio duximus, pondus detrahere nec poteſt, nec vult. Non vult, quia cum ſuperiores ejuſdem capitis verſiculos, 13. 14. 15., & 16. explicat, atque enarrat, aperte agnoſcit, promiſſa Hebræis Patribus præmia fuiſſe a Deo in Filii mortem dilata, fateturque alibi, nos omnia a Chriſto meliora habuiſſe (§. 5.). Nec poteſt. Quam enim Paulus conſummationem vocat, proxime ſuperiore verſiculo promiſſionem dixit; Dei autem promiſſio generatim, atque univerſe ſalutem ibi, beatitudinemque ſignificat, non eam, quæ unius corporis eſt; priſcis igitur æternæ felicitatis præmia, quæ animos beatos efficiunt, tributa ante Chriſtum non ſunt. Repugnas? Fingamus, tributa eſſe: ea res pares fere cum illis nos facit. Beatitudo enim corporis, ut in extrema mundi tempora reſervetur, felicitatis tamen, ac promiſſorum Dei pars eſt longe minima, quod ne Chryſoſtomus quidem negaverit. Nunc autem Paulus alta voce denunciat, ſtatutum fuiſſe Deo, ut noſtri longe meliori, quam veteres, conditione uterentur. Tandem, ut finis ſit, verbum ipſum τελειωθῶσι, quod Latinus Interpres reddi-

(*a*) De Parad. regnique cœl. glor. cap. 15.

reddidit, *conſummarentur*, verti etiam poteſt quam rectiſſime, conſecrari, dedicari, & quaſi inaugurari, cœlo videlicet, & cœleſti regno. Nam & cap. 2. hujus epiſtolæ cum ver. 10. dicitur; *decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem* τελειῶσαι, *conſummare*, iſta conſummandi vox plura ſignificat, & varie, ac multipliciter efferri latine poteſt ſine immutatione ſententiæ. Sonat enim prorſus appoſite, conſecrare, vel *perfectum facere*, ut eſt in editione Syriaca, vel denique *gloria*, & *honore coronare*, atque donare, ſive efficere, ut Chriſtus a morte ad vitam revocatus ſumma, immortalique cum gloria in cœlo ſedeat ad Patris dexteram, in terriſque ab hominibus tanquam illorum vitæ, ac ſalutis reſtitutor, & Deus pie, caſteque colatur, atque honoretur. Eo trahunt ſignificationem verbi Theophylactus, Œcumenius, & alii, eo etiam trahi commodiſſime poterit illud cap. 12. ver. 22. & 23. *acceſſiſtis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis...... & Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & judicem omnium Deum, & ſpiritus juſtorum* τελειωμένων, *perfectorum*, vel conſummatorum ſi placet, jam nempe in cœlo triumphantium, beatamque vitam agentium. Hinc auctor libri, in quo Dionyſii nomen inſcribitur, de Eccleſiaſtica Hierarchia paſſim ſacramenta τελειώσεις, *conſecrationes* vocat, quia verbis ea ſacris conficimus, & quaſi conſecramus. Similiter & τελειωθῆναι olim dicebantur Martyres, quod homo martyrium obiens non modo perficitur, ſed etiam immolatur Deo, dedicatur, & conſecratur. Quapropter jure omnino, veriſſimeque a me poſitum, quocumque ſe Cadonicus verterit, pedem, ubi figat, non eſſe habiturum.

128. Unum, ne quid diſſimulem, afferre ex ſacris litteris poterit, quo, ſi minus noceat, & plagam faciat, ſe ſaltem tegere videatur. Eccleſiaſtici enim ſententia, quæ eſt cap. 11. ver. 28. *facile eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundum vias ſuas*; bonorum autem *retributio*, atque remuneratio Dei viſio eſt felicitatis effectrix, altrix, & conſervatrix: quare ante etiam, quam Chriſtus exceſſiſſet è vita, piorum animi, quibus nihil expiandum ſupererat, Deum videbant. Non rite ego tamen, neque acute concluſum exiſtimo, cum id oraculi ſumi omnino, atque intelligi debeat

apte,

apte, accommodateque ad locum, perſonas, & tempora. Pii enim vetuſtis temporibus ſimul, atque ex hominum vita migraverant, in Dei conſpectum non veniebant propter communis, & nativi peccati impedimentum, quod nondum Filius Dei in ara crucis removerat. Eo nunc ſublato, ſtatim, punctoque temporis avolamus in cœlum, modo nulla res ſit, quæ animum remoretur, ejuſque curſum cohibeat. Deinde piorum Deus erga ſe merita remuneratur ipſo obitus die, non quidem re, ſed ſpe firma, certa, atque immutabili, quam illis facit, atque oſtendit, beatitudinis ſuis & loco, & tempore ineundæ. Quid plura? Divinus ſcriptor affirmat, Deum in ipſo mortis articulo piis debitum retribuere; quo tamen modo retribuat, diſtincte, definiteque non explicat, ſed nobis inveſtigandum relinquit. Quare illa felicitatis pars, qua bonorum animi, ut infra docebimus, in ſinu Abrahæ fruebantur, vocari optime poteſt remuneratio meritorum, non perfecta quidem, & abſoluta, ſed qualem loci, & temporis ratio poſtulabat. Viri doctiſſimi, ſapientiſſimique, S. Thomas Aquinas, Durandus, Cardinalis Bellarminus, & alii, noſtraque memoria Muratorius, ipſo illo ducti Eccleſiaſtici teſtimonio demonſtrarunt, piorum animos, quibus nihil culpæ luendum ſit, ſtatim ab obitu poſt Chriſti tempora in cœlum aſcendere, atque ibi Dei frui, explerique præſentia, neque tamen priſcis Patribus ſimul, atque exiſſent e vita, tam præclarum, atque optatiſſimum præmium tributum eſſe voluerunt: ut facile unuſquiſque perſpiciat, in eo Cadonicum loco nullum poſſe opinionis ſuæ præſidium, neque perfugium invenire.

CAPUT

# CAPUT XI.

*Explicata argumentationis, quæ regreſſus dicitur, natura, producuntur rationes Cadonico adverſariæ. Primam deſumi ex morte Judæis horribili, & luctuoſa, noſtris fauſta, & lætiſſima, eamque egregia Joannis Chryſoſtomi oratione illuſtrari. Alteram ex cœli aditu optimo cuique antea intercluſo, idque ſacrarum litterarum & oracula, & figuras oſtendere. Tertiam ex communi humani generis peccato, neque hanc everti vel Angelorum exemplo, vel ratione ducta ex divinæ gratiæ adjumento. Quartam ex vehementiſſimo Judæorum deſiderio, quo Liberatoris ſui, vel Meſſiæ ortum expectabant, itemque ex Eccleſiæ precibus. Poſtremam ex veneratione, & cultu, quem viris ſanctis receptis in cælum, Deumque videntibus, adhibemus.*

129. DE reliquo non ſolum conſtans, & vetus Patrum auctoritas, perpetuus Theologorum conſenſus, antiquiſsimorum Hebræorum ſuffragia, doctrina Eccleſiæ, divinorum librorum teſtimonia clariſsimi viri ſententiam penitus labefactant, ſed maximarum etiam rationum, atque graviſsimarum momenta. Sed eas antequam expono, in bonoque lumine colloco, quid inter argumentationem, quæ regreſſus dicitur, & circulum, ut loquuntur, vitioſum differat, breviter explicandum puto, ne videamur fortaſſe imperitis Dialecticas non cavere fallacias. Vitioſum circulum vocant, cum idem ex eodem probamus, ut cum Ariſtoteles docuit, inerrantes ſtellas ideo ſcintillare, quod longiſsime diſtent a terra, diſtare autem longiſsime, quod ſcintillent. A qua fallacia plurimum abeſt, & diſsidet regreſſus, qui nonnunquam a viris etiam perſpicaciſsimis adhibetur. Utimur enim regreſſu, cum ex re effecta, quæ nota eſt, latentem cauſsam eruimus, tum vero a cauſsa iterum ad rem effectam revertimur, oſtendentes ſcilicet ex ipſa cauſsa jam cognita, in lucemque producta, quæ ſit effectæ rei natura, & qua ratione, quibuſve legibus oriatur. Hanc docendi rationem & viam ipſi interdum ſequuntur Aſtronomi. Ex eo enim, quod Luna, verbi gratia, non tota eodem tempore, ſed paullatim, & gradibus illuſtretur a Sole,

Digitized by Google

a Sole, rotundam illam eſse firma, ac perſpicua argumentatione conficiunt: tum cognita hoc modo, ac deprehenſa figura Lunæ, varias ejuſdem phaſes exponunt, ſive quibus eam Sol gradibus ſua luce illuſtret, & compleat, demonſtrare inſtituunt. In quibus argumentationibus nihil ſane vitii, neque fallaciæ ineſſe poteſt, cum vario prorſus, atque diverſo docendi, vel demonſtrandi genere utamur.

130. Nos igitur rationum momenta adverſus Cadonici opinationem pugnantia in medium allaturi tale aliquid moliemur, ſaltem quam ſimillimum. Alibi enim cum de Hieronymi, de Baſilii (§. 39.), de Joannis Chryſoſtomi (not. 12.), & ignoti cujuſdam auctoris (§. 62.) ſententiis videremus, animadvertimus, ab illis traditum, fuiſſe olim Hebræos male adverſus mortem animatos, eamque magnopere timuiſſe. Nunc rationem ab his ductam initiis, veluti noſtram, proponemus, propoſitamque ipſorum Patrum auctoritate, & doctrina illuminabimus, atque firmabimus. Hebræi igitur, & in his viri quoque integerrimi, ſanctiſſimi, optimi, mortem plurimum metuebant; nunc autem mors metum non affert: illi ſuorum qui mortui eſſent, vicem vehementer dolebant; noſtri non dolent, certe quidem vetamur a Paulo; hinc in illis non mediocris producendæ vitæ cupiditas: noſtri, quod cuique tempus ad vivendum datur, eo ſunt contenti, cogitantes breve tempus ætatis ſatis eſſe longum ad bene, honeſteque vivendum. Eſt hoc autem argumento firmiſſimo, piorum olim animos non ſtatim a morte in Dei conſpectum veniſſe. Tolle enim hanc rationem: fac, venerint; cupiditatem vitæ, mortis metum, luctum, ægritudinemque ſuſtuleris. Profecto poſtquam Dei Filius mortem in cruce vicit, victamque interfecit, mors tum æquiſſimo animo oppetitur, cum ſuis ſe recte factis vita occidens conſolari poteſt, &, ſi minus naturæ imbecillitas, at ratio, ac ſpes perficiunt, ut mortem negligamus. Quare, ut Senecæ utar ſententia, nunquam ſanctis, ac religioſis viris cara in corpore mora eſt, exire, atque erumpere geſtiunt, ægre has ferentes anguſtias. Vetat quidem dominans in nobis Deus, injuſſu hinc nos ſuo demigrare. Cum vero cauſſam juſtam Deus ipſe dederit, næ optimus quiſque cauſſam moriendi nactum ſe eſſe gaudebit, lætuſque ex his tenebris in lucem illam excedet. Nec tamen ſui vincla carceris ruperit. Leges enim, ac religio vetant. Sed tanquam a Magiſtra-

giſtratu, aut ab aliqua poteſtate legitima, ſic a Deo evocatus, atque emiſſus perlibenter exierit. Paulus quam inflammato ſtudio cupiebat diſſolvi, ut una eſſet cum Chriſto? Quam etiam innumerabiles alii, fœminæque ſanctiſſimæ? Pleni enim omnes ſunt libri, plenæ ſapientium voces, plena exemplorum Eccleſiaſtica hiſtoria. Martyres noſtri, immenſam quorum multitudinem felix quondam antiquitas genuit, omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, mortemque ipſam parvi ducebant, ac pro nihilo habebant illa, quæ vulgo putantur ampliſſima. Ultro igitur, fortique animo vitam pro Chriſto dabant, properabant ad ſupplicia, ipſos interdum in ſe carnifices incitabant, ut non ad mortem trudi, verum in cœlum, quod reipſa accidit, viderentur aſcendere. Sibi nimirum multorum præceptis, ſacriſque litteris ab ineunte ætate perſuaſerant, poſtquam vitam, ac ſanguinem profudiſſent, e veſtigio beatos ſe fore, & jucundiſſimo Dei adſpectu, convictu, conſuetudine immortaliter fruituros.

II. Horum plurimas nobis imagines non ſolum ad intuendum, verum etiam ad imitandum expreſſas Patres Græci, & Latini reliquerunt. Quas bonus quiſque ſibi ſemper in ratione vitæ proponens animum, & mentem ſuam ipſa cogitatione fortiſſimorum virorum conformare debebit. Contemnamus igitur, ſi Chriſtiani eſſe volumus, omnes ineptias, beatamque vitam in omnium rerum humanarum deſpicientia, & contemptione ponamus, & eorum, tot, tantorumque hominum, qui mortem ſtrenue, ac libentiſſime religionis cauſſa oppetierunt, exemplis incitati mortem tandem vel optare incipiamus, vel certe timere deſiſtamus. Nam cum ſupremus ille dies non magnis quibuſdam bonis nos ſpoliet, ſed in cœlum migrare jubeat, æternitatemque, atque felicitatem homini donet omnibus numeris, ac partibus abſolutam, quid optabilius? Itaque ſi quid tale acciderit, ut a Deo noſtris, vel nobis denunciatum videatur, ut exeamus e vita, læti, & agentes gratias pareamus, emittique nos e cuſtodia, & levari vinculis arbitremur, ut in æternam, & plane in noſtram domum remigremus [28]. Sin autem nihil denunciabitur, eo tamen



28 Res ſcilicet non ex muliercularum noſtrarum moribus æſtimanda eſt, ſed Chriſtianis momentis, atque ponderibus metienda. Fateor, de illis plurimas, ſi caput filio, ſi pes, ſi dens condoluerit, ferre non poſſe; quod ſi opi-

men ſimus animo, ut horribilem illum diem Hebræis, nobis fauſtum, ac ſalutarem putemus. Non enim temere, nec for-

tuito

opinione celerius fortaſſe obierit, ante ſcilicet, quam Chaldæorum promiſſa conſecutus ſit, tum vero ejulari, furere, omnia fletibus, lamentis, gemitibuſque concutere. Sed ne mulieres quidem in tot clamores, ac pene inſanas voces erumperent, ſi paullo eas diligentius Sacerdotes, quorum intereſt, de Chriſtianæ religionis diſciplina admonerent, ſuoque, ut debent, munere, ac boni Paſtoris officio fungerentur. Quadrat in hoc mulierum genus, atque etiam viros præclara illa Hieronymi objurgatio, qui cum in Nepotiani Epitaphio ad leniendam Heliodori triſtitiam complura, & illuſtria, partim Græcorum, partim Romanorum, graviſſimorum certe hominum, exempla attuliſſet, qui in filiorum mortibus dolori fortiſſime obſtiterunt, ut ne ingemuerint quidem, *quamquam & hæc*, inquit, *in ſugillationem noſtri breviter dicta ſint, ſi non præſtet fides, quod exhibuit infidelitas. Igitur ad noſtra veniamus. Non plangam cum Jacob* (Gen. cap. 37. ver. 34.), *& David* (Lib. 2. Reg. cap. 13. ver. 31.) *filios in lege morientes, ſed cum Chriſto in Evangelio recipiam reſurgentes. Judæorum luctus Chriſtianorum gaudium eſt. Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Nox præceſſit, dies autem appropinquavit; unde & Moyſes moriens plangitur* (Deuteron. cap. 34. ver. 8.); *Jeſus* (intellige Joſue) *abſque funere, & lacrymis in monte ſepelitur* (Joſ. capite ultimo). *Quidquid de Scripturis ſuper lamentatione dici poteſt, in eo libro, quo Paulam Romæ conſolati ſumus, breviter explicavimus.* Atque hæc erant ſolatia, hæc fomenta dolorum, quæ vir ſanctus, in diviniſque litteris verſatiſſimus, Pammachio in Paulinæ, Oceano in Fabiolæ, Theodoræ in Lucinii Bætici, Euſtochio in Paulæ, Principiæ in Marcellæ, aliis in ſuorum mortibus adhibenda eſſe exiſtimabat. Equidem acerrimus virtuti, atque tranquillitati adverſarius nimius rerum noſtrarum amor eſt, in venis, in medulliſque penitus inſitus, atque inuſtus: is ardentes faces intentat, is fortitudinem animi ſe debilitaturum minatur. Sed huic ſuccumbet virtus? Quam turpe, Deus bone, Chriſtiano homini futurum eſſet! Curandum ergo parentibus, in primis nobilibus, ac ſtudioſiſſime providendum, ut filii, quos ſuſceperunt, recte, honeſte, laudabiliter vitam inſtituant, nec molliſſimis cogitationibus, & perpetuis voluptatibus, ut fere accidit, effæminentur; cætera, ſi quidem ſapiunt, voluntati permittent, bonitatique, & ſapientiæ Dei, ſuaviter omnia, ac fortiter diſponentis. Pudeat nos, tam abjectos eſſe, demiſſeque ſentire, ut ab ipſis interdum Gentilibus haurienda præcepta ſint, & documenta ſapientiæ. Quomodo fabula, monebat prudentiſſime Seneca, ſic vita. Non enim, quam diu, ſed quam bene acta ſit, refert. Epiſt. 75. Itaque non, ut diu vivamus, enitendum eſt, ſed ut bene. Longa enim eſt vita, ſi plena eſt. Egregie, & fortiter factis metiamur cujuſque vitam, non tempore. Laudemus, atque in numero felicium eum reponamus, cui quantulacumque temporis pars ad vivendum obtigerit, utiliter collocata eſt. Hæc paſſim, atque alia plura idem, quem dixi, Seneca in ſuis ad Lucilium epiſtolis. Et Virgilius, cujus præclare dicto abſolvemus hanc notam,

*Stat ſua cuique dies, breve, & irreparabile tempus*
*Omnibus eſt vitæ: ſed famam extendere factis,*
*Hoc virtutis opus.* Æneid. lib. 10.

tuito fati, & creati ſumus, non eodem modo nobiſcum agitur, quo cum illis tam longo tempore actum eſt, ſed profecto fuit divina Chriſti mors, quæ generi conſuluit humano, effecitque, ut laxati ex his corporis vinculis tum denique viveremus, propiuſque cernentes Deum bonis omnibus, nullo admixto malo, potiremur. Quare in morte, cum adventaverit, portum potius paratum nobis, & perfugium cenſeamus, quo utinam velis paſſis pervehi liceat!

III. Egregie dictum a Seneca: *vir ſapiens mortem, morbos, & alia, quæ in vitam humanam incurrunt, feret non ſolum patienter, ſed etiam libenter, ut pareat legi naturæ: quemadmodum bonus miles fert vulnera, & transverberatus telis, moriens amat eum, pro quo cadit, imperatorem. Habebit in animo illud vetus præceptum, Deum ſequere* (*a*). Quanto magis Chriſtiano homini illud iter jucundum eſse debet, quo confecto, nulla reliqua cura, nulla ſollicitudo futura eſt, erimuſque cum Deo, præſentemque cernemus? Quam me delectat invictus ille, atque fortiſsimus Chriſti miles, Laurentius? Quam elato animo eſt? Etſi enim flemus, perhorreſcimuſque, cum legimus, tamen non miſerabiliter vir ſanctus emoritur. Qui cum in cratem injectus ferream juſsu crudeliſsimi tyranni ſuppoſitis ignibus torreretur, combuſta jam parte corporis, vocem illam in carnificem intuens omnium litteris, & prædicatione dignam emiſit: *aſſatum eſt jam, verſa, & manduca*. Luſit ſcilicet vir conſtantiſsimus extremo ſpiritu, cum jam toto corpore conceptam mortem contineret. Quis hanc animi maximi æquitatem præ ſe gereret, ut in fortuna quadam illam mortem, non in pœna putaret, niſi certa duceretur ſpe, ſe ſtatim conſcenſurum in cœlum, fructumque ſuæ virtutis ampliſsimum percepturum a Deo [29]? Triduo ante cum

 Xy-

(*a*) De Beat. cap. 15.

29 Equidem Græci illi, de quibus Cicero, voluptarii, nimirum Epicurei, qui mala dolore, bona voluptate definiunt, jactant, & pollicentur, ſapientem virum, etiamſi in Phalaridis tauro incluſus ſuccenſis ignibus torreatur, dicturum tamen, ſuave illud eſſe, ſe ſeque ne tantulum quidem commoveri. Tantam virtutis eſſe vim voluerunt, ut non poſſet unquam eſſe vir bonus, non beatus. Sed hæc ad argumentationis vim infringendam non valent. Nos enim qua ratione Judæi, qua Chriſtiani affecti erga mortem ſint, aut eſſe debeant, quærimus, itáque collationem inimus. Accedit, innumerabilem apud nos ex omni hominum genere eſſe Martyrum multitudinem, mortemque pueris etiam, atque delicatiſſimis fœminis jucundam fuiſſe, lætam, ſinéque gloria

Xyſtum, Romanæ urbis Pontificem, ad necem idem Laurentius rapi conſpiceret, graviter doluit, neque ea ſane de cauſſa, quod bonorum vexatio, hoſtiumque teterrimorum crudelitas finem habitura non eſset, ſed quod patrem filius, Antiſtitem ſuum Diaconus, quæ Auguſtini animadverſio eſt (*a*), ſequi non poſset. Si ergo ſtatuas (ſtatuere autem omnes debent), bonorum animis ex hac vita abeuntibus confeſtim Deum in conſpectum ſe dare, & coram videndum, ac perfruendum objicere, mortis metum, quod antea poſui (I.), dolorem, ægritudinemque ſuſtuleris: erat autem Hebræa natio aliter erga mortis vim animata, ita ut extimeſceret venientem, & bonus quiſque in proximorum morte vehementer animo angeretur, ut Jacobus, ut David, ut alii: quare ante Chriſti tempora necdum piis tributum fuit, ut Deum conſpicerent, bonorumque cœleſtium poſseſsionem adirent.

IV. Tanta eſt, mea quidem ſententia, hujus argumentationis vis, ut pene ſub oculos cadere videatur. Nunc tamen faciendum puto, ut, antequam progrediatur oratio, totam aurea, ac luculenta Joannis Chryſoſtomi diſputatione corroborem. Deſumetur hæc autem ex Homilia panegyrica de Bernice, Proſdoce, & Domnina, cujus ſupra (not. 12.) longe minimam exſcripſi particulam. Si qui enim paullo delicatiores futuri fortaſse ſunt, qui tantam ferre lectionem non poſsint, hos ego nihil moror. Nam quis hominum reformidet judicia, qui veræ Theologiæ guſtum non habent? Sunt autem ejuſmodi, quoſcumque tædeat orationis Joannis Chryſoſtomi, univerſum hunc locum omnibus eloquentiæ illuminantis luminibus, maximas, graviſsimaſque res acutiſsime pertractantis, jactaſque a malevolis hominibus in Abrahamum

ria optabilem. De reliquo Epicurum ſalſiſſime, ut ſolet, irridet Cicero in Tuſcul. quæſt. lib. 2. num. 7., ubi ſermonem de dolore inſtituit. *Ego*, inquit, *a te non poſtulo, ut dolorem eiſdem verbis afficias, quibus Epicurus voluptatem, homo, ut ſcis, voluptarius. Ille dixerit ſane idem in Phalaridis tauro, quod, ſi eſſet in lectulo. Ego tantam vim non tribuo ſapienti contra dolorem. Sit fortis in perferendo: officio ſatis eſt: ut lætetur etiam, non poſtulo. Triſtis enim res eſt ſine dubio, aſpera, amara, inimica naturæ, ad patiendum, tolerandumque difficilis. Adſpice Philoctetam: cui concedendum eſt gementi: ipſum enim Herculem viderat in Oeta magnitudine dolorum ejulantem..... Sed videamus Herculem ipſum, qui cum dolore frangebatur, cum immortalitatem ipſa morte quærebat.*

(*a*) Tract. 27. in Joan. cap. 8.

mum calumnias ſtrenue, ac fortiter repellentis. Sed hoc illi viderint; noſter ſic exorſus eſt dicere.

V. *Num.* 1. *Benedictus Deus, mulier ad mortem eſt intrepida; mulier, quæ mortem in naturam noſtram invexit, antiquum Diaboli telum hoc, Diaboli vim proſtravit: infirmum vaſculum, & injuriis obnoxium, telum factum eſt inſuperabile: mulieres adverſus mortem audaces ſunt, quis non obſtupeſcat? Erubeſcant Gentiles, pudeſiant Judæi, qui reſurrectioni Chriſti non credunt. Quod enim, quæſo, majus argumentum reſurrectionis quæris, cum tantam videas rerum factam mutationem? Mulieres ad mortem ſunt intrepidæ, rem, quæ vel ſanctis viris antea formidabilis erat, & horrenda. Diſce igitur, quanto eſſet olim timori, ut, cum jam quantum ſit deſpicabilis, videris, Deum laudes mutationis auctorem: diſce, quanta vis ejus prius eſſet, ut, cum quanta ſit nunc infirmitas ejus didiceris, Chriſto gratias agas, qui eam prorſus enervarit. Nihil illa robuſtius olim erat, cariſſime, nihilque nobis imbecillius: jam vero nihil eſt illa imbecillius, nihilque nobis robuſtius. Vides, ut optima ſit facta mutatio? Ut robuſta infirma reddiderit, & infirma robuſta Deus effecerit, quo ſuam nobis utrinque potentiam declararet? Verumtamen ne hæc affirmare tantum videar, demonſtrationem etiam adjungam. Ac ſi videtur, primum illud oſtendamus, quo pacto illam antea reformidarent non peccatores modo, ſed & homines ſancti, qui multam apud Deum fiduciam habebant, qui recte factis abundabant, omnemque virtutem attigerant. Hæc autem oſtendo, non ut ſanctos condemnemus, ſed ut Dei potentiam efferamus. Unde igitur conſtat, formidabilem antea mortis larvam fuiſſe, cunctoſque illam horruiſſe, atque tremuiſſe? Ex Patriarcha primo. Patriarcha enim Abraham* [30]*, juſtus, Dei amicus, qui patriam reliquerat, qui domum, cognatos, amicos, & præſentes res omnes ob Dei mandatum contempſerat, ita metuebat, ac reformidabat mortem, ut in Ægyptum ingreſſurus hæc uxori ſuæ diceret*: novi, quod pulchra ſis mulier. Erit igitur, cum viderint te Ægyptii, te quidem ſervabunt, me vero interficient. *Quid igitur*? Dic, ſoror illius ſum; ut bene ſit mihi

30 Ἀπὸ τῦ Πατριάρχυ πρώτυ. Primum ſcilicet Patriarcham appellat hunc noſtrum, non antiquiores de medio tollens, ſed tacite indicans, nobiſque cogitandum relinquens, univerſum Hebræorum populum ab Abrahamo, tanquam a fonte, & capite, duxiſse principia.

mihi propter te, & vivat anima mea propter te (*a*). *Quid hoc rei eſt, o ſancte, atque Patriarcha? Pro nihilo habes, ut uxori ſtuprum afferatur, ut torus lædatur, ut conjugium violetur? Itane tandem mortem reformidas? Neque vero tantum pro nilo habes, ſed & cum uxore dolum nectis, ac ſtupri fabulam cum ea ſimulas, omnemque das operam, ut Rex, dum adulterium aggreditur, latere poſſit, & ablato conjugis nomine, perſonam illi ſororis adaptaſti? Verum timeo, ne dum mortis imminuere virtutem ſtudemus, juſtum accuſare videamur: quamobrem utrumque conabor efficere, ut & infirmitatem mortis oſtendam, & ab hoc criminationem illam depellam. Sed operæ precium eſt, prius ut eum timuiſſe mortem demonſtremus, ac deinde a crimine vindicemus. Videamus ergo, quam intolerabilem, ac moleſtam rem paſſus ſit: nam uxorem cernere conſtupratam, & adulterio pollutam intueri, ſexcentis mortibus eſt intolerabilibus. Quid dico adulterio pollutam? Si vel tenuis de ipſa ſuſpicionis cogitatio mentem occupet, acerba illi vita omnis, & minime vitalis redditur. Etenim ignis illi quidam, & indomita flamma zelotypiæ morbus: cujus tyrannicam, & inevitabilem vim declarans quiſpiam dicebat:* plenus enim zelo animus viri ejus non commutabit ulla redemptione odium, neque parcet in die judicii, neque diſſolvetur multis donis (*b*); *& alibi rurſus*: durus, ut Infernus, eſt zelus (*c*). *Sicut enim non poteſt Infernus, inquit, pecuniis flecti, ſic neque is, qui zelotypia laborat, leniri, atque placari. Multi utique ſæpe vita ſua libenter redemiſſent, ut adulterum invenirent: ſanguinem ipſum viri ejus, qui uxorem conſtuprarat, perlubenter deguſtaſſent; & quævis aut agere, aut pati ejus rei cauſſa contenti fuiſſent, ſed hunc nihilominus intolerandum morbum, hunc violentum, & implacabilem juſtus patientiſſime toleravit, & ſtuprum uxoris præ nimio mortis, & interitus timore contempſit.*

VI. *Num.* 2. *Mortem illum ergo liquet ex hoc timuiſſe: jam vero tempus eſt, ut eum a crimine, & accuſatione, quæ hinc exoritur, liberemus; ſi prius ipſam accuſationem expreſſerimus: quænam igitur illa tandem eſt accuſatio? Oportebat, dicet aliquis, ut mortem oppeteret potius, quam ut conſtuprari uxorem pro nihilo haberet: & hoc eſt, quod illi crimini vertunt*

(*a*) Gen. cap. 12. ver. 11. (*b*) Proverb. cap. 6. ver. 34.
(*c*) Cantic. cap. 7. ver. 6.

*tunt quidam, quod vitam ſuam ſervare maluerit, quam conjugis caſtitatem. Quid ais? Oportebat ipſum mori potius, quam ut conſtuprari uxorem pro nihilo haberet? Quid vero illud profeciſſet? Nam ſi quidem morte ſua conjugem a ſtupro fuiſſet exempturus, recte iſta diceretis: ſin autem moriens nihil uxori proderat, ut eam a ſtupro liberaret, qua de cauſſa temere, & inconſulto ſalutem ſuam proderet? Nam ut intelligas, ne morte quidem ſua potuiſſe illum eam ab adulterio liberare, audi, quid dicat:* & erit, cum viderint te Ægyptii, te quidem ſervabunt, me vero interficient. *Futurum igitur erat, ut duo ſcelera patrarentur, adulterium, & cædes: erat autem prudentiæ non vulgaris ex duobus iſtis unum latrifacere. Nam ſi quidem expoſita vita ſua, rurſus enim idem dicam, liberaturus eam a ſtupro fuiſſet, & occiſo juſto, Saram illi non attigiſſent, recte accuſares: ſin autem, eo morte ſublato, pari ratione futurum erat, ut ſtupraretur uxor, qua de cauſſa juſtum accuſas, quod, cum duo eventura mala eſſent, adulterium, ac cædes, alterum ſapientia ſua impediverit, cædem nimirum? Hujus quippe rei cauſſa laudari etiam eum oportebat, quod adulteri manum puram a ſanguine conſervarit. Non enim dicere illud potes, eam, quod dixerit, ſe ſororem illius eſſe, hoc ipſo Ægyptium ad ſtuprum invitaſſe: licet enim dixiſſet, uxorem ejus ſe eſſe, ne ſic quidem erat abſceſſurus. Et hoc ipſe declaravit, cum dixit,* ſi viderint te, dicent, uxor ejus eſt hæc, & interficient me, te autem ſervabunt. *Itaque ſi dixiſſet, uxorem ipſius ſe eſſe, & adulterium, & cædes patrata fuiſſent: ſi vero dixiſſet, ſororem, cædes impedita eſſet: vides, ut imminentibus duobus malis, alterum ſapientia ſua ſuſtulerit? Viſne diſcere, quo pacto etiam adulterii crimen, quantum in ejus poteſtate ſitum eſt, rurſus imminuat, ut ne perfectum quidem adulterum eum eſſe permittat? Audi verba ipſa rurſus attente.* Dic, *inquit*, ſoror illius ſum. *Quid ait? Qui ſororem accipit, non jam adulter eſt; adulter enim ab animi propoſito judicatur. Judas quippe cum ad nurum ſuam Thamar ingrederetur, non adulter judicabatur: non enim tanquam ad nurum, ſed tanquam ad mulierem meretricem ingrediebatur. Sic etiam hoc loco Ægyptius, qui eam erat accepturus, non ut uxorem Abraham, ſed ut ſororem, judicandus adulter non erat. Sed quid hoc ad Abraham, dicet aliquis, qui probe noverat, ſe conjugem ſuam, & non ſororem exponere? Atqui ne*

*hoc*

*hoc quidem iſtius eſt crimen. Si enim cum uxorem ejus eſſe audiſſet, ſibi temperaturus a ſtupro fuiſſet, recte juſtum criminareris: ſin autem Saræ nihil commodi uxoris nomen erat allaturum, ut ſtuprum a ſe depelleret, prout ipſe quoque dixit:* dicent, uxor ejus eſt hæc, & ſervabunt te, *multo æquius eſt, ut juſtum laudemus, qui in tanta rerum difficultate potuerit & Ægyptium purum a ſanguine conſervare, &, quantum in ſe ſitum erat, adulterii crimen minuere* [31]. *Reſtat, ut ad ejus*

31 Defendit eodem modo, ac propulſavit injuriam a Fauſto, ejuſque ſatellitibus Manichæis Abrahamo illatam vir ſummus Auguſtinus. *Dicet aliquis: cur non potius ita de Deo ſuo præſumpſit Abraham, ut fateri non timeret uxorem? Neque enim Deus ab illo mortem non poterat repellere, quam timebat, eumque cum conjuge ſua ab omni pernicie in illa peregrinatione tutari, ut nec uxor ejus, quamvis eſſet pulcherrima, appeteretur ab aliquo, nec propter illam ipſe necaretur. Poterat ſane hoc efficere Deus: quis ita ſit demens, ut hoc neget? Sed ſi interrogatus Abraham, illam fœminam indicaret uxorem, duas res tuendas committeret Deo, & ſuam vitam, & conjugis pudicitiam. Pertinet autem ad ſanam doctrinam, quando habet, quod faciat homo, non tentare Dominum Deum ſuum. Neque enim & ipſe Salvator non poterat tueri Diſcipulos ſuos, quibus tamen ait:* ſi vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. *Neque & Apoſtolus Paulus deſperaverat adjutorium, protectionemque divinam, fidemque perdiderat, quando per murum in ſporta ſubmiſſus eſt, ut inimicorum manus effugeret....... Proinde cum inter ignotos, propter excellentiſſimam pulchritudinem Saræ, & ejus pudicitia, & mariti vita eſſet in dubio, nec utrumque tueri poſſet Abraham, verumtamen unum horum poſſet, ideſt vitam, ut Deum ſuum tentaret, fecit, quod potuit, quod autem non potuit, illi commiſit.* Lib. 22. cont. Fauſt. Manich. cap. 36. Tom. 8. edition. Maurin.

Quorſum hæc, inquies? Ut agnoſcas, injuria mirari Joannem Franciſcum Buddæum, a Patribus noſtris Abrahami factum, atque conſilium collaudari. Is enim de Abrahamo verba faciens ſic exiſtimat, *non eſſe cum Fauſto Manichæo, aliiſque acerbe viro ſanctiſſimo inſultandum*, negari tamen non poſſe, quin is conjugem ſuam adulterii periculo objecerit, & imbecillitate, ac diffidentia quadam adverſus infinitam Dei providentiam, ac bonitatem peccaverit. Hiſt. V. Teſt. Per. 1. ſect. 3. §. 5. Equidem vereri mihi in mentem venit, cum hæc objici crimina audio, ut Buddæus Joannem Chryſoſtomum legerit, vel, ſi quidem legit, ut attente ſatis. Sed utcumque ſe ſe res habeat, utramque certe accuſationem hominis cum idem Chryſoſtomus, tum Auguſtinus ſapientiſſime diluerunt, ut nihil reliquum ſit, quod addendum eſſe videatur. Recentes quidem Heterodoxi, ne cenſeantur Manichæorum ſequi proterviam, cum Patriarchas veteres reprehendunt, & carpunt, moderatione quadam utuntur; ſed tamen non longe abſunt ab ea criminis ſpecie, quo ſe turpiter Manichæi olim polluerunt. Itaque, etſi neminem contumelioſe, aut acerbius laceſſendum putem, ſi tamen non quieverint, nec Chryſoſtomi, & Auguſtini inducti argumentis accuſatorum perſonam depoſuerint, facere omnino non potero, quin illos

Digitized by Google

*ejus nepotem Jacobum orationem traducamus, ut illum quoque necem metuentem, ac trementem videas hominem, qui a prima jam ætate philoſophiam Apoſtolicam præ ſe tulerat. Paulus enim diſcipulis in hæc verba præcipiebat* : habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus (*a*), *hoc & iſte poſtulabat a Deo dicens:* ſi dederit mihi Dominus panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, ſufficit nobis (*b*). *Sed & ipſe tamen, qui nihil præter neceſſaria quærebat, qui domum neglexerat, qui benedictiones acceperat, qui matri paruerat, qui Deo amicus erat, qui per ſapientiam naturæ vim attulerat; poſterior quippe natura cum eſſet, benedictionibus prior evaſit; qui tam multa potuerat, qui tantam philoſophiam, tantamque pietatem præ ſe tulerat, poſt ſexcenta certamina, poſt ſexcentos agones, poſt ſexcentas luctas, & plurimas illas coronas, cum in patriam reverteretur, & occurſurus fratri eſſet, quaſi belluam conſpecturus, ejuſque indignationem pertimeſcens ſupplex Deo fit, & orat*: erue me de manu fratris mei Eſau, quoniam eum timeo ego; ne forte veniens percutiat me, & matrem ſuper filios (*c*). *Vides, ut hic quoque mortem pertimeſcat? Ut tremat, Deumque illius cauſſa precetur? Viſne oſtendam & alterum virum magnum hoc eodem modo rurſus affectum? Pone tibi ante oculos Heliam, animam ad cælum pertingentem, ac divinam: ille enim, qui cælum clauſit, rurſuſque reſeravit, qui deſuper ignem dejecit, qui mirabile ſacrificium illud obtulit, qui pro Deo zelo exarſit; ille, qui in corpore humano angelicam vitam exhibuit, qui præter ovinam pellem nihil habuit, qui rebus omnibus humanis ſuperior evaſit, adeo mortem metuit, ac reformidat, ut poſt illa cuncta, poſt cælum, & ſacrificium, poſt melotem, deſertum, & philoſophiam, tantamque fiduciam, vilem mulier-*



illos his ejuſdem Auguſtini verbis objurgem. *Abrabæ factum lenocinio ſimile videtur, ſed non valentibus*, aut non volentibus *ex illius æternæ legis lumine a peccatis recte facta diſcernere: quibus & conſtantia pertinacia videri poteſt, & virtus fiduciæ vitium putari audaciæ, & quæcumque ſimiliter objiciuntur quaſi non recte agentibus, a non recte cernentibus*. Ibid. cap. 33. Nos interim, dum ſententias magnorum Patrum proferimus, duas res una mercede doctioribus viris aſſequuti eſſe videbimur, alteram, ut Joannis Cadonici de piorum ſalute, atque beatitudine opinionem confutemus, alteram, ut ſanctiſſimorum Patriarcharum gloriæ, atque virtutibus faveamus.

(*a*) Epiſt. 1. ad Timoth. cap. 6. ver. 8. (*b*) Gen. cap. 28. ver. 20.

(*c*) Ibid. cap. 32. ver. 11.

*culam pertimeſcat, & idcirco fugiat. Nam quia dixerat Jezabel*: hæc faciant mihi Dii, & hæc addant, niſi cras animam tuam poſuero, ſicut animam unius ex illis, qui mortui ſunt, timuit Helias, *inquit*, & fugit itinere dierum quadraginta (*a*).

VII. *Num.* 3. *Vides, ut mors ſit terribilis? Dominum ergo laudemus, quod cum terribilis eſſet Prophetis, contemptu facilem mulieribus reddiderit. Helias mortem fugiebat, mulieres ad mortem confugiebant: ille a morte reſiliit, iſtæ mortem ſunt conſectatæ. Vides, quanta repente facta ſit mutatio? Abraham, & Helias necem reformidant, mulieres autem quaſi lutum pedibus ſuis mortem conculcarunt. Verumtamen ne illos quidem ſanctos accuſemus; non ipſorum eſt culpa, naturæ imbecillitas erat, non crimen arbitrii. Formidabilem eſſe tum temporis Deus mortem volebat, ut gratiæ poſtea magnitudo innoteſceret: formidabilem illam voluit eſſe; ſupplicium enim erat, idcirco diſſolvi ſupplicii minas noluit, ne ſegniores homines poſtea redderentur. Maneat, inquit, ad eos terrendos, coercendoſque ſententia. Erit enim, erit tempus, quo & metu iſto liberabuntur; quod utique accidit: nos quippe liberatos ab eo fuiſſe hoc metu declarant cum Martyres, tum ante Martyres Paulus. Audiſti in veteri teſtamento dicentem Abraham*: te quidem ſervabunt, me vero interficient? *Audiſti Jacob dicentem*, erue me de manu Eſau fratris mei, quoniam eum timeo ego? *Vidiſti Heliam mulieris minas mortis cauſſa fugientem* [32]? *Audi, quomodo Paulus erga rem iſtam ſit affectus, an formidabilem illam cenſeat, ut illi: num ea imminente triſtetur, ac metuat; immo vero e contrario rem eſſe optabilem arbitratur: propterea dicit*: diſſolvi me, & eſſe cum Chriſto multo melius (*b*). *Illis formidabile, huic melius, illis injucundum, huic jucundum: ac merito ſane: olim enim ad Infernum mors deducebat, nunc autem ad Chriſtum mors tranſmittit: quapropter Jacob quidem ait*, deducetis ſenectutem meam cum triſtitia ad Inferos (*c*); *Paulus vero dicebat*, diſſolvi, & cum Chriſto eſſe me multo melius. *Hæc porro*

(*a*) Lib. 3. Reg. cap. 19. ver. 2. (*b*) Ad Philipp. cap. 1. ver. 23.
(*c*) Gen. cap. 42. ver. 38.

32 Sanctis iſtis, ac piis hominibus, quibus mors, Chryſoſtomo judice, facceſſebat moleſtiam, metumque, & ſollicitudinem afferebat, Regem optimum, Ezechiam, & Jobum nominatim annumerat, magna auctoritate, & ſapientia ſcriptor, Bernardus in epiſtola 98. de Machabæis, quam adibis, ſi placet. Ego enim plura nolo.

*ro dicebat*; *non ut hanc vitam damnaret*: *abſit*, *caveamus enim*, *ne hæreticis anſam præbeamus*: *neque quod eam tanquam malam fugeret*, *ſed quod futuram*, *ut meliorem*, *exoptaret*. *Non enim dixit*, diſſolvi, & eſſe cum Chriſto *bonum eſſe ſimpliciter*, *ſed melius*: *melius comparatione boni alicujus dicitur*. *Quemadmodum enim*, *cum ait*, qui matrimonio jungit, bene facit: qui vero non jungit, melius facit (*a*), *bonum quidem eſſe matrimonium oſtendit*, *at meliorem virginitatem*: *ita nimirum & hoc loco*, *bona quidem vita præſens*, *inquit*, *multo vero melior eſt futura*. *Rurſus alibi pari ratione philoſophatur*, *& ait*: ſed & ſi immolor ſupra ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis, idipſum autem & vos gaudete, & congratulamini (*b*). *Quid ais*? *Moreris*, *o Paule*, *& ad ſocietatem voluptatis homines advocas*? *Quid tibi*, *quæſo*, *accidit*? *Non equidem morior*, *inquit*, *ſed ad meliorem vitam tranſeo*. *Ut igitur homines magiſtratum ineuntes plurimos lætitiæ ſibi ſocios*, *ac participes futuros accerſunt*: *ſic & Paulus ad mortem pergens gaudii ſui conſortes futuros vocabat*. *Eſt enim mors requies quædam*, *laborum finis*, *ſudorumque retributio*, *ac certaminum præmium*, *& corona*. *Ideo principio quidem ſuper mortuos planctus quidam*, *& lamentationes fiebant*: *nunc autem pſalmi*, *& cantus hymnorum*. *Fleverunt igitur Jacob quadraginta diebus*, *fleverunt & Moyſem totidem alias Judæi*, *& planxerunt*, *quoniam mors tum temporis mors erat*: *jam vero non ita*, *ſed hymni ſunt*, *preces*, *& pſalmi*, *quæ omnia voluptatem in ea re eſſe declarant*: *pſalmi enim hilaris animi ſignum ſunt*. Æquo enim eſt animo quis in vobis? Pſallat (*c*). *Quoniam igitur lætitia affluimus*, *idcirco pſalmos ſuper mortuos pſallimus*, *qui nos cohortantur*, *ut mortem non timeamus*. Convertere enim, *inquit*, anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi (*d*). *Vides*, *beneficium eſſe mortem*, *ac requiem*? *Qui enim ingreſſus eſt in requiem illam*, *ab operibus ſuis requievit*, *ut a propriis Deus*.

131. *Ac de morte quidem hactenus*. Rationis enim, atque auctoritatis momentis ſatis, ſuperque demonſtratum eſt, antequam unigena Dei Filius illius metum hominibus demeret, moleſtiſſimam fuiſſe mortem, inimicam, gravem, horri- 



(*a*) Epiſt. 1. ad Cor. cap. 7. ver. 38. (*b*) Ad Philip. cap. 2. ver. 17.
(*c*) Epiſt. Jac. cap. 5. ver. 13. (*d*) Pſal. 114. ver. 7.

Digitized by Google

bilemque Judæis: quæ ſigna, ac documenta ſunt omnia, eam tum fuiſſe viam ad Inferos, non ad Deum. Hujus enim videndi ſpes timorem noſtris non ſolum minuit, ſed plane tollit, ſic profecto, ut jucunda etiam eſſe mors, atque optabilis videatur. Quod autem illa via olim eſſet ad Inferos, non ad Deum, quis miretur? Etenim, ut initio jam capitis 1. (§. 5.) docuimus, cum dirimendæ hujus controverſiæ jecimus fundamenta, cœli oſtium piis omnibus obſtructum erat, nemoque unus ante Chriſtum illuc aſcenderat, ut ibi beatus ſempiterno ævo frueretur. Quæ res aliis præterea argumentorum luminibus declarari a nobis poteſt, ut rationem hinc petitam adverſus Cadonicum etiam, atque etiam premamus. Id enim magnus ille populorum Apoſtolus perſpicue oſtendit non ſolum capite 10., verum & cap. 9. ver. 8. ejus epiſtolæ, quam ad Hebræos dedit. Quippe explicans veterem, atque ſolemnem apud hos conſuetudinem, qua fiebat, ut ſummus tantum Sacerdos quotannis ſemel ingrederetur in Sancta Sanctorum, non ſine ſanguine, quem pro ſuis, populique culpis offerret, teſtatur, ſignificatum ea re a *Spiritu Sancto* fuiſse, *nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum*. Ubi vides, cœli aditum (cœlum enim Sancta Sanctorum referebant, atque adumbrabant), nemini antea, licet optimo, atque innocentiſſimo, patuiſſe. *Propterea, inquit, hæc ita ſunt conſtructa* (locus eſt Joannis Chryſoſtomi Paulinum oraculum evolventis), *hæc ita ſunt conſtructa, ut diſceremus, quod ad Sancta Sanctorum, hoc eſt ad cœlum, nondum pateat aditus* [33].

132. Neque ſane in veteri Hebræorum lege figura quædam ejus myſterii defuit, ac imago. Nam illi, quibus interdicebatur, ut ne in patriam ante ſummi Sacerdotis mortem redirent (*a*), hoc deſignabant, nemini hominum, quamvis pie, ſanctiſſimeque vixiſset, aditum in cœleſtem patriam patefieri, antequam ſummus ille, atque æternus Sacerdos Chriſtus mortem obiret: qua quidem obita, ſtatim cœli fores a-

pertæ

(*a*) Num. 35. ver. 25.

33 In hanc epiſt. Hom. 15. num. 1. Summa eſt autem Patrum noſtrorum, Interpretumque conſenſio. Unus ſit inſtar omnium, homo paullo liberiore ingenio, Harduinus. *Hoc ſignificante Spiritu Sancto, dum vetaret, ingredi quemquam in Sancta Sanctorum, præter ſolum Pontificem, tunc nondum reſeratum omnibus fuiſſe in cœlum introeundi aditum, quamdiu vetus illud Tabernaculum maneret*. In Paraphr. hujus loc.

pertæ ſunt iis, qui ſacramentis probe expiati, fidéque, ſpe, & charitate præditi paſſionis ejus conſortes, atque participes fierent (*a*). Itaque ſummo hoc Sacerdote in cruce animam exhalante, Templi velum diſciſsum eſt, quæ res etiam indicavit, tunc demum patere iter in cœlum hominibus cœpiſſe [34]. Idemque propterea Dei Filius cum extremæ cœnæ tempore diſcipulorum ſuorum animos, qui triſtitiæ ſe tradiderant, ad hilaritatem vellet traducere, erigere, ac recreare, prædixit, atque pollicitus eſt, locum ſe eis paraturum in cœlo. *Vado*, inquit, *parare vobis locum* (*b*). Quod quidem ut rei etiam eventu aperte comprobaret, piorum animos, quos ex ſubterranea illa Inferorum regione eripuerat, in cœleſtem ſecum patriam, unde exulaverant, deportavit.

133. Enimvero quid his conſequens, & conſentaneum ſit, nemo non viderit. Dei enim Filius tunc demum cœli oſtium hominum generi patefecit, cum mortem oppetiit. Id docent ſacrarum litterarum oracula, & figuræ, Eccleſia, Patres, Theologi; atqui eædem ſacræ litteræ, eadem Eccleſia, iidem Patres, atque Theologi docent, Dei Filium, aperto cœli oſtio, maximum nobis, præſtantiſſimum, & inexplicabile beneficium contuliſse: tale autem nec eſt, nec eſse poteſt, ſi pii antea Deum vidiſsent; nullo igitur modo videbant. Prorſus nihil abfuit, quin clauſulam illam apponerem, Geometris familiarem, atque legitimam, Q. E. D. Si qua enim ratio eſt, cui demonſtrationis nomen tribuendum videatur, audacter dico, aut iſta ſine dubio eſt, aut nulla præterea. Argumentationis enim propoſitio nec unquam in controverſia poſita fuit, quod ſciam, nec oppido poni poteſt. De utraque aſsumptionis parte quis dubitet? Perpende ſacrarum litterarum oracula, & figuras, lege Theologos, evolve Patres, conſulito Eccleſiam, adi, atque ſcrutare loca, quæ §. 5.131. 132. paſſimque in toto hoc opere expoſui, atque illuſtravi, dubitare

(*a*) Ex Catech. Rom. par. 1. cap. 5. num. 14. (*b*) Joan. cap. 14. ver. 2.

34 Ne cui autem fortaſſe videar pias magis, quam veras muliercularum commentationes ſequi, audiatur Interpretum longe princeps, & maximus, Hieronymua. *Priuſquam Salvator humanum corpus aſſumeret, clauſa erat lex, & Prophetæ. Clauſus erat Paradiſus. Poſtquam autem ille pependit in Cruce, & loquutus eſt ad Latronem*: hodie mecum eris in Paradiſo, *ſtatim velum Templi ſciſſum eſt, & aperta ſunt omnia: ablatoque velamine dicimus*: nos autem omnes revelata facie gloriam Domini contemplantes, in eandem imaginem transformamur a gloria in gloriam. Lib. 13. cap. 44. in Ezech. Tom. 5. edit. Vall.

bitare omnino , & hærere nequis , quin ſummo omnes conſenſu doceant, inculcent, velint, Chriſtum nos, aperta cœli janua, ſingulari , ampliſſimo , atque omnium longe maximo beneficio affeciſse. Veteres Patres, ac ſacrorum Antiſtites in Homiliis, ſive ſermonibus propemodum infinitis, quos die Paſchatis, vel diebus proxime ſuperioribus ad populum habuerunt , toti in hoc ſunt , ut oſtendant , quanta ſit beneficii, quod a Chriſto tum accepimus, magnitudo. Sed pace veſtra dixerim, Patres optimi, atque ſanctiſſimi , tempus abjicitis, operam perditis. Antea enim Deum videbamus. Tu, Paule, perſuadere Hebræis vis, Chriſtum hominibus viam ad cœlum novam, & nullorum tritam veſtigiis ſuo ſanguine muniviſse (§. 5. 131.), urges, inſiſtis, tonas, fulminas. Cur, quæſo, tam multus es in hac re demonſtranda ? Deum antea videbamus. Tu, Chriſte Optime Maxime, parens, ac Deus noſter, ſpondes diſcipulis, locum te illis in cœleſti patria paraturum. Hac eos ſpe conſolaris, erigis, excitas. Grandia polliceris. Sed quid ? Deum jam ſine illo loco tuo videbamus. Tu, Moſes, id quidem ipſum figuris, rerumque involucris oſtendis (§. 132.). Fateor, præclare a te dicta, & adumbrata ſunt omnia. At quamvis ante ſummi Pontificis mortem redire in patriam non poſsemus, ubi ſpem nobis maximorum, immortaliumque bonorum oſtendis, Deum jam tamen, quo nihil eſt optabilius, extra patriam videbamus. Tu quoque, parens optima, atque dulciſſima, tu Eccleſia, vitæ dux, & magiſtra diſciplinæ, ſacerdotibus, ut quotidie canamus, præſcribis, ſponſum illum tuum, devicto tandem mortis aculeo, aperuiſſe credentibus regna cœlorum (§.103.). Filiorum ego tuorum longe infimus facio, dicto audiens ſum, diem nullum effluere patior. Verumtamen etſi ſponſus tibi chariſſimus, tuique percupidus nondum mortis excuſſiſset aculeos, neque regni cœleſtis fores patefeciſset hominibus, quod in magna laude ponendum putas, jam Deum coram videbamus, omnibus circumfluebamus deliciis, abundabamus bonis, ſuppetebant affatim quæ ad vitam, quæ ad ſalutem, quæ ad ſempiternam felicitatem animi requiruntur. Sed ego imprudens, ac nolens infinitam orationem ſuſcipio. Expende igitur, acute Lector, reliquas Patrum, Theologorum, divinorum voluminum, Eccleſiæque ſententias, quæ tradunt, Dei Filium, cum ſuffixus cruci in maximis doloribus obiit, cœli januam homi-

hominum generi reſeraſſe: expende, pondera, in omnem partem conſidera, explica, atque excute intelligentiam tuam: ſi ſtatuas, pios antea in Dei conſpectum veniſſe, beneficii ejus, quod tum nobis tributum eſt, plane divina vis tota ſtatim labefactatur, & concidit. Itaque verba reſtant, quæ nihil ſignificant, ſeu vocum ſonitus inanis, nulla ſubjecta ſententia, nec ſcientia. Cum enim ſumma illa, & completa beatitas, quam eſſentialem Theologi dicimus, in videndo Deo conſtitui debeat, nihil autem ad ſummam felicitatem deeſſe illi poſſit, qui Deum, rem unam omnium pulcherrimam, ac præſtantiſſimam, videat, atque poſſideat; quid, oro, de eo beneficio cogitandum eſt, quo affecti a Chriſto ſumus, cum cœli aditum moriens patefecit, cujus celebrandi, atque ornandi finem ſacræ litteræ, finem Eccleſia, finem Patres, finem Theologi nullum reliquum faciunt? Dicamus rurſus; verba effunderent, quibus nulla ſubeſſet vis, neque notio; immo, quod omnibus illorum dictis, atque ſermonibus maxime contrarium eſt, nihil noſtra felicitas cum fortuna Hebræorum differret.

134. Joannes apud Matthæum cum primum in illa Judææ ſolitudine promulgare Evangelium incipit, *pœnitentiam agite*, clamat. Cur? *Appropinquavit enim regnum cœlorum* (*a*). Videlicet ut Judæorum animos a rebus humanis ad divinas, a vitiis ad virtutes traducat, præmia ampliſſima, nova, inſolita, quæ nemo adhuc aſſecutus ſit, pollicetur, ut apertius ſignificat Marcus his verbis: *quoniam impletum eſt tempus*, & *appropinquavit regnum cœlorum*, *pœnitemini*, & *credite Evangelio* (*b*). Idem poſt Joannem, quem præconem rerum ſuarum, ac præcurſorem adhibuit, edicit Dei Filius, & quæ ille male actæ vitæ pœnitentibus promiſſa fecerat, rata haberi jubet, & approbat. Hinc apud Matthæum ut ſocordes homines excitet ad cœleſtis regni cupiditatem, æternæque beatitudinis adeptionem, has illis veluti faces, ac ſtimulos ſubjicit. *A diebus*, inquit, *a diebus Joannis Baptiſtæ regnum cœlorum vim patitur*, & *violenti rapiunt illud* (*c*), explicatiuſque apud Lucam: *lex*, & *Prophetæ uſque ad Joannem: ex eo regnum Dei evangelizatur*, & *omnis in illud vim facit* (*d*), tanquam arrepturus rem, quæ nemini adhuc obtigerit, & cujus

(*a*) Cap. 3. ver. 2. (*b*) Cap. 1. ver. 15.
(*c*) Cap. 11. ver. 12. (*d*) Cap. 16. ver. 16.

cujus adeptione beata vita compleatur. Pœnitendum quidem eſt, ſibíque vis adhibenda, *ſed magnitudo pœnarum*, ait hoc loco Chryſoſtomus (*a*), *facit magnitudinem præmiorum*. Rurſus divinus præceptor a populo, quem inſtituendum ſuſceperat, omnem orationem traducens, & convertens in increpandam Phariſæorum malitiam, *væ autem vobis*, intonat plenus minarum, *væ autem vobis*, *Scribæ*, *Phariſæi hypocritæ*, *quia clauditis regnum cœlorum ante homines*; *vos enim non intratis*, *nec introeuntes ſinitis intrare* (*b*): ideſt: ego jam ſingulis, qui pie, ſanćteque vivant, clauſas tam multis ſæculis cœli fores aperio, vos rurſus clauditis, & obſeratis: ego jam illos in bonorum cœleſtium poſſeſſionem immitto; en claves, penes me ſunt: vos a primo etiam regni aditu prohibetis, conanteſque retrahitis. In regnum Dei nec ipſi ingredimini, nec alios ingredi ſinitis. Infeliciſſimi omnium! Pœnas certiſſimas dabitis, ſumeturque de vobis ſupplicium, cui nulla unquam allatura ſit finem ætas. Sunt ergo ejuſmodi Joannis, divinique præceptoris ſententiæ, ut bona uterque, ac præmia oſtendere videantur, quæ nova, ac recentia ſint, nec a quoquam hactenus poſſideri potuerint. At ſi piis, cum nondum reditus in cœlum patebat, Deus in conſpectum ſe dabat, videndique ſui, ac fruendi copiam fecerat, & poteſtatem, talium ſententiarum vis penitus enervatur, & præmiorum, quæ promittuntur Judæis, novitas, atque inſolentia omnino vaneſcit, ac tollitur.

135. Patet autem eiſdem ex locis, unde Joannes, cum primum cœpit promulgare Evangelium, initium duxerit. Exorſus eſt dicere de regno cœlorum. Lex quidem, & Prophetæ id regni per quædam involucra, & integumenta oſtenderant; ſed primus omnium Joannes in Evangelio plane, & aperte prædicavit. *Lex*, *&* *Prophetæ uſque ad Joannem*: *ex eo regnum Dei evangelizatur*. Neque id ſine cauſſa. In veteri Hebræorum lege cœleſte regnum eo nomine promiſſum non fuerat, quia adhuc adiri, ac poſſideri non poterat: in nova paſſim promittitur, & crebris celebratur ſermonibus, propterea quia appropinquabat jam Chriſti mors, qua fieret, ut quod antea probe clauſum, & obſignatum, apertiſſimum deinde eſſet omnibus, atque promptiſſimum. Vetus hæc autem animadverſio eſt, doctiſſimorum Patrum firmata conſenſu.

(*a*) Homil. 70. ad populum Antioch. (*b*) Matth. cap. 23. ver. 13.

ſu. Hieronymus enim ea ſuper re hunc in modum : *primus Baptiſta Joannes regnum cœlorum prædicat, ut præcurſor Domini hoc privilegio honoretur* (a). Joannes Chryſoſtomus : *tunc primum ea, quæ nunquam audierant Judæi vel a Prophetis, vel ab aliis quibuslibet, illa, inquam, conſpicua voce prædicat, cœlos, & regnum cœlorum commemorans, nihilque de terra loquens* (b). Auctor commentariorum in Marcum, qui etſi Chryſoſtomo tribuantur, alterius tamen elaborati ingenio ſunt, & induſtria : *quantum in corde meo eſt legens Legem, legens Prophetas, legens & Pſalterium nunquam regnum cœlorum audivi, niſi in Evangelio. Quia antequam Chriſtus aperiret januam regni, omnes animæ juſtæ detinebantur in Inferno* (c). Iterum, & ſæpius ſumma ille doctor ſcientia, & auctoritate, Hieronymus in epiſtola 129. reſcripta ad Dardanum : *mihi in Evangelio promittuntur regna cœlorum, quæ inſtrumentum vetus omnino non nominat* (d). Cur autem non nominet, rationem paullo ante plurimis, & accuratiſſimis verbis expoſuit. *Hæc eſt, ut dicimus, terra viventium, in qua ſanctis viris, atque manſuetis bona Domini præparantur: quæ ante adventum in carne Domini Salvatoris nec Abraham, nec Iſaac, nec Jacob, nec Prophetæ, & alii juſti viri conſequi potuerunt. Denique & Abraham, licet diverſis locis, cum Lazaro videtur apud Inferos, & Jacob vir juſtus dicit*: lugens, & gemens deſcendam ad Infernum. *Sanguis Chriſti clavis Paradiſi eſt, dicentis ad Latronem* : hodie mecum eris in Paradiſo. *Iſta eſt, ut diximus, terra viventium, terra divitiarum, & bonorum Dei, quam primus Adam perdidit, & ſecundus Adam invenit: immo ab illo perditam iſte reſtituit* (e).

136. Quod ergo felix, fortunatumque eſſe debet, tres ego cauſſas complexus ſum, quamobrem piorum animi non intuerentur in Deum, neque ejus numine, ac pulchritudine fruerentur, antequam unigena Filius redeundi nobis in cœlum poteſtatem feciſſet. Quartam expromere poſſem ex Patrum ſententiis, qui levi immutatione vocabuli illum docent non quidem cœli, ſed Paradiſi oſtium reſeraſſe. Paradiſus enim, ut ſæpe ex Auguſtino teſtatur Cadonicus, ibi eſt, ubi feliciter vivitur, ſuamque Deus declarat, aperitque præſentiam ; ex quo



(a) Lib. 1. cap. 3. in Matth. Tom. 7. edit. Vall. (b) Homil. 10. in Matth. num. 2. Tom. 7. edit. Montf. (c) Homil. 4. in Marc.
(d) Num. 5. Tom. 1. ut ſupra. (e) Num. 2.

quo iterum illud exiſtit, Deum antea ſua ſe forma, beatæ vitæ effectrice, piorum animis non oſtendiſſe, atque adeo cœli fores patefacere, perinde eſſe, ac miſerum hominum genus in Dei conſpectum, a quo longe ejecti fuerant, admittere, atque reducere. Eam certe loquendi rationem antiquiſſimi quique, atque doctiſſimi ita frequentarunt, ut nihil magis, & hoc ipſo in libro tritam quam ſæpiſſime vidimus ab Hieronymo (§. 5. 38. 135. &c.), adhibitam a Tertulliano (§. 24.), adhibitam a Paulino (§. 41.), adhibitam ab Juliano (§. 66.), Germano (§. 67.), Huguccione (§. 74.), Pio II. Romano Pontifice (§. 109.).

137. Sed cum duo maxime verear, alterum, ne longiori oratione legentibus faceſſam moleſtiam, alterum, ne perſpicuitas argumentatione elevetur (quid enim eſt in hoc argumento, quod defenſionis indigeat? Qui locus ingenium Theologi requirit, aut oratoris eloquentiam magnopere deſiderat?), dicendum potius exiſtimo, quæ tandem res viam nobis in cœlum, aditumque intercluſerit. Eſt autem ſine dubio commune hominum peccatum, ſive nativa, & hæreditaria culpæ labes, cujus ab auctore generis noſtri in omnem poſteritatem redundavit infamia. Cum enim Adamus a Dei obedientia deſciviſſet, interdictumque violaſſet illud: *ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* (a), repente ex altiſſimo dignitatis gradu ita concidit, ut ſanctitatem, atque innocentiam, qua præditus erat, amiſerit, & reliqua ſubierit mala, quæ non minus Theologorum præceptis, quam uſu ipſo, & quotidiana rerum experientia cognoſcuntur. Peccatum igitur, & peccati pœna in uno illo non conſtitit, ſed ex Adamo, tanquam ex ſemine, & cauſſa in omnem poſteritatem jure permanavit. Pœna peccato debita fuit, ut ejiceremur a Dei conſpectu quam longiſſime, nec, oppetita morte, in cœlum, tanquam in patriam, remigrare poſſemus. Hinc Adamus, ejuſque filii ab illo voluptatis, ac deliciarum horto expulſi, ac deturbati ſumus, collocatuſque præ foribus Angelus, qui flammeo ſtricto gladio humanum genus a Paradiſi aditu, atque veſtibulo prohiberet. Quæ ſane res deſignabat, nemini cœli portas patere, neminem in bonorum cœleſtium poſſeſſionem poſt diſceſſum

(a) Gen. cap. 2. ver. 16., & 17.

ſum a corpore poſſe involare. Hæc igitur propter peccatum inflicta hominibus pœna eſt; pœnam autem peccato debitam dependit in cruce Chriſtus, qui, aſſumpta carnis noſtræ imbecillitate, infinitam ſuſtulit ejuſdem peccati vim (*a*), & *delens*, *quod adverſum nos erat*, *chirographum decreti*, *quod erat contrarium nobis* (*b*), reconciliavit nos Deo in ſanguine ſuo (*c*); ante igitur, quam pœnas lueret, ſeque unum pro ſalute omnium offerret, nec migrare in cœlum, neque adire, aut intueri Deum potuimus.

138. Scio equidem, quo te vertes, quo oculos, atque animum referes. Antequam idem Chriſtus noſtræ Patri ſalutis morte pretium ſolveret, hominibus, inquies, condonabantur culpæ, & flagitia, collatáque præterea gratia eſt, qua & placerent Deo, & ſalutares poſſent ſuſcipere, ederéque actiones: quare & cœleſtis vitæ præmia deferri piorum animis potuerunt vi ſanguinis, etſi nondum effuſi, a Chriſto tamen præſtituta die effundendi. Nam ut beatitudo, ac ſalus, ſic gratia, acquirendæ ſalutis inſtrumentum, ejuſdem ſanguine hominibus parta eſt. Accedit, quod æterna Angelorum felicitas ſalutari etiam Chriſti morti, & meritis accepta referri debet; eam tamen adepti ipſi ſunt, injeruntque jam inde a principio, longò ſcilicet ante intervallo, quam Chriſtus ſublatus in crucem pretium ſalutis noſtræ, felicitatiſque Angelorum Deo Patri perſolveret. Et putabimus, cum hominibus aliter actum fuiſſe? Erimuſque tam duri, ac ſeveri judices, ut viros ſanctiſſimos, quos Deus ipſe, cum viverent, in deliciis, atque in amoribus habuit, ab illius conſpectu tam longo tempore arceamus? Præſertim cum Dei Filius ea nos charitate complexus ſit, ut ad noſtram potius, quam Angelorum naturam majeſtatem, numenque ſuum demiſerit, quin confundatur vocare nos fratres (*d*)?

139. Sed hæc quo majore conatu, ſtudioque aguntur, eo leviora, infirmioraque exiſtimo. Non enim, quemadmodum creditur, omnia ſunt in eloquentia. Eſt quædam identidem ita perſpicua veritas, ut eam debilitare nulla res poſſit. Veteres certe, quorum in hac cauſſa Cadonicus vereri, & ſequi auctoritatem ſe dicit, quod in priori argumento poſitum eſt, optime omnium ſciebant. Nunc autem Irenæus

 (§.22.)

(*a*) Joan. cap. 1. ver. 29. (*b*) Ad Coloſ. cap. 2. ver. 14.
(*c*) Ad Rom. cap. 5. ver. 10. (*d*) Ad Hebr. cap. 2. ver. 11.

(§. 22.), Origenes (§. 28.), Paulinus (§. 41.), Hieronymus (*a*), Lucidus, Arelatenſiumque Patrum concilium (§. 43. & not. 9.), tum Gennadius (ibid.), Gregorius Magnus (§. 5.), Dorotheus (§. 54.), ſcriptor carminis adverſus Marcionem (§. 58.), Alcuinus (§. 67.), Rabbanus Maurus (ibid.), Remigius (§. 70.), & alii multitudine propemodum infiniti non aliam eſſe cauſſam voluerunt, cur piorum animi in Dei conſpectum venire non poſſent, præter labem illam hæreditariam, cujus pœnam necdum Chriſtus perſolverat. Abiit in eandem ſententiam Eccleſia. Romani enim Catechiſmi auctores, quo loco inquirunt in cauſſas, quamobrem is ad Inferos ſe contulerit, *verum*, inquiunt, *ut hujus myſterii vim melius intelligamus, ſæpe illud memoria repetere debemus, pios homines, non ſolum qui poſt adventum Domini in lucem editi erant, ſed qui illum poſt Adamum anteceſſerant, vel qui utique ad finem ſæculi futuri ſunt, ejus paſſionis beneficio ſalutem conſecutos eſſe. Quamobrem antequam ille moreretur, ac reſurgeret, cœli portæ nemini unquam patuerunt, ſed piorum animæ, cum e vivis exceſſiſſent, vel in ſinum Abrahæ deferebantur, vel, quod etiam nunc iis contingit, quibus aliquid diluendum, & perſolvendum eſt, Purgatorii igne expiabantur* (*b*). Quæ cum ita ſe habeant, ſic tibi, Joannes Cadonice, perſuaſum maxime cupio, multum omnino inter gratiam, æternamque hominum felicitatem differre. Illis ignoſci debuit, quidquid peccaverant, divinæque gratiæ adjumentum, ac munus tribui, propterea quod eſt ea ad ſalutis adeptionem plane neceſſaria; beatitudo vero, &, quæ hujus effectrix eſt, Dei viſio differri ad præſtitutum tempus potuit ſine ullo ſalutis detrimento, ac periculo.

140. Quod enim de Angelis in argumentatione ſubjicitur, dupliciter refelli poſſet. Nam principio qui ſe Auguſtini diſcipulos profitentur, ii negant, beatarum illarum mentium felicitatem Chriſti morti, ac ſanguini acceptam referri oportere; itáque creatoris, non redemptoris Dei (propria enim Scholæ vocabula ſubmovere non audeo) ſtatuunt eſſe beneficium. Sed nolo ego cujuſquam in me invidiam loco, & tempore non neceſſariis cogitare. Sentiant, per me licet, Theologi, quod magis placuerit, quod propius ad veritatem videatur accedere. Nam quocumque tandem ex fonte Angelo-

(*a*) In Nepot. Epitaph. & alibi paſſim. (*b*) Part. 1. cap. 6. num. 6.

gelorum gratiam, ac beatitudinem repetas, illud ego unum reſpondeo, de quo inter omnes convenire oporteat, permultum hic quoque homines inter, & Angelos intereſſe. Etſi enim ex his plurimi a Deo parente, & procreatore ſuo defecerint, & idcirco ex altiſſimis illis ſedibus deturbati, atque in obſcuriſſimum terræ carcerem incluſi æternas ſuperbiæ ſuæ pœnas luant, peccatum tamen in illis conſtitit, non manavit ad reliquos, ut propterea nihil cauſſæ ſit, cur ſempiternam horum felicitatem differendam putemus. Sed alia hominum ratio eſt. Admiſſum enim ab auctore generis noſtri flagitium ſerpſit, ac pervaſit in poſteros, ejuſque turpitudo, & fœditas omnium animos inquinavit. Quare antequam Dei Filius tam miſeram, funeſtamque labem ſua morte expiaret, pœnas nempe ei peccato debitas ſolveret, indigniſſimi fuimus, qui de vita egreſſi adiremus Deum, atque ejus numine, & præſentia, tanquam familiares, & intimi, frueremur. Obiit Chriſtus, peccatum de medio ſuſtulit, Deumque e veſtigio conſpeximus.

141. Cauſſam hinc, acute ſi cogites, vides, cur ſemper optimus quiſque Hebræorum Meſſiæ in has oras adventum tam acri, atque inflammato ſtudio exſpectarit. Nempe intelligebant Judæi, probeque noverant, piorum animos, poſtquam migraſſent e vita, in Dei conſpectum admitti non poſſe, neque æternæ eſſe felicitatis participes, antequam is demitteretur e cœlo, ſe ſeque nobis oſtenderet. Quapropter Deus ipſe in multis hominibus, quibus voluit ſingularem benevolentiam præſtare, jam inde a Mundi initio maximam illius exſpectationem commovit; Judæorum vero republica, & religione conſtituta, & mutæ res ſignificarunt, & viri boni, divinoque ſpiritu afflati prædixerunt, quæ, & quanta nobis bona, utilitates, & commoda allaturus eſſet Meſſias. Itaque Patriarchæ, Prophetæ, piique cæteri, qui eſſent de ſalute ſolliciti, Liberatorem, ducemque ſuum in omni vita inquirere, ac præſtolari, paſſim clamare, gemere, contendere precibus, orare, atque obteſtari Deum, ut ne diutius illius miſſionem differret. Quod multis divinarum litterarum locis comprobatur. Hinc enim illæ morientis Jacobi voces: *Salutare tuum exſpectabo Domine* [35], &, *veniet deſiderium collium*

35 De hoc teſtimonio Paulinus, Mediolanenſis Sacerdos, in eo de Benedictionibus Patriarcharum libello, quem, ut diximus (§.41.), in lucem

*lium æternorum* [36]. Hinc Moſis petitio, *mitte*, *Domine*, *quem miſſurus es* [37]. Hinc deſiderium, precatioque Davidis: *oſtende nobis*, *Domine*, *miſericordiam tuam*, *&* *ſalutare tuum da nobis* (*a*). Hinc Sponſæ in Canticis ſtudium: *circuivi vicos*, *&* *plateas*, *quæſivi*, *quem diligit anima mea* (*b*). Hinc etiam Iſaias: *rorate cæli deſuper*, *&* *nubes pluant juſtum*, *ape-*

cem edidit, lectiſſimiſque illuminavit notis Aloyſius Mingarellius, hæc egregie commentatur. *Ne quis porro pro miraculorum tanta ſublimitate Antichriſtum pro Deo putaret colendum*, *addidit*: ſalutare tuum exſpectabo Domine; *quaſi diceret*: *licet Antichriſtus multis miraculorum fulgeat inſignibus*, *mihi tamen ſalutare tuum*, *quod Hebraice dicitur Jeſus*, *exſpectandus eſt*, *ut veniens hujus potentiam æterna proterat animadverſione*, *&* *me inter fideles ſuos reperiens* (attendat diligenter, quæ ſequuntur verba, Cadonicus) *beata donet manſione*. Cap. 6. num. 36. Atque his plane ſimilia ſcripſit Gregorius Magnus lib. 31. Moral. cap. 24. num. 43. edit. Maur. *Quia Judæa*, inquit, *erroris ſui laqueis capta*, *pro Chriſto Antichriſtum exſpectat*, *bene Jacob eodem loco repente in electorum voce converſus eſt dicens*: ſalutare tuum exſpectabo Domine; *ideſt*, *non ſicut Infideles Antichriſtum*, *ſed eum*, *qui in redemptionem noſtram venturus eſt*, *verum credo fideliter Chriſtum*. Quem locum, addit Mingarellius (not. 69. in Paul.), exſcribit Iſidorus Hiſpalenſis. Noſtra igitur diſputandi ratio Cadonico probari debet. Nam quæ docemus, atque ſtatuimus, ea identidem aureis graviſſimorum Patrum teſtimoniis roboramus; in Patrum autem auctoritate ſua ſtudia niti, crebro noſter pronunciat.

36 Gen. cap. 49. ver. 18. & 26. *Hic nihil hiſtoricum*, *ſed totum reſonat divinum*. *Tamdiu namque his prænunciat populum Iſraeliticum ſuſtentandum benedictionibus*, *donec deſiderium collium æternorum veniret*. *Colles namque Sancti intelliguntur in Eccleſia conſtituti*, *qui quamquam merito virtutum præcellant*, *tamen ex devotiſſima humilitate colles ſe eſſe meminerunt*. *Unde pſalmus*: ſuſcipiant montes pacem populo, & colles juſtitiam. *Deſiderium namque illorum*, *Domini Jeſu conſtat fuiſſe ſemper adventum*. *Unde primus Moyſes*: obſecro, Domine, mitte, quem miſſurus es. *Et beatus Simeon*, accepit reſponſum a Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini. *Qui æterni colles dicuntur*, *quia videlicet ad æternitatem a Deo creati noſcuntur*. *Non enim*, *ſicut ſtultorum*, *eorum mutatur in diverſa intentio*; *ſed ſemper ad æternitatem tendentes*, *&* *æterno inhærentes*, *ipſi etiam ab eo æternitatis mutuaverunt nomen*. Paulinus ibid. cap. 10. num. 57.

37 Exod. cap. 4. ver. 13. Hic enim Moſem precari a Deo, ut humani generis Liberatorem, cui *miſſi* nomen ſæpenumero divinæ litteræ tribuunt, demittat e cœlo, arbitrati ſunt majorum veluti gentium Patres, Juſtinus, Tertullianus, Cyprianus, Euſebius adverſus Judæos diſputantes; quibus Patribus & Paulinum Mediolanenſem adnumerandum eſſe, ex proxime ſuperiore nota intelligimus. Eſt autem ea interpretatio & veri ſimillima, & ad Moſis conſilia valde accomodata, quidquid tandem exiſtimaverit Eugubinus, nimis audacter, ait Cornelius a Lapide, tantis Patribus obſtrepens.

(*a*) Pſal. 48. ver. 7. (*b*) Cap. 3. ver. 8.

*aperiatur terra, & germinet Salvatorem* (*a*), & vehementius alio loco, *utinam dirumperes cœlos, & deſcenderes* (*b*); præterea Habacuc: *ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo* (*c*), tum Aggæus, *& veniet deſideratus cunctis gentibus* (*d*), ac poſtremo Daniel de Meſſiæ adventu ita laborabat, tantaque illum contentione animi præſtolabatur, ut propterea vir deſideriorum diceretur (*e*). Quin etiam Sibylla Cumana apud Virgilium ſic canit, geſtit que ad Chriſti ortum lætitia:

*Ultima Cumæi venit jam carminis ætas:*
*Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo.*
*Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna,*
*Jam nova progenies cœlo demittitur alto,*
*Chara Deum ſoboles, magnum Jovis incrementum.*
*Aſpice, venturo lætentur ut omnia ſæclo.* [38].

142. Quid igitur? Nonne tanta videndi Meſſiæ cupiditas, atque exſpectatio, tam vehementes, & aſſiduæ Hebræorum preces loquuntur ipſæ per ſe, homines de vita egreſſos nondum æternæ beatitudinis, atque hæreditatis inire poſſeſſionem potuiſſe? Fac enim, ſtatim ab obitu pii inierint, verſanteſque cum Deo omni bonorum copia abundaverint: cauſſam amplius nullam reperies, cur tanto Liberatoris divini deſiderio arderent, efferrenturque tam incredibili ſtudio. Neque vero adeo rerum omnium ignarus ſum, ut neſciam, alias fuiſſe cauſſas, quæ magnam illius exſpectationem in bonorum præſertim animis facerent. Exſpectabatur, quia cœleſtis gratiæ

(*a*) Cap. 43. ver. 8.
(*b*) Cap. 64. ver. 1.
(*c*) Cap. 3. ver. 18.
(*d*) Agg. cap. 2. ver. 8.
(*e*) Cap. 9. ver. 23.

38 Eclog. 4. Scio, de carminibus Sibyllarum magnam eſſe inter doctos, multiſque obſtructam difficultatibus quæſtionem. Sed nullus dubito, quin apud Ethnicos veterum Sibyllarum carmina extiterint, in quibus de Chriſto, aut humani generis conſervatore ageretur, quemadmodum etiam Gullielmus Beveregius (Cod. canon. illuſtr. cap. 14. §. 10.), Humphredus Prideauxius (Hiſt. Judæor. lib. 9.), Radulphus Cudworthus (Syſtem. Intell. cap. 4. §. 16.), Iſaacus Voſſius (De Sibyll. orac. cap. 4.) ſentiunt. Et vero in carmine Sibyllæ Cumanæ prophetiam fuiſſe de renovandis propediem, reſtituendiſque rebus humanis, ipſe hic Virgilii locus, quem alio deinde Latini traxerunt, extra omnem controverſiam ponit. Quo fit, ut Sibylla Cumana non obſcure vaticinata ſit, quæ ad Chriſtum conveniunt. Neque enim repugnat, divinum eundem ſpiritum, qui Hebræos Prophetas afflabat, atque incitabat, veritatis teſtes apud profanos etiam populos excitaſſe.

tiæ vis futura erat uberior, exſpectabatur, ut plura, & faciliora haberemus parandæ ſalutis præſidia, exſpectabatur, ut nobis recte, ſancteque vivendi præcepta daret, & maximarum exempla virtutum ad imitandum relinqueret, exſpectabatur denique, ut populos a ſuperſtitione, & erroribus abductos ad veritatem, Deique cognitionem, & cultum revocaret. Nihil ego aſtute diſſimulo; his atque aliis cauſſis movebantur Judæi, illi potiſſimum, qui cæteros ſanctitate vitæ anteirent. Nihilominus ſi fingas, piorum animos ſua Deum beaſſe, lætificaſséque præſentia, non fuit omnino, non fuit, cur Meſſiam tam cupide exſpectarent, nec exſpectarent ſolum, ſed depoſcerent, importunéque, ut ita dicam, inſiſterent. Languet tunc Hebræorum deſiderium, ceſſat voluntatum contentio, torpent propemodum, & jacere videntur obſecrationes, & preces. Equidem ardentiore id ſtudio ſolemus petere, quo maxime indigemus: nunc autem, etſi nobiſcum commodius agatur, & præclarius, non deerat tamen Judæis aut divinæ gratiæ adjumentum, aut morum emendatrix lex, aut præclariſſimarum virtutum, & antiquitatis exempla, aut denique opportuna, ac neceſſaria ad ſalutis adeptionem præſidia. Itaque ſi Meſſiam nihilominus omni animi ſtudio exoptabant, atque præſtolabantur, ea in primis præſtolabantur de cauſſa, quod ante illius adventum adire, atque intueri Deum non poterant. Cujus rei non obſcuro argumento ſunt ipſæ Jacobi, Davidis, & Habacuc voces (§. 141.), quemadmodum etiam, Mediolanenſis Sacerdos, Paulinus appoſite demonſtravit (not. 35.). Nam ſi ſanctorum, quos dixi, hominum ſententiæ, attente expendantur, maximo illi Meſſiæ deſiderio idcirco flagraſſe videntur, atque exarſiſſe, ut vitam ſibi, ac ſalutem, cœleſtemque, ad quam nitebantur, felicitatem tribueret. Multo minus, ſi pertinaciam velis ſeponere, negari poteſt, quin aliquid Hebræi expeterent, quod ad ſe pertineret, ſibíque utilitatem afferret; ea vero re, dum viverent, perfrui, ac potiri non poterant, ideo quia magna illorum pars, & antiquiores præſertim, ſine dubio noverant, Meſſiam, ſe vivis, oriturum non fore; expetebant igitur neſcio quid, & quærebant, quo ipſis poſt mortem frui per Meſſiam liceret; atque adeo de beatitudine laborabant. En, quid ſumma illa exſpectatio, tamque incredibilis animorum ardor ſignificet.

143. Quam

143. Quam in rem Eccleſiæ etiam ſtudia, preceſque conſentiunt. Hæc enim, quam inflammato divini Liberatoris deſiderio Synagoga teneretur, & quanta precum contentione cum Deo ageret, ut is ad nos ſe tandem conferret, luculenter declarat, & ob oculos ponit in notiſſimis illis Antiphonis O vulgo dictis, quas totis ſeptem, & perpetuis diebus natale Chriſti antecedentibus, ad veſperam recitamus. Nam Eccleſia præteritum tempus reſpiciens, quo nondum ſervator ipſe humani generis in lucem editus fuerat, eum magnopere orat, & obſecrat, ne adventum ſuum diutius differat, ſed quam citiſſime veniat, homineſque a poteſtate crudeliſſimorum hoſtium redimat, in libertatemque reſtituat. Sic enim 18. Decembris die. *O Adonai, o dux domus Iſrael, qui Moyſi in igne flammæ rubi apparuiſti, & ei in Sina legem dediſti: veni ad redimendum nos in brachio extenſo*. Et die 20. *O clavis David, o ſceptrum domus Iſrael, qui aperis, & nemo claudit, claudis, & nemo aperit: veni, & educ vinctum de domo carceris, ſedentem in tenebris, & umbra mortis*. Iterum die 22. *O Rex gentium, & deſideratus earum, lapiſque angularis, qui facis utraque unum, veni, & ſalva hominem, quem de limo formaſti*. Quamquam tota precandi ratio, qua Sacerdotes Adventus tempore utimur, manifeſte demonſtrat, & maximam apud Hebræos Meſſiæ exſpectationem concitatam fuiſſe, & eandem ex hoc ductam eſſe, quod mortuorum animi jucundiſſimo Dei conſpectu, ex quo liquida felicitas gignitur, privarentur. Quapropter plura non adjiciam, præſertim, quia ſi unquam Tullianæ hujus ſententiæ, argumentatione interdum perſpicuitatem, & rationum vim elevari, expertus veritatem ſum, id ego hoc certe loco intellexi, & mecum, ut ſpero, cognoſcent omnes, qui ſe colligent, animumque abducentes a ſenſibus de tam inflammato, ac ſingulari Judæorum deſiderio, & ſtudio ſecum tacite judicabunt. Satis ergo ſint, quæ ſuperiore §. animadvertimus, & ne commemoremus quidem vel de ſene optimo, atque religioſiſſimo Simeone, qui apud Lucam *erat exſpectans conſolationem Iſrael* (*a*), vel de Anna, quæ de Chriſto puero verba faciebat cum *omnibus, qui exſpectabant redemptionem Iſrael* (*b*).

144. Poſtremam nunc, qua adverſus Cadonicum pugnan-

A a

(*a*) Cap. 2. ver. 25. (*b*) Ibid. ver. 38.

gnandum eſſe cenſeo, rationem exponam. Ea autem ex veneratione, & cultu petitur, quem ſpectatæ, & cognitæ ſanctitatis hominibus, in cœlum receptis, Deumque videntibus adhibemus. Hos enim idcirco precari, venerari, atque implorare ſolemus, quia Deum coram dum vident, præſentemque intuentur, in eo etiam, veluti in ſpeculo, preces noſtras cognoſcunt, & quibus maxime rebus egeamus, intelligunt. Jam vero piis, antequam Dei Filius migraſſet ad Inferos, preces ejuſmodi non fiebant; Deum igitur ne videbant quidem, ſed adhuc ab ejus aditu, conſpectuque arcebantur. Non nego, piorum animos generatim ſaltem, atque univerſe pro humani generis ſalute, pro Eccleſia, pro amicis, proximis, filiis, quos in vita cognoverant, orare, atque obſecrare Deum potuiſſe. Immo quod eſt in divinis litteris: *dixit Dominus ad me, ſi ſteteris Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum* (*a*), non obſcure ſignificat, Moſem, & Samuelem, etſi mortuos, conſueviſſe bene precari populo, roganteſque multa illi a Deo bonorum genera, beneficiáque impetraſſe. Id, quod apertius eo ſomnio comprobatur, quod fecit Judas Machabæus, enarravitque militibus jam jam in acie contra Nicanorem pugnaturis. Judas enim ſomniavit, *Oniam, qui fuerat ſummus Sacerdos ..... manus protendentem orare pro omni populo Judæorum: poſt hoc apparuiſſe & alium virum, ætate, & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum; reſpondentem vero Oniam dixiſſe; hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael: hic eſt, qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta civitate, Jeremias propheta Dei* (*b*). Conſtat autem ex hoc loco, apertiſſimeque perſpicitur, quod charitatis divina vis, quæ Jeremiam, dum viveret, adigebat ad preces, eadem ipſum egreſſum de vita permovit, atque incitavit, ut ſupplicaret Deo, ſalutemque populo, & Eccleſiæ, incolumitatem, pacem, otium denique precaretur. Cum tamen boni illi diſtincte, ac ſpeciatim non cognoſcerent, quæ in his terris gerebantur, ne ſpeciatim quidem pro ſuis preces facere poterant, atque adeo nec viciſſim vivi eorum opem, ac patrocinium implorare, vel certa, & conſtanti lege preces fundere, quæ ad ipſos proxime, & directo ſpectarent. Legimus propterea, priſcis illis temporibus interdum homines precatos fuiſſe Angelos, ut cum

ait

(*a*) Jerem. cap. 15. ver. 1. (*b*) Lib. 2. Machab. cap. ult.

ait Jacobus: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis* (a): legimus etiam eoſdem oraſſe Deum, ac petiiſſe, ut in memoriam redire vellet Patrum ſuorum, qui jam obierant, ut propter eorundem virtutes, ac merita juvarentur. In quam ſententiam dicebat Moſes: *recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael, ſervorum tuorum* (b), & Azarias in fornacem conjectus, *neque auferas miſericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſervum tuum, & Iſrael ſanctum tuum* (c). Legimus quoque, homines vivis hominibus ſupplicaſſe, ut preces Deo pro ſe, ſuiſque utilitatibus admoverent, quemadmodum factum ab Hebræis, qui ſe totos ad Samuelem convertentes, *ne ceſſes pro nobis*, dixerunt, *clamare ad Dominum Deum noſtrum* (d). Quod autem vivi mortuos directo oraverint, atque obſecraverint, ut patrocinium ſui ſuſciperent, preceſve pro ſe Deo facerent, id vero nuſquam gentium legimus, nec reperimus [39]. Reſtat igitur, quod toto hoc opere copioſiſſime, & manifeſte, ut opinor, docuimus (docuimus autem ex Patrum omnium teſtimoniis, ex conſtanti Theologorum conſenſione, ex ipſis Hebræorum ſententiis, ex judicio, & auctoritate Eccleſiæ, ex ſacrarum litterarum oraculis, ac tandem ex rationum momentis), piorum animis ante Chriſtum ex hominum vita egreſſis, ſua Deum ſe forma, quæ beatitudinem facit, non oſtendiſſe. Idcirco enim eſt nunc in more poſitum, inſtitutoque Eccleſiæ, ut viros ſanctos precemur, ſuppliciterque imploremus, quia Deum, cui amiciſſimi ſunt, coram vident, intuentur, perſpiciunt.

(a) Gen. cap. 48. ver. 16. (b) Exod. cap. 32. ver. 13.
(c) Daniel. cap. 3. ver. 35. (d) Lib. 1. Reg. cap. 7. ver. 8.

39 Nec tamen ſequitur, a ſanctis virtute hominibus auxilium petere non licere. Ex ipſis enim, quæ hactenus protuli, veteris Teſtamenti oraculis perſpicue intelligitur, fas eſſe, ac perutile eis preces facere, ac ſupplicare. Adeatur Bellarminus lib. 2. de SS. beatit. cap. 3. Quæ res conſtat etiam cum ex aliis locis luculenter, tum vero ex his apud Jobum verbis: *voca ergo, ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere*. Cap. 5. ver. 1. Sed vide Calmetii Commentarios, & quæ Henricus a Porta biennio ante de hujus loci vi adverſus Theodoricum Hackſpanium, Lutherianum, ut dixi, hominem, fuſius diſputavit.

# CAPUT XII.

*Piorum animos, etſi olim Deum non cernerent, non omni tamen felicitate, neque ſolatiis caruiſſe; eaque in re, præter antiquos, B. Thomam mirabiliter conſentire. Felicitatem vero piorum, & ſolatia ex variis cauſſis manaſſe, cum primiſque ex certa videndi Dei ſpe, ex ſtabili, & jucundiſſima cum ipſo Deo amicitia, ex bene actæ vitæ conſcientia, ex reliquorum piorum ſocietate, & cœtu, ex Angelorum conſpectu, ex vitæ hujus, quarum immunitatem habebant, miſeriis. Bona tamen, quibus in hac vita fruimur, longe plura eſſe, quam mala. De pœna, quæ damni eſt, ejuſque acerbitate, & natura. Diluitur hinc deſumptum argumentum Cadonici, & Lamii. Quæ fuerit Henrici Vici de eadem damni pœna ſententia.*

145. NOlim me tamen Joannes Cadonicus, quaſi duriorem, & acerbe difficilem judicem reprehendat. Nam ut in judicando ſeverus videar, ſcio nihilominus loco, & tempore ſeveritatis partes cum ſumma comitate conjungere. Quamvis enim piis, qui in illas olim Abrahami ſedes diſceſſerant, ſuaviſſimum Dei conſpectum eripiam, ut lætentur tamen, compluribuſque ut utantur ſolatiis, concedo. Moveor autem divina Lucæ auctoritate, apud quem Abrahamus divitis voluptarii petitioni reſpondens, *fili*, ait, *recordare*, *quia recepiſti bona in vita tua*, *& Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur*, *tu vero cruciaris* (*a*). Erat autem Lazarus cum piis reliquis; pii ergo, etſi Deum non cernerent, neque ejus ſe ſe oblectarent præſentia, in ſinu tamen, complexuque Abrahæ, ut illis temporibus, lætabantur, ſuaque habebant communis, qua tenebantur, vel pœnæ, vel calamitatis ſolatia.

146. Nec ad rem comprobandam antiquorum opus eſt teſtimoniis. Quando enim præſto ſunt divinarum litterarum oracula, atque hæc dubitationem non habent, cur me diutius defatigem, vel frangam laboribus? Sed ne hoc quidem loco committam, ut rationem ſummi officii deſideres, meamve,

ſi Pa-

(*a*) Cap. 16. ver. 25.

Digitized by Google

ſi Patres fortaſſe audire aves, requiras induſtriam. De multis paucos ſaltem in concionem vocabo, primumque omnium, amores, & delicias meas, Hieronymum, qui in eis litteris, quibus Juliani, viri præſertim divitis, ſed multis afflicti incommodis, conſolatur dolorem, *Lazarus pauper*, inquit, *& ulceribus plenus, cujus carnes putridas lambebant canes, & vix micis menſæ locupletis miſeram ſuſtentabat animam, in ſinu Abrahæ recipitur, & tanto Patriarcha parente lætatur*. Hilarii, quem ſuorum Confeſſorem temporum in epiſtola ad Magnum, oratorem Romanum, idem Hieronymus appellavit, concordat, atque conſentit judicium. Ut enim cæteras, quæ ex lectione magna mihi ſe copia offerunt, auctoritates prætercam, expoſit. in Pſal. 118. litt. 18. num. 10. de noſtro illo ſic ſtatuit: *æterna Dei teſtimonia Lazarus pauper exſpectans, & Abrahæ ſinu continetur, & miſeriam vitæ laborioſæ beatæ quietis honore demutat*. Et Ambroſius, Mediolanenſis Antiſtes, totum Chriſti de eodem Lazaro, & divite explicaturus ſermonem, his verbis exorſus eſt dicere: *narratio magis, quam parabola videtur, quando etiam nomen exprimitur. Non otioſe autem hic divitem Dominus perfunctum deliciis ſæcularibus in perpetuæ famis apud Inferos conſtitutum ſignificavit ærumna..... Lazarum vero in Abrahæ gremio, quaſi in quodam ſinu quietis, & ſanctitatis receſſu, locavit: ne illecti præſentium voluptate maneamus in vitiis, vel tædio victi laborum dura fugiamus* (*a*). Eſt in eadem ſententia, Græcæ lumen, & firmamentum Eccleſiæ, Joannes Chryſoſtomus. Nam in concione 2. de Lazaro num. 1. *vidiſtis illum in veſtibulo divitis*, clamat, *videte eundem hominem in ſinu Abrahæ, vidiſtis illum, cum a canibus circumlingeretur, videte eundem ab Angelis ſtipatum: vidiſtis illum tum in paupertate, videte nunc eundem in deliciis, vidiſtis illum in fame, videte in multa rerum affluentia, vidiſtis illum certantem, videte coronatum, vidiſtis labores, videte præmium, quotquot eſtis vel divites, vel pauperes* (*b*). Itaque & divina Lucæ auctoritate (§. 145.), & perſpicuis Patrum teſtimoniis inducti fateamur, neceſſe eſt, pios in ſinu Abrahæ habitantes, etſi Dei non fruerentur præſentia, multis tamen adjumentis, atque ſolatiis ſublevatos fuiſſe. Ab his autem initiis Theologorum noſtrorum manavit opinio, qui aliquam eiſdem piis felicitatis partem

tem

(*a*) Lib. 7. in Luc. num. 13. Tom. 2. ed. Maur. (*b*) Tom. 1. ed. Montf.

tem, nedum quietem, & tranquillitatem vitæ, libentiſſime impertiunt.

147. Quibus vero ex cauſſis, vel fontibus, hæc bonorum felicitas, atque anteactæ vitæ ſolatia, voluptateſque humaniſſimæ peterentur, paullo nunc a me accuratius, quam hactenus factum ſit, enucleandum puto. Ac primum magnam illis ſuppeditabat oblectationis, & gaudii copiam firma omnino, ac ſtabilis ſpes Dei aliquando tandem videndi, & perfruendi. Eſt enim ſpes nihil aliud, quam gaudium ex opinione venturi boni conceptum: quo fit, ut cum pii in certam veniſſent ſpem, ſummum ſe, atque infinitum bonum eſſe adepturos, non potuerit ea res non magnum omnibus afferre, & ſingulare ſolatium. Profecto ſi in his etiam terris, ubi non cives ſumus, ſed advenæ (*a*), ſpe beati a Paulo rectiſſime dicimur, modo *abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria ſobrie, & juſte, & pie vivamus, exſpectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei* (*b*), quanto eos feliciores fuiſſe, ac lætiores exiſtimandum eſt, qui cum in gremio, conſpectuque Abrahæ acquieſcerent, & in peccata labi deinceps non poſſent, nullo, ne leviſſimo quidem, amittendi Dei metu angebantur? Id probe intellexit, qua fuit ſagacitate, altitudinéque ingenii, B. Thomas Aquinas, ac propterea difficiliorem quendam, quem ſibi objecerat, Auguſtini locum interpretans, *ſolvit*, inquit, parens, ac Deus noſter *eorum dolorem, quem patiebantur ex dilatione gloriæ. Ex cujus tamen ſpe magnum gaudium habebant ſecundum illud Joan. 8. Abraham, pater veſter, exultavit, ut videret diem meum* (*c*). Quo ex teſtimonio, cui tenebras offundere nullas potes, non ſolum efficitur id, quod mihi hoc capite docere propoſui, ſed compertum etiam, liquidoque exploratum eſt, eximia illum auctoritate doctorem, quod fidenter negavit Cadonicus (*d*), idem prorſus ſentire, ac Theologos reliquos, qui, confitente adverſario, bonorum animis penes Abrahamum commorantibus non modo vitam quietis, & tranquillitatis pleniſſimam tribuunt, ſed etiam partem quandam felicitatis.

148. Jam ad gaudium ductum ex ſpe accedebat ſtatus, quem dicimus, gratiæ, in quo animi verſabantur, oblectationis item fons, jucunditatiſque perpetuus. Cum enim piorum fami-

(*a*) Epiſt. 1. Petr. cap. 2. ver. 11. (*b*) Epiſt. ad Tit. cap. 2. ver. 13.
(*c*) 3. par. quæſt. 72. art. 5. ad 1. (*d*) V. ſupra cap. 8. §. 87—90.

familia gratiam iniiſſet a Deo, in ejuſque amicitiam recepta eſſet, atque hanc nullo unquam tempore aut diſſolvi, aut violari poſſe intelligeret, lætari eam ſingulariter, & geſtire gaudio oportuit. Nihil quippe accidere homini optatius poteſt, quam ſi Dei amore ſuaviſſime ardeat, viciſſimque ametur, ac diligatur a Deo, qua quidem in re tota conſiſtit vis amicitiæ. Eſt enim amicitia nihil aliud, niſi ſumma animorum, voluntatumque inter aliquos conſenſio, cum benevolentia, & charitate conjuncta, qua nihil melius, nec jucundius hominum generi a Deo immortali tributum eſt. Eam ob cauſſam apud Tullium Lælius Fannium, & Scævolam, quibuſcum de hoc argumento diſſeruit, etiam, atque etiam hortabatur, ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponerent. Nihil eſſe quippe dicebat tam naturæ aptum, tam conveniens ad res vel ſecundas, vel adverſas. Nec immerito. Nam ut ſecundas res facit amicitia ſplendidiores, ſic adverſas, leviores. Quis eſſet, amabo te, tantus fructus in proſperis, niſi haberes, qui illis æque, ac tu ipſe, gauderet? Quid dulcius, quam habere aliquem, quicum omnia ſic audeas loqui, ut tecum? Cui contra poteſt eſſe vitalis vita, ut ait Ennius, qui non in amici mutua benevolentia conquieſcat? Charitate enim, benevolentiaque ſublata, omnis eſt e vita ſublata jucunditas. Itaque plerique omnes ſic exiſtimant, atque conſtituunt, quoniam res humanæ fragiles, caducæque ſunt, continenterque mutantur, ſemper aliquos acquirendos eſſe, qui diligantur a nobis, charoſque viciſſim nos habeant, cum nihil ſit remuneratione benevolentiæ, nihil viciſſitudine ſtudiorum, officiorumque jucundius. Ac certe una in rebus humanis amicitia eſt, de cujus commodis, atque opportunitatibus omnes uno ore conſentiunt. Divitias deſpiciunt multi, quos parvo contentos tenuis victus, cultuſque delectat: honores, quorum cupiditate plurimos inflammari videas, alii ita contemnunt, ut nihil inanius, nihil levius eſse exiſtiment: itemque cætera, quæ quibuſdam admirabilia videntur, permulti ſunt, qui pro nihilo putent. At de amicitia omnes ad unum ſentiunt, ſine ea vitam eſſe nullam, ſi modo velint aliqua ex parte liberaliter vivere. Serpit enim neſcio quo modo per omnium vitam amicitia, nec ullam ætatis degendæ rationem patitur eſſe expertem ſui. Quin etiam ſi quis ea aſperitate eſt, & immanitate naturæ, congreſſus ut hominum fugiat, atque oderit, qualem

lem fuiſſe Athenis Timonem neſcio quem accepimus, tamen is pati non poſſit, ut non anquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis ſuæ. Sic natura ad aliquod tanquam adminiculum ſemper annititur: quod in amiciſſimo quoque dulciſſimum eſt. Unuſquiſque enim eorum, in quibus eadem ſtudia ſunt, eædemque voluntates, æque altero delectatur, ac ſeipſo: efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus. Atque hæc placuit de amicitia, qua fit, ut mutuo inter ſe homines diligant, breviter diſputare (*a*); hinc ut omnes poſſent perſpicere, quibus uti ſolatiis, qua gaudii voluptate perfuſos illos eſſe oporteret, qui emiſſi ex his corporis vinculis in ſinum, complexumque Abrahæ pervenerant. Nam ſi mutua inter homines amicitia, atque benevolentia tantum habet oblectationis, & commodi, quid de beata illorum vita dicendum eſt, quos ſuaviſſima charitatis vis conjungebat cum Deo, ſic, ut ipſi ſe chariſſimos eſſe, in oculiſque intelligerent, nec amor ulla poſſet diuturnitate temporis aut imminui, aut interire?

149. Novam etiam, atque uberrimam lætandi cauſſam afferebat ipſum conſcientiæ pondus, & vox. De cujus lætitiæ magnitudine, & natura illi facilius, atque optime omnium judicabunt, qui ſe aliquando nullius culpæ fœditate contaminatos fuiſſe meminerint. Profani ipſi homines, quorum tenebris fides lucem non attulit, & agnoverunt, & ſcripto etiam quam ſæpiſſime prodiderunt, magnam eſſe conſcientiæ vim in utramque partem, ut & timeant, atque intime angantur, qui peccarint, & gaudeant, qui nihil commiſerint. Si quid gravius deliquerint homines, ſi quid impie, ſcelerateque fecerint, agitantur, ac perterrentur furiarum quaſi tœdis ardentibus, turpitudóque, & memoria admiſsi ſceleris eo uſque permanat ad animum, ut ſummus mœror, atque triſtitia conſequatur. Omnino igitur ſic ſe res habet: ſua quemque fraus, & ſuus terror maxime vexat, ſuum quemque flagitium agitat, ac maleficium cruciat, ſuæ pravæ cogitationes, conſcientiæque animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ, ac domeſticæ furiæ, quæ dies noctesque eos ſtimulant, neque conſiſtere uſquam patiuntur. At qui nec divina, nec humana jura violaverunt, aut ſi qua in re paullo gravius peccaverint, conceptam tamen maculam eluerunt, atque expiarunt, ii vel hoc uno animi judi-

(*a*) Ex Cicer. lib. de Amicit.

judicio mirifice eriguntur, ac recreantur, habentque in maximis etiam doloribus, & calamitatibus, quo ſe conſolentur, & quiete non ſolum, ſed hilariter vivant. Nam, quod ait poeta Horatius, in felicitatis loco ponendum eſt

*Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa,*

niſi ſi de beatæ vitæ ratione ineptiſſime judicemus. Ex hac enim innocentiæ, atque integritatis conſcientia, gaudium verum, & immutabile proficiſcitur, perpetua, & conſtans tranquillitas, pax denique animi, & magnitudo. Nam ut maris tranquillitas intelligitur, nulla ne minima quidem aura fluctus commovente, ſic animorum quietus, & beatus ſtatus cernitur, cum perturbatio nulla eſt, qua moveri queant, nec eoſdem admiſſi ſceleris recordatio, aut metus, ægritudineſque conficiunt. Itaque etſi piorum animi jucundiſſimo Dei adſpectu, antequam Filius immigraſſet ad Inferos, privarentur, in ſinu tamen, gremioque Abrahæ lætabantur. Nam quoniam divino lumine colluſtrati omni ſe vacare culpa probe intelligebant, vacare vero culpa magnum ſolatium eſt, ſequitur, bene hinc illis, feliciterque eveniſſe.

150. Quæ res ex media etiam Theologia aptius ad id, quod agimus, probari poteſt. Nam impios in teterrimum illum Inferorum carcerem conjectos perpetuo angit, & cruciat male anteactæ vitæ conſcientia. Tanta vero ea pœna eſt, ut quaſi morſu intolerabilem dolorem efficiat, ac vermis nomine in ſacris litteris, & a Patribus deſignetur. Quare Iſaias *vermis eorum*, inquit, *non morietur, & ignis eorum non extinguetur* (*a*), & Marcus, ut omittam reliqua, *bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur* (*b*). In quem locum hæc ſcripſit Victor Antiochenus, qui quinto ineunte ſæculo floruit. *Omni ſupplicio gravius eſt immortalem illum vermem perpetuo citra ullam prorſus intermiſſionem devorantem, direque corrodentem circumferre. Deſignatur autem hoc vermis nomine impura, ſceleratque conſcientia. Siquidem una hæc animam peccatricem, nulliuſque boni ſibi conſciam inutilis pœnitentiæ aculeis, inſtar edacis vermis, pungit, & mordet.* Tribus autem ex cauſſis fluit pœnæ illius magnitudo, & acerbitas, ex ſcelerum, quæ admiſerunt memoria, ex fera, & inuti-

B b

(*a*) Cap. 66. ver. ult. (*b*) Cap. 9. ver. 42. & 43.

utili pœnitentia, ex deſpicientia denique, & contemptione virtutis; quas cauſſas in Sapientiæ libro extremo capite quarto, & initio capitis quinti luculenter expoſitas paucis poſtea enarravit Hieronymus. *Maximo dolore*, ait, *torquetur anima, cum in pœnis conſtituta jam ſero dolet, ſe tunc negligentem fuiſſe; quando per bona opera potuit ſubvenire. In Inferno enim Dæmonibus cruciata, infructuoſe peccata præterita declarat juxta illud, quod Scriptura teſte, impii in Inferno dicturi ſunt*: ergo erravimus a via veritatis, cæteráque, ut in libro Sapientiæ (a). Ut igitur illos conſcientiæ ſtimulant maleficiorum ſuorum,

*Præteritiſque admiſſa malis peccata remordent*

tam acri doloris ſenſu, ut exaniment, & reſpirare non ſinant; ſic contra pios, de quibus agimus, præclara virtutis, recteque factorum conſcientia mirabiliter recreabat, atque adeo in Abrahæ ſinu gaudebant, multiſque lætitiis fruebantur.

151. Eo magis, quod non mediocrem voluptatem ex ſocietate reliquorum piorum, perpetuoque cum illis uſu, & conſuetudine capiebant. Nam ſi pares cum paribus, ut in vetere proverbio eſt, libentiſſime congregantur, ſi ardemus ſtudio videndi eos, qui vel doctrinæ laude, vel ob eximias, præſtanteſque virtutes celebrantur, ſi ab illis, cum præſentes cernimus, divelli non poſſumus; quid magis aut lætabile, aut gloriosum videri poterat, quam congregari cum tot viris, fœminiſque ſanctiſſimis, omni virtutum genere excellentibus, in eorumque venire concilium, quos propter præclare facta Deus ipſe ſingulariter diligebat, habebatque chariſſimos. Aderat Abel, ingenio tam miti, atque tractabili. Aderat Adamus, auctor noſtri generis, qui etſi a Dei obedientia deſciviſſet, poſtea tamen facti pœnitens, reſipuit, mutavitque conſilium. Aderat Noe, in quo præſertim juſtitiæ virtus elucebat. Aderat Abrahamus, cujus invicta erga Deum fides, atque obedientia omnibus ſæculis prædicabitur. Aderat Melchiſedechus, qui in Abrahami adventu, oblatis pane, & vino, divinum nobis Euchariſtiæ ſacrificium luculentiſſime præmonſtravit. Aderat Joſephus nobiliſſimum & caſtitatis, & fortitudinis, & ſapientiæ, lenitatiſque erga inimicos exemplum? Nam quid ego aut Moſes, aut Aarones, aut Joſues ſigillatim commemorem? Quæ tanta poteſt exiſtere ubertas ingenii, quæ tanta dicendi copia,

(a) Lib. 1. in cap. 1. Lament. Jerem.

pia, tantaque vis, quæ Gedeones, quæ Samueles, quæ Davides, quæ Joſias, quæ Ezechias, quæ Jeremias, quæ Rebeccas, Debboras, Judithas, Machabæorum matres, ſingulorumque in Deum, atque erga homines univerſa promerita, non dicam complecti poſſit orando, ſed percenſere numerando? Horum autem tot, ac talium virorum, præſtantiumque fœminarum ſocietas nonne maximum bono cuique afferre ſolatium debuit, levamentumque miſeriæ? Nullum eſt enim tam ſingulare Dei munus, nullum tantum vel bonum, vel ornamentum proficiſci a Deo in homines poteſt, quod in divino illo animorum concilio fruſtra requireres. Sive eximiæ te, perfectiſſimæque virtutes delectent, florem ibi virtutum omnium vidiſſes, ſive oſtenta, atque miracula, erant plurimi, qui prodigiorum maximorum gloria floruiſſent, ſive rerum futurarum, atque occultiſſimarum prædictiones, erant etiam, qui futura inſtinctu, inflatuque divino prædixerant, ſive doctrinæ ſplendor, & ſapientia, occurrebant non pauci ab omni doctrina, ſapientiaque inſtructiſſimi: quæcumque te ad extremum bona animi, atque ornamenta oblectaſſent, ea ibi pio cuique ſe ſe offerebant, objectaque ſui ſpecie, ac forma incredibiles in omnium mentibus & amores ſui, & lætitias excitabant. Et erit, qui cum his, etſi Deum videre non poſſent, aut non ſatis præclare actum, aut non aliquam felicitatis partem communicandam exiſtimet?

152. Apud Ciceronem in aureo libro, qui eſt de ſenectute, ſic olim agebat, & loquebatur Cato. *Equidem efferor ſtudio patres veſtros, quos colui, & dilexi, videndi: neque vero eos ſolum convenire aveo, quos ipſe cognovi, ſed illos etiam, de quibus audivi, & legi, & ipſe conſcripſi. Quo quidem me proficiſcentem haud ſane quis facile retraxerit, neve tanquam Peliam recoxerit: &, ſi quis Deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repueraſcam, & in cunis vagiam, valde recuſem: nec vero velim, quaſi decurſo ſpatio, ad carceres a calce revocari..... O præclarum diem, cum ad illud divinum animorum concilium, cœtumque proficiſcar, cumque ex hac turba, & colluvione diſcedam! Proficiſcar enim non ad eos ſolum viros, de quibus ante dixi, ſed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus eſt, nemo pietate præſtantior* (a). Quanto id verius uſurpare poterat optimus, & juſtiſſimus quiſque in



(a) Num. 23. edit. Oliv.

in beatas illas Abrahami ſedes jam jam diſceſſurus, futuruſque ſtatim a morte cum ſummis, atque excellentibus viris, quorum & decus, & gloria, & anteactæ vitæ ratio dulciſſimum præberet omnibus, jucundiſſimumque ſpectaculum? Audi, quæ Socrates dixerit in ea oratione, qua facit eum Plato uſum apud Judices jam morte multatum. Rectiſſime enim profanus Philoſophus hujus loci vim, & naturam expoſuit. *Magna me, inquit, ſpes tenet, Judices, bene mihi evenire, quod mittar ad mortem. Neceſſe eſt enim, ſit alterum de duobus: ut aut ſenſus omnino omnes mors auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. Quamobrem ſive ſenſus extinguitur, morſque ei ſomno ſimilis eſt, qui nonnunquam etiam ſine viſis ſomniorum placatiſſimam quietem affert, Dii boni, quid lucri eſt emori? Aut quam multi dies reperiri poſſunt, qui tali nocti anteponantur? Cui ſi ſimilis futura eſt perpetuitas omnis conſequentis temporis, quis me beatior? Sin vera ſunt, quæ dicuntur* 40, *migrationem eſſe mortem in eas oras, quas, qui e vita exceſſerunt, incolunt; id multo jam beatius eſt, te, cum ab iis, qui ſe judicum numero haberi volunt, evaſeris, ad eos venire, qui vere judices appellentur, Minoëm, Rhadamanthum, Æacum, Triptolemum; conveniréque eos, qui juſte, & cum fide vixerint. Hæc peregrinatio mediocris vobis videri poteſt? Ut vero colloqui cum Orpheo, Muſæo, Homero, Heſiodo liceat, quanti tandem æſtimatis? Equidem ſæpe emori, ſi fieri poſſet, vellem, ut ea, quæ dico, mihi liceret invenire. Quanta delectatione autem afficerer, cum Palamedem, cum Ajacem, cum alios, judicio iniquorum circumventos, convenirem? Tentarem etiam ſummi Regis, qui maximas copias duxit ad Trojam, & Ulyſſis, Siſyphique prudentiam: nec ob eam rem, cum hæc exquirerem, ſicut hic faciebam, capite damnarer* (*a*).

153. His momentis delectationem Socrates, quæ ex cœtu amicorum, præſtantiumque virorum ſermonibus permanat ad animum, metiebatur: quam qui ponderare non novit, is nec guſtare partem ullam liquidæ voluptatis, & liberæ poteſt. Sed, miſſis Philoſophis, domeſtica, & quæ veriora ſunt, conſe-

(*a*) Apud Cic. lib. 1. Tuſc. quæſt. num. 41.

40 Ea autem eſſe vera, ſciebat ipſe optime omnium. Sed ſuum illud, nihil ut affirmet, tenet ad extremum; ideoque ita eum Plato loquentem facit, quaſi de immortalitate animi, quam plane perſpectam habebat, & cognitam, dubitare moriens videatur.

confectemur. Nota enim in vulgus eſt, & pervagata Reginæ Sabæ ſententia. Ea cum ex crebris aliorum ſermonibus de mira, atque inaudita Salomonis eruditione, & doctrina multa accepiſſet, exarſit tandem ſtudio quodam incredibili videndi, cognoſcendique Regis, tentandique tam ſpectatam, tantis nobilitatam præconiis, tam celebratamque omnium linguis, & prædicatione prudentiam. Longo igitur confecto itinere, cum ſummum Regem non loquentem, ſed aureum orationis flumen fundentem, ſcientiſſimeque de rebus omnibus, quas ipſa poſuerat, diſſerentem, atque explicantem audiſſet, mirata vehementer eſt, & obſtupuit; tum illam Hebræis felicitatem laudabiliter invidens, *beati viri tui*, *& beati*, ait, *ſervi tui*, *qui ſtant coram te ſemper*, *& audiunt ſapientiam tuam* (a): tantam nobiliſſima mulier ex Salomonis colloquio voluptatem perceperat. Propone nunc tibi ante oculos univerſam piorum, Heroumque familiam, unigenam Dei Filium ad ſinum Abrahæ præſtolantium, ſingulorum virtutes, prodigia, dicta, facta, ornamenta omnia, quorum ſplendor eſt maximus, in omnem partem conſidera; & bonum quemque ex vitæ communione, atque neceſſitudine, quam cum piis reliquis inierat, ſingularem plane lætitiam, & gaudium collegiſſe, nobiſcum ultro conſenties; prælucente etiam, & ſuffragante auctore libri adverſus Platonem, qui in Hippolyti nomine apparuit (§. 30.).

154. Superioribus autem rebus expoſitis, cauſſæ nihil eſſe dixerim, cur uberius doceam, piorum animos ex Angelorum quoque conſpectu magnum ſolatium reportaſſe. Nam cum illa, de qua hactenus diximus, bonorum ſocietas tanta unumquemque delectatione afficeret, ac voluptate, quanto jucundior toti piorum concilio eſſe debuit frequens Angelorum conſpectus, perpetuáque cum illis conſuetudo, & commercium? Eſt enim Angelorum, ut norunt omnes, eximia, & præſtans natura, rerum autem, quæ ſunt ejuſmodi, contemplatio habet oblectationem, ut humaniſſima eas cernentes res compleantur animi voluptate [41]. Nam quod ſinum Abrahæ beatæ

(a) Lib. 3. Reg. cap. 10. ver. 8.

41 Voluptas enim, ut probe definitur a Wolfio, nihil eſt aliud, quam *perfectionis intuitus*, perfectio autem, ut idem tradit Philoſophus, *plurium conſenſus in unum*. In oculo, verbi gratia, variæ tunicæ, pelliculæ, humores, glandulæ, venæ, arteriæ, cætera in id collineant, & conformata ſunt omnia,

beatæ illæ mentes omni vacantes corpore frequentarent, ſuoque pios adſpectu erigerent, ac ſolarentur, divina, quæ de Lazaro eſt, aperte docet hiſtoria. Sic enim Servator hominum apud Lucam: *factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ* (a).

155. His ergo piorum familia, atque aliis id genus bonis, & ſolatiis fruebatur, quæ nos ingenio conſequi, & enumerare non poſſumus. Nemo enim rationes, & vias omnes reperiat, quibus optimus, ac ſapientiſſimus Deus uti potuit, ut

(a) Cap. 16. ver. 22.

omnia, ut externarum rerum imagines in fundo ipſius oculi depingantur. Hinc ſingula conſentire in unum dicuntur, atque ob hunc partium conſenſum, vel convenientiam oculo perfectionem tribuimus. Ad quam perfectionis vim Horatius etiam retuliſſe animum videtur, cum in Arte Poetica ad abſolutionem poematis præcepit illud:

*Denique ſit quodvis ſimplex dumtaxat, & unum.*

Si quis tamen tam ſubtilis Metaphyſicus eſſe nolit, dilucidioraque, & apertiora deſideret, is ſic habebit, vulgo rem aliquam dici perfectam aut proprietatum numero, atque præſtantia, aut unitate, atque ſimplicitate, aut quod fini, aut quod denique exemplari ſuo, ad cujus regulam exacta eſt, probe reſpondeat. Ad hæc quatuor genera communis hominum de perfectione notio revocatur. Et Deum quidem duobus prioribus modis perfectum & habemus, & dicimus, poſterioribus duobus res creatas, quod ſcilicet fini, atque exemplari ſuo conſentiant. Quamquam non raro, cum de rerum creatarum perfectione ſtatuimus, duos etiam priores modos ſolemus accipere, ut cum mentes perfectiores eſſe dicimus, nobilioreſve corporibus. Jam vero definitio voluptatis, quam poſui, quotidiana ipſa experientia, & intimo cujuſque judicio, ac teſtimonio comprobatur. Cognitio enim, vel adſpectus rerum, quæ in ſuo quæque genere perfectæ ſint, voluptatem gignere in animis ſolet, ea certa, conſtantique lege, ut voluptas ipſa perfectionis rationem ſequatur. Ita voluptatem ex horologii adſpectu capimus, cum videmus, horas, earumque partes accurate declarari. Idcirco enim horologium paratur, ut rationem metiendi temporis promptam, atque propoſitam habeamus. Sic etiam architecturæ peritos humaniſſima videas voluptate perfundi, cum ædes contemplantur ex legibus, præceptiſque ejus artis conſtructas. Ædium enim perfectio ſita in eo eſt, ut ad architecturæ regulam dirigantur. Eodem modo ex tabulis egregie pictis, ex forma, pulchritudinéque corporis, ex aliis id genus rebus delectatio petitur. Cum ergo Angeli tam eximia conſtent, & præſtanti natura, ut omnibus perſpectum eſt; cum illos præterea beneficentiſſimus Deus tot donis cœleſtibus, ac ſingularibus auxerit, pii certe in ſinum Abrahæ recepti ex frequenti eorum conſpectu, uſu, conſuetudine admodum lætabantur. Cauſſam hinc etiam habes, cur Dei viſio beatam in cœlo piorum vitam efficiat. Dei enim perfectiſſima natura eſt; hinc voluptas potentiſſime in animos influit, ut eam idcirco David præclare ſane, & appoſite conferendam cum torrente, qui magna velocitate fertur, putaverit. Quid nunc Blackmorius? In ſcenam ne rurſus philoſophiam vocabit? Vid. §. 44—47.

ut animas ſibi chariſſimas, atque amiciſſimas, quibus ſui videndi copiam facere nondum debuit, non ſuſtentaret ſolum, ſed etiam hilararet. Homunculi enim ſumus ex argilla, & luto ficti, divinorumque conſiliorum ignari, niſi lumen ſacræ litteræ præferant. At hæ cum piorum cœtu benigne, ac liberaliter feciſſe Deum, declarant, quibus rebus benigne fecerit, ſilent, atque adeo in ſubſidium adhibenda eſt argumentatio.

156. Quamquam ad ſuperiora illa bona, communiſque oblectamenta miſeriæ, quæ hactenus complexus ſum, etiam gloriam revocaverim, eam dico, quæ conſtat ex clara, & aperta notitia, quam pii ſinguli de alterius eximia, ac præſtanti dignitate habuerunt. Eſt enim gloria illuſtris, & pervagata multorum, ac magnorum vel in Deum, vel in homines fama meritorum, ſive, ut utar doctrina Ambroſii, & Alberti Magni, clara de alicujus virtute, ac meritis cognitio, cum laude ſcilicet, prædicationéque conjuncta, vel poſtremo, quæ definitio eſt Auguſtini, judicium hominum bene de aliis, & præclare opinantium. Si hoc igitur commune omnibus hominibus deſiderium natura ingenuit honoris, qui a viris ſapientia præſtantibus deferatur, quod eos locupletiſſimos ſuæ virtutis teſtes, & judices fore exiſtiment, quantum piorum animis jucunditatis, & gaudii acceſſiſſe eam ob cauſſam putamus, quod alii aliis ſummum honorem tribuerent, interque ſe revererentur, & colerent (*a*)? Permulta igitur, ut iterum dicam, erant ſolidæ, veræque lætitiæ, & voluptatum genera, quæ piorum cœtum, atque concilium congregatorum ad ſinum Abrahæ paſcerent.

157. Sed felicitatem Patres, & beatam vitam non ſolum adeptione boni, ſed etiam depulſione mali definiunt. De bonis, quantum naturæ ratio, & ingenii noſtri mediocritas patitur, ſatis multa verba jam fecimus; de malis perſpicua ſunt, & illuſtria in ſacris litteris teſtimonia. In Apocalypſi enim ſcriptum eſt: *non eſurient, neque ſitient amplius, nec cadet ſuper illos Sol, neque ullus æſtus* (*b*); & rurſus: *abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt* (*c*). Quamvis enim hæ ſententiæ de

(*a*) V. Catech. Rom. de Symb. cap. 13. num. 11.
(*b*) Cap. 7. ver. 16. (*c*) Cap. 21. ver. 4.

Digitized by Google

de probis, & ſanctis hominibus, jam in cœlo cum Deo regnantibus, ejuſque adſpectu, conſuetudinéque fruentibus proprie intelligi debeant, ſi dolorem tamen, qui ex pœna damni conſequebatur, excipias, ad bonos etiam commodiſſime transferri poſſunt, qui priſcis illis temporibus ſinum Abrahæ incolebant. Quorum ut vitæ tranquillitatem, jucunditatemque commemorem, quid ego nunc lugeam vitam hominum? Vere quidem, & jure poſſum. Quot enim hæc vita, quæ corpore, & ſpiritu continetur, incommodis premitur? Quantum habet laboris, quantum moleſtiarum? Quanta undique malorum vis in noſtram perniciem, exitiumque convertitur? Metelli ſperat ſibi quiſque fortunam: proinde quaſi aut certi quidquam ſit in rebus humanis, aut ſperare ſit prudentius, quam timere. Sed tamen vitæ hujus, quam in his terris agimus, ſubjecta ſunt oculis omnium mala, calamitates, miſeriæ, ut nullius ingenium, orationemque deſiderent. Mortifera tam multa terra, marique diſperſa, dolores cujuſque generis, morbi, egeſtas, orbitates, caloris, & frigoris viciſſitudines, tempeſtates, procellæ, famis etiam, ſitis, belli, peſtis, quæ noſtris cervicibus non raro impendent, pericula, metus præterea, terrores, inimicitiæ, minæ, motus animi rationem repellentes, atque alia id genus quamplurima ita undique nos circumſtant, & appetunt, vix ut ullum beatæ vitæ locum relinquant. Quapropter graviſſima inter noſtros Philoſophos, ab antiquis tamen ducta temporibus, inſtituta, ac renovata controverſia eſt, boni ne plus, an mali in vita humana dominetur. Homerus, poetæque alii vetuſtiſſimi principatam malis detulerunt, atque hi adjutore populo utuntur, cujus opinione naſcimur homines ad miſeriam, & dolorem. Horridius autem, ac longe aſperius & ſenſit, & locutus eſt Plinius, quippe qui & naturæ non dulce matris, ſed odioſum novercæ nomen impoſuit, & hominem rem unam omnium miſerrimam, vaniſſimamque exiſtimavit. Audi, ut graviter queritur. *Cum omnia exſequi humanus nequeat animus, principium jure tribuetur homini, cujus cauſſa videtur cuncta alia genuiſſe natura, magna, & ſæva mercede contra tanta ſua munera, ut non ſit ſatis æſtimare, parens melior homini, an triſtior noverca fuerit. Ante omnia unum animantium cunctorum aliena alienis velat opibus; cæteris varie tegumenta tribuit, teſtas, cortices, coria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumam,*

*pen-*

*pennas, ſquammas, vellera. Truncos etiam, arboreſque cortice interdum gemino a frigoribus, & calore tutata eſt. Hominem tantum nudum, & in nuda humo, natali die abiicit ad vagitus ſtatim, & ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, & has protinus vitæ principio. At hercule riſus præcox illi, ac celerrimus, ante quadrageſimum diem nulli datur. Ab hoc lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus; atque infeliciter natum jacet, manibus, pedibuſque devinctis flens animal, cæteris imperaturum: & a ſupliciis vitam auſpicatur unam tantum ob culpam, quia natum eſt.* Pergit porro homo querulus, & multis lacrymis alia malorum genera proſequitur [42]. Sed & Lucretius eandem, quam Plinius,

Cc argu-

42 Lib. 7. hiſt. natur. in Præfat. Quam injuſte tamen, & ſuperbe de natura, vel potius Deo queratur Plinius, vir graviſſimus, quem ſæpe honoris, atque amicitiæ cauſſa nomino, Joannes Chryſoſtomus Trombellius, ſummus jam, hæc dum ſcribo, Familiæ ſuæ gubernator, & præſes, doctiſſime demonſtravit. Diſſert. 1. in S. Hilar. epiſt. num. 17—21. Tom. 1. opuſc. veter. Patr. Ac ſane infelicitatem ille noſtram infeliciter luget. Videlicet niſi hominem natura feciſſet inermem, & alienæ opis indigentem, paratiorem improvida feciſſet ad inferendam, quam ad propulſandam injuriam, neque ea in puerulos ſumma parentum officia conſtarent, quibus, veluti quibuſdam ſignis, argumentiſque certiſſimis, dum paterna erga filios charitas extat, atque elucet, filii viciſſim & grati animi, & amoris, & obſervantiæ, & pietatis vinculis, & omni officiorum genere obſtrictos ſe eſſe parentibus, obligatoſque in omnem partem intelligunt. Qua oppido ex re plurimæ, & maximæ in humanum genus confluxerunt opportunitates, & commoda. Nudum, & quaſi omni veſte detracta, edi in lucem juſſit hominem. At ad arcendum frigus, prohibendaſque alias, quæ vitæ incommodare poſſent, moleſtias, neceſſe non fuit, ut pelle, coriis, villis, ſimilibus veſtiretur, cum ei mens, ac ratio divino munere tributa ſit, qua facile ab omnibus moleſtiis expedire ſe poteſt, quin etiam plurima commoda, vitæque ſubſidia comparare. Aliunde veſtitus ille ferinus potius, quam humanus tam præſtantem ejuſdem hominis formam, atque elegantiam mirabiliter imminueret. Vere enim Lactantius: *ubi autem ratio, & manus eſt, tam non eſt id neceſſarium, quam indumentum pilorum: adeo in ſuo quæque genere aptiſſime congruunt, ut neque nudo quadrupede, neque homine tecto excogitari quidquam turpius poſſet*. De Opific. cap. 7.

Jam fletus, a quo fere vitæ initium ducitur, inutilem, atque adeo etiam nocuum humorem per oculos exprimit, quæ res nullum, aut ſaltem minimum affert incommodum. Sed fac, afferat. Nonne id incommodi, quidquid tandem eſt, matris, vel nutricis officiis, ſtudioque depellitur? Quid, quod fletus ille, magnorum Patrum judicio, hominem ex altiſſimo dignitatis, atque felicitatis gradu dejectum ſignificat, ipſumque idcirco excitat, & monet hominem, maximas ut agat Deo gratias, qui ſe in priſtinum ſtatum tam benefice reſtituerit,

argumentationem adhibuit, ut vitam hominum deploraret, naturæque, ut loquitur, ſummam adverſus nos crudelitatem oſtenderet. Verſus, ſi aves cognoſcere, ecce tibi.

*Tum porro puer, ut ſævis projectus ab undis*
*Navita, nudus humi jacet, infans, indigus omni*
*Vitali auxilio, cum primum in luminis oras*
*Nixibus ex alvo matris natura profudit;*
*Vagituque locum lugubri complet, ut æquum eſt,*
*Cui tantum in vita reſtet tranſire malorum (a).*

158. I. Sed nolo ego, ut piorum ſolatia augeam, hominum aut perditorum, aut querulorum certe quidem, & triſtium in naturam humanam bilem commovere. Nolo vitam efficere deplorando miſeriorem. Fecerunt id ſæpe alii, fecit nuper Petrus Bælius, qui in Reſponſ. ad quæſ. Provinc., & in Diction. art. Xenophanes, vitæ humanæ enumeravit incommoda, atque ita, ut ſolet, exaggeravit oratione, ut Dei erga nos beneficentiam non parum elevaverit, & Manichæorum orare voluiſſe cauſſam videatur. Hinc ſtatuit, & argumentis non ſolum, ſed docere auctoritatibus nititur, multo plus malorum in vita, quam bonorum ineſſe. Mihi contra cum viro doctiſſimo, & amiciſſimo homine, Antonio Genuenſi, qui cum in

rit, unaque ſuppliciter, & demiſſe ad ejus opem, veritatem, miſericordiamque confugist?

Vincula enim, & faſciæ, quas luget Plinius, tantum abeſt, ut homini obſint, & officiant, ut eis plurimum debeamus. Nam ut de cæteris utilitatibus ſileam, puerorum infantium molle, & imbecille corpus firmant, atque corroborant, ut eam, qua aucti a Deo ſumus, & qua vel maxime præſtamus feris, dignitatem in omni vita retineant. Niſi enim homines ab ineunte pueritia adſtringerentur faſciis, quarum adminiculo corpus attollitur, atque, ut ſtet pedibus, ſuſtinetur, ipſi etiam pedibus, ritu cæterarum animantium, reperent (exemplo ſunt homines ab urſis comprehenſi, in illorumque ſocietate ferarum more educati), & eximia illa, ac præſtanti dignitate, & gloria privarentur, de qua ſic Ovidius (Metam. lib. 1.):

*Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,*
*Os homini ſublime dedit, cælumque tueri*
*Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus:*

poſt Ovidiumque Boethius:

*Unica gens hominum levat altius cacumen,*
*Atque levis recto ſtat corpore, deſpicitque*
*Terras*. De Conſol. philoſ. lib. 5.

Querelæ igitur Lucretii, & Plinii ſunt ejuſmodi, quas bonus quiſque deſpiciat.

(a) Lib. 5. de rer. nat. ver. 225.

in Elementis Metaphyſicæ, tum in Meditationibus Philoſophicis, biennio ante Italice editis, eam accurate diremit controverſiam (*a*), mihi, inquam, penitus perſuaſum eſt, voluptates, & bona, quibus, dum hic vivimus, fruimur, generatim & plura eſſe, & majora, quam mala, tunc etiam, cum minus ad rationis regulam vivimus, quod plerique omnes faciunt; ita ut ſi ſecundum naturam viveremus, & congruenter, convenienterque rationi, ſola, quæ dicuntur, naturæ mala in hoc bonorum conſpectu, & copia aut non cernerentur, aut eſſent, quod in opiparis menſis, & conquiſitiſſimis epulis herboſa moreta, aut minus illa nos percellerent, tantum dumtaxat, quantum ſatis eſſet, ut nos de vitæ officiis admonerent, atque ad excolendam virtutem revocarent. Fuit in ea ſententia, nobiliſſimus poeta Tragicus, Euripides: quippe cenſuit,

*Πλείω τὰ χρηστὰ τῶν κακῶν εἶναι βροτοῖς.*
*Mala noſtra longe judico vinci a bonis.*

Quam Euripidis vocem, & alias Mericus Caſaubonus tot effert laudibus in notis ad Diogenem Laertium appoſitis (*b*), ut *θεόπνευστον* pectus ei tribuere non vereatur. Secundum Euripidem e re etiam ſcripſit Carteſius epiſtola nona, *naturali ratione nos edoceri, quod plura nobis in hac vita bona, quam mala ſuppetant......*, tum *etiam inter funeſtiſſimos caſus, & dolores acerrimos poſſe quem ſemper eſſe contentum, modo ratione uti noverit*. Euripidem autem, atque Carteſium magnopere & laudavit, & ſecutus eſt Leibnitius, qui ea de re cum Bælio decertavit. Sed quam diſtincte, atque accurate argumentum tractaverit, ab aliis ego audire malim, quam dicere (*c*).

II. Nunc vitam hominum longe pluribus, atque majoribus bonis, quam malis affluere, hinc primum efficio, quod nemo ſit, quantumvis ſenex, ætatéque provectus, ac magnis conflictatus moleſtiis, qui non vivere etiam aliquantulum aveat, quique vitam inopem, & calamitoſam morti facile, libenterque non præferat. Qui in omni hominum genere conſtantiſſimus naturæ ſenſus, graviſſimo plane argumento eſt, vehementer nos falli in dijudicandis bonis, & malis, eáque judicia non ex natura, veritatéque naſci, ſed ex libidine,



(*a*) Metaph. par. 1. prop. m. 68. in not. & Medit. 1.
(*b*) Ad lib. 9. ſect. 19. not. 13. (*c*) Vid. Theod. par. 3. §. 251. &c.

eſséque hominis magis aut ægritudine, vel dolore commoti, aut ex corrupta, & perturbata ratione temere declamantis, quam hominis ſibi permiſſi, & ſe, ſuaque natura contenti. Ac vero ſeditioſas illas, & injurias in Deum voces ab iis potiſſimum audias, qui aut dolore anguntur, aut perturbationibus, & morbis animi, rationem repellentibus, concitantur, inimicamque experiuntur fortunam, & tunc in primis, cum mali alicujus vi, & ſenſus ſtupore ſuavitatem vitæ non ſentiunt. Qui ſi ad animi ſanitatem redeant, mentemque a dolore abducentes ſe colligant, ut, quam debent, ad conſiderandas res attentionem adhibeant, nullus equidem dubito, quin æquius de ſe ipſis exiſtiment.

III. Nec vero eſſe homines ignoro, qui interdum propter acerbitates, quas perferunt, mortem ſibi conſciſcant voluntariam. Eorum aliquos jam enumeraverat Cicero in primo Tuſculanarum quæſtionum; immo cum ex errore errores alii exiſtere ſoleant, éa nunc apud Heterodoxos percrebuit opinio, licere ſibi mortem inferre, quod illi Suicidium vocant; & injuſſu dominantis in nobis Dei de præſidio, & ſtatione vitæ diſcedere. Sed auctores ejuſmodi, qui in tam futiles, & pernicioſas Reip. ſententias inciderunt, eleganter, & docte coarguit vir clariſſimus Apianus Bonaſede, cujus elegans de ſui internecione liber a me lectus propediem emittetur in lucem. Interim hoc dicam, quod non erit fortaſſe injucundum cognoſcere, auctorem etiam Novi Dictionarii Hiſtorici, & Critici, quod per hoſce annos Amſtelodami prodiit, loquentem de Arria egregie adverſus homines homicidii voluntarii approbatores, & vindices diſputaſſe. Martialis notum puto epigramma.

*Caſta ſuo gladium cum traderet Arria Pæto,*
*Quem de viſceribus traxerat ipſa ſuis,*
*Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit,*
*Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet,*

cædéque ſui ad oppetendam fortiter mortem maritum adhortata eſt. De hac igitur auctor ſermonem inſtituens, docet, haud jure Bælium Lucretiam excuſaſſe, Auguſtinumque damnantem mulieris facinus apte, accommodateque ad naturæ, & civiles leges locutum eſſe. Tum locum epiſtolarum Perſicarum refellit, ubi ſui ipſius internecio magnopere approbatur. Vitam, inquit, apud nos depoſuit Deus, ut idcirco reddendum ſit depoſitum, cum id a nobis ſuo jure repetet, &

ejus

ejus injuſſu abalienari non debeat. Si quis apud te pecuniam depoſuerit, non ſumma fide aſſervabis? Cumque ſapientiſſimus Deus caſu, & inconſulte nihil agat, nec moliatur, oportet certe, ut ſapienti conſilio vitam nobis tribuerit; nihil igitur minus in noſtra poteſtate eſt, quam huic Dei conſilio velle intercedere, finemque vitæ conſtituere, quod etiam graviter monuerat Cicero his verbis. *Cato ſic abiit e vita, ut cauſſam moriendi nactum ſe eſſe gauderet. Vetat enim dominans ille in nobis Deus, injuſſu hinc nos ſuo demigrare. Cum vero cauſſam juſtam Deus ipſe dederit, ut tunc Socrati, nunc Platoni, ſæpe multis; næ ille, medius fidius, vir ſapiens, lætus ex his tenebris in lucem illam exceſſerit. Nec tamen illa vincla carceris ruperit. Leges enim vetant. Sed tanquam a magiſtratu, aut ab aliqua poteſtate legitima, ſic a Deo evocatus, atque emiſſus exierit* (*a*). Abeat igitur Bælius, abeat auctor ille Perſa cum ſuis epiſtolis, abeant ſemidocti iſti, vel magna potius morum licentia homines, qui Bælii, qui Monteſchieu, qui ſimilium opinionibus tam impenſe delectantur, abeant, inquam, &, ſi quid ultra montes poſthac increpuerit, illo ſe totos convertant.

IV. Sunt, ais, nihilominus, qui ſibi mortem conſciſcant. Quaſi vero tam flebiliter vitam hominum lamentari idcirco oporteret. Parum, mihi crede, parum acutus es Dialecticus. Nam qui ſeipſos ſcientes, prudenteſque interficiunt, non propterea vitam odio habent, aut non eam eximie, ac ſingulariter diligunt: amant & ipſi, ferunt in oculis, habentque chariſſimam; tantum odio moleſtias, quibus premuntur, earumque cauſſas, & originem inſectantur. Itaque, ſi acute cogites, non ſævire illi quidem in ſeipſos volunt, ſed in mala, & cauſſas, ex quibus dolor efficitur. Cauſſas dolendi tolle, arma etiam, jam jam mortem illatura, confeſtim ſuſtuleris: qua de re copioſius, & acutiſſime Antonius Genuenſis (*b*).

V. Sed præcones iſti, prædicatoreſque humanorum malorum eo quoque argumento pulcherrime refelluntur, quod bona perennia ſint, & perpetua, a malis ſæpe eſt intermiſſio. Conſcientia vitæ, libertatis, quæ eſt a natura, mentis, ſenſuum perpetuo manet, dum vivimus, eáque cum æquabili voluptate conjungitur. Videri hoc debet bonorum omnium, quibus

(*a*) Tuſc. lib. 1. num. 30. Vid. & §. 121. pag. 150.
(*b*) Medit. 1. num. 3.

bus utimur, maximum, quod tamen, quoniam habet perpetuitatem, atque conſtantiam, minus animadvertimus, nec in numerum bonorum referimus, qua in re & ſtulti, & in nos ipſos ingrati ſumus. Equidem, cum omni cura depoſita, me ad animum refero, cogitoque, me eſſe, me mentis, & libertatis eſſe compotem, me oculis, auribus, manibus inſtructum eſſe, in immenſoque hoc, & magnificentiſſimo naturæ templo, veluti in pulcherrimo theatro conſiſtere, nullam ego huic voluptatem anteponi poſſe ſentio, ut mirari eos ſatis nequeam, quorum vagatur animus cogitatione, nec unquam a rebus externis ad ſeipſum advocatur.

VI. Huc referri debet valetudo, omneſque vitæ actiones, quibus ſublatis, aut interceptis, dolemus, & offendimur. Scio, velle Bælium, nullam fere ineundam eſſe valetudinis rationem. Eam propterea comparat cum corporibus rarefactis, quæ ſenſus leviter commovent, ut aer; dolorem contra cum denſioribus, & ſpiſſioribus, in quorum exiguo volumine materiæ multum ineſt, & ponderis. Quo loco judicii in Bælio ſeveritatem deſidero. Bona enim valetudo in maximis, ac præſtantiſſimis Dei beneficiis numeranda, cujus ſuavitatem guſtamus, cum afflicta eſt, aut cum bene valentes ægrotis conſilia damus. Quis neſciat, tanti eam ab hominibus ratione utentibus æſtimari, ut qui graviter ægrotant, multis pecuniis, & laboribus libenter redimerent? Quam multi, dum lecto tenentur, etſi opulentiſſimi, atque omni rerum copia affluentes, minutis iſtis, ſed bene valentibus, de plebe homunculis invident, & eorum experirentur fortunam, commutarentque cum ſua? Bona igitur valetudine ut utantur, omnes optant, eandem minimi pendunt adepti; tanta eſt inconſtantia, judiciorumque perverſitas.

VII. Ad bona, quæ diximus, quæque æquabiliter nos delectant, accedant nunc voluptates, geſtientes appellatæ a Philoſophis, guſtus, tactus, auditus, oculorum, narium: tum ſomnus, deambulationes, motuſque omnes jucundi corporis: plurimæ etiam, & liquidæ voluptates animi propriæ, & ſuæ, præſertim in hominibus litterarum ſtudioſis, rerum pulcherrimarum cognitio, ſermo familiaris, colloquia, conventuſque amicorum, amicitiæ ipſius, & charitatis vis, & innumerabiles aliæ, quæ magnam cujuſque diei partem efficiunt: jam mala, quæ lugemus, etiamſi omnia a natura orirentur, non com-

compenſantur modo bonis, ſed longo etiam intervallo, ſi vera loqui volumus, ſuperantur. Amicitiæ quæ ſit vis, & jucunditas, paullo ante expoſuimus (§. 148.). Doctrinæ vero ſtudia quantam habent oblectationem? Facilius eam tu deguſtaveris, quam ego verbis expreſſerim. Nonne videmus eos, qui his ſtudiis delectantur, nec valetudinis interdum, nec rei familiaris habere rationem? Omniáque perpeti, ipſa cognitione, & ſcientia captos? Et cum maximis curis, & laboribus compenſare eam, quam ex diſcendo capiant, voluptatem? Quem cognitionis ardorem, quod gaudium cenſes fuiſſe in Archimede, qui, dum in pulvere quædam ſcribit attentius, ne Syracuſas quidem, patriam ſuam, captas eſſe ſenſerit? Quid de Pythagora? Quid de Platone, aut Democrito loquar, a quibus propter diſcendi cupiditatem accepimus, ultimas terras fuiſſe peragratas? Intelligi hinc neceſſe eſt, in ipſis rebus, quæ diſcuntur, & cognoſcuntur, invitamenta ineſſe, quibus ad diſcendum, cognoſcendumque moveamur. Cardanus ipſe jam ſenex, cum bona doctrinæ rite æſtimaret, ita ſe, fortunamque ſuam amabat, ut beatus eſſe nollet. Videlicet appropinquante jam morte, jurejurando confirmavit, fortunam, quam deguſtabat, non ſe cum juvene locupletiſſimo, ſed indocto, ulla ratione commutaturum, quod narrat, neque vituperat Motta Vayerius.

VIII. Conſtat igitur, vitam hominum omnibus partibus plus habere ſemper boni, quam mali, ut nihil cauſſæ ſit, cur eam tantis lacrymis lamentemur. Lactantius jam pridem monuerat, & moleſte ferebat, tam nihilominus delicatos eſſe homines, ut ſi quis perleviter eos dolor pungat, de hoc ſtatim, quaſi omnia vitæ bona abſorbeat, conquerantur (a). Sed Lactantio ſubiraſcitur Bælius, & fidenter affirmat, hoc ipſo, quod homines ita ſentiant, male eis eſſe, cum mala non rebus, ſed ſenſu, & opinione hominum metienda ſint. At rem diſtinguere in ſuas partes oportuit. Neque enim ex ſenſu, & opinione, qua quiſque nunc ducitur, bona, maláque præterita, & futura æſtimanda. Concedo, male alicui eſſe, quamdiu male ſibi fieri opinatur, quamdiu has triſtes cogitationes animo verſat, totuſque in his occupatur. Videas aliquos mœrere graviter, quod etſi optime omnium valeant, adverſa ſe tamen uti valetudine exiſtiment. Sed hoc non efficit, quominus

(a) Lib. 3. divin. Inſtit. cap. 18.

nus antea bene eis fuerit, &, rebus omnibus revocatis ad calculum, bona malis & numero, & magnitudine anteferre debeamus.

IX. Quamquam ne illud quidem, ſi æqui eſſe volumus, in malorum numero poni debet; ipſi enim nobis ſtulta opinione conſciſcimus: de illo autem malorum, quæ ſupra enumeravimus (§. 157.), cumulo demere oportet omnia, quibus nos ipſi cauſſam afferimus. Nam cum naturæ non ea gignat neceſſitas, indigne ſane, & abſurde fieret, ſi in naturam conferrentur. Plurima autem mala ſunt, & graviſſima, quæ hominum vitiis, commotionibus, & morbis animi, & intentioni cogitationum ſuam debent originem; quæ ſi depulero, ut poſſum, & debeo, naturæ mala, quæ reſtant, tantula ſunt, ut propemodum ne in conſpectu quidem relinquantur. Nunc autem, quod graviter querebatur Horatius,

*Quæ lædunt oculos feſtinas demere: ſi quid*
*Eſt animum, differs curandi tempus in annum* (*a*)?

Oportet rurſus ex malorum numero, ne temere judicemus, detrahere, quæ homini ab homine inferuntur. Nam ne hæc quidem derivanda in naturam. In primis vero quædam eſſe corporis mala intelligimus, quæ una cum ſemine ex majoribus noſtris in nos promanarunt, qui cum prima futurorum hominum ovula, ac machinas fœdaverint, atque contaminaverint, monſtroſos generant homines, deformes, imbecilles, & mancos, præſertim poſtquam lues venerea magnam humani generis partem infecit. Sunt & alia mala, quorum cauſſa ſimiliter in patres noſtros derivanda, ut inimicitiæ, bella, ſeditiones, lites, morum corruptela, prava inſtituta, pernicioſæ artes, & alia, quæ ignorare nemo poteſt. Hæc autem cum ſint, ubi mala, quæ ipſi nobis tam inimice conſciſcimus, a naturæ malis, diſtinctione rerum, ut decet, adhibita, ſecernamus, intelligetur aperte, quod doceo, eſſe hæc bonis, quæ a natura ipſa parata habemus, & prompta, quibuſque quotidie fruimur, multo pauciora: ut propterea, ſi eo, unde diſceſſimus, ideſt ad naturam, quæ paucis contenta eſt, redire voluerimus, beati ex parte eſſe, & numerari poſſimus. Egregie, ut ſemper ſolet, Thomas Aquinas: *dicendum, quod beatitudo imperfecta, quæ in hac vita haberi poteſt, poteſt ab homine acquiri per ſua naturalia, eo modo, quo & virtus,* in

(*a*) Lib. 1. Epiſtol. 2.

Digitized by Google

*in cujus operatione conſiſtit* (*a*). Quid ſi rationes, & momenta accedant, ex Chriſtianæ religionis diſciplina deſumptæ? Quid ſi ſummam etiam bonorum conficias, quæ mala, & vitæ humanæ incommoda conſequuntur? Eſt enim hominis proprium ex rebus adverſis utilitatem capere, & boni aliquid elicere: quo de argumento librum vel Cardanus compoſuit. Ac bene olim Bias, cum ex eo quæreretur, quem potiſſimum inter homines infelicem eſſe duceret, eum, inquit, qui infelicitatem ſuam ferre non poſſet. Diog. Laert. in Biante.

X. Maupertuiſius tamen cap. 2. ejus libri, qui ſpecimen philoſophiæ moralis inſcribitur, totque in Italia locum dedit controverſiis, rationes, quas mihi attuliſſe videor, ad veritatem firmiſſimas, ita conatur evertere. Nam homines ait, omni ætatis tempore recreandi ſe ſe, lætandique cauſſas conquirere, non alio certe conſilio, niſi ut ipſos vitæ ne tædeat, nec angantur moleſtiis: eſſe id autem ſatis argumenti, moleſtias, atque incommoda noctes, & dies vitam hominum circumſtare. Sed bono ego animo Maupertuiſium, præſtantem ſane Mathematicum, eſſe velim. Nam ſi homines ea, quæ conſectantur, & ſtudioſe anquirunt, adipiſcuntur ſolatia, lætari poſſunt dupliciter, quia præſidia, commoda, & oblectamenta vitæ habent, & quia arcent beatæ vitæ inimicas moleſtias. Neque enim dum rationes, & vias quærunt, quibus ſe ſolentur, & recreent, id agunt dumtaxat, ut ne ſint in moleſtiis, ſed volunt, opinor, voluptatis etiam deguſtare dulcedinem, neque inſtar lapidum eſſe cuperent, ut moleſtiæ, ſic voluptatis expertium. Non igitur ſunt homines miſeri, quia miſeriarum levationem quærunt, ſed felices rectius habendi, quia allevare miſerias voluptatibus poſſunt, multiplicique arte depellere. Legatur, nobilis cum primis philoſophi, Franciſci Mariæ Zanotti adverſus Maupertuiſium diſputatio, quam is in extremam de Philoſophia morali probatiſſimi operis partem rejecit.

XI. Nam Bælius quidem, qui dum mala exaggerat, in ſuo regno eſt, multis etiam veterum auctoritatibus pugnat, affertque inter alias Diphili Poetæ teſtimonium apud Stobæum, quod ex Græco in Latinum ſic vertit Leibnitius:

*Fortuna cyathis bibere nos datis jubens,*
*Infundis uno terna pro bono mala.*

 Sed

(*a*) Prim. ſec. quæſt. 5. art. 5.

Sed nos ad dicendam cauſſam veterum ſuffragiis non egemus, non quod nobis prudentes viri, ut Euripides, & alii, quin etiam Maimonides, homo Judæus, non faverint (quid enim, ſi de Eccleſiæ Patribus inſtituerem dicere?), ſed quod rationibus magis, quam auctoritatibus utendum hoc loco videamus. Interim quis miretur, Ethnicos Diis ſuis parum contentos fuiſſe? De Prometheo queſti ſunt, quod hominem, tanta imbecillitate animal, finxerit, quique, ut lamentabatur Propertius,

*Corpora diſponens mentem non vidit in arte.*

Fabellam quoque de ſene Sileno, Bacchi nutricio, approbarunt, qui cum a Mida captus eſſet, hoc ei muneris pro ſua miſſione dediſſe ſcribitur, docuiſſe regem, non naſci homini longe optimum eſſe, proximum autem quamprimum mori, ut narrat Cicero in Tuſculanis quæſtionibus lib. 1. num. 48. Plato animos hominum, antequam conjungerentur corporibus, beate in cœlo vixiſſe credidit, & multi antiquorum, in quibus Cicero (teſte Lactantio) in conſolatione ſua, putaverant, illos luendorum, quæ admiſerant, ſcelerum cauſſa in hæc corpora, veluti in cuſtodiam, detruſos fuiſſe. Hoc modo malorum iſti humanorum rationem aliquam afferebant, & quam contra humanam vitam imbiberant, manebant in ſententia. Sed quis portentis ejuſmodi, ac fabulis moveatur? Quid ex his initiis aut veri, aut præclari exſpectes? Interim, ut æquius de vitæ bonis, & commodis ſtatuas, ſecundum Patres adi Novarinum de occultis Dei beneficiis, & Senecam lib. 4. cap. 5. agentem ſimiliter de beneficiis, quibus natura nos cumulavit.

159. Sed aberravimus, dicet aliquis, a propoſito. Inepte. Non quæritur, pergit, de ſubducenda malorum, & bonorum ſumma; hoc agitur, an bene piis fieret, qui in ſinu Abrahæ quieſcebant. Ita ſane; ſed tamen nihil abeſt longius, quam ut ab inſtituto curſu diſceſſerim. Horum enim, quæ diſputavi, conſectarium eſt, divinam illam piorum familiam in ſinu, gremioque Abrahæ lætatam fuiſſe, habuiſséque multis ex rebus levationem doloris. Nam licet humanæ vitæ bona & magnitudine, & numero præferenda eſse malis docuerim, dempta tamen comparatione, permulta re quidem vera mala ſunt, quibus offendimur, ut merito dixerit Jobus, hominem natum ex muliere, etſi parum diu vivat, multis tamen conflictari miſeriis. His igitur cum illi carerent, perveniſſentque

que in eum locum, ubi novas propagatione vitæ moleſtias non haurirent, erat certe, cur gauderent, efferrenturque lætitia. Non enim hanc ſolam dicimus voluptatem, quæ ſuavitate aliqua naturam ipſam movet, & cum jucunditate quadam percipitur, ſed magnam illam voluptatem habemus, quæ percipitur, omni dolore detracto. Nam quoniam, cum privamur dolore, & malo, ipſa liberatione, & vacuitate omnis moleſtiæ gaudemus: omne autem, quo gaudemus, voluptas eſt, ut omne id, quo offendimur, dolor, doloris, & mali omnis privatio recte ad voluptates refertur. Ut enim, cum cibo, & potione fames, ſitiſque depulſa eſt, ipſa detractio moleſtiæ conſecutionem affert voluptatis, ſic omni in re doloris, & mali amotio ſucceſſionem efficit voluptatis. Quam maxime autem hæc vera ſint, nedum plauſibilia, unuſquiſque experitur in dies. Eorum, qui aliquid gravius ferunt, luctus aliorum exemplis ſæpiſſime leniuntur. Malorum, a quibus tandem evaſeris, recordatio quanto magis, Deus bone! grata eſt, & jucunda? Qua voluptatis dulcedine animum commovet? Quam affert lætitiam? Tantam ſæpe, ut nemo te unus eſſe beatior videatur. Hinc trita illa omnium ſermone vox:

*...... Forſan & hæc olim meminiſſe juvabit.*

Alienorum etiam, quibus careas, malorum adſpectus, & cogitatio non modo te ſolatur, & recreat, ſed mirum in modum delectat, ut habendam tibi gratiam Deo, quantam maximam capere animus poſſit, intelligas.

*Suave mari irato, turbantibus æquora ventis,*
*E terra magnum alterius ſpectare laborem.*

Poſtquam Hebræi incolumes Erithreum mare tranſmiſerant, videruntque ad oram littoris Ægyptiorum, qui naufragio miſerabiliter perierant ad unum omnes, cadavera, nonne credibile eſt, eos ſibi gratulatos fuiſſe, atque omnibus gaudiis exultaſſe? Non eſt, cur hæreas. Tunc enim *cecinit Moyſes, & filii Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt: cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem dejecit in mare*, cætera. Maria etiam Aaronis ſoror ſumpſit in manus tympanum, *egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam* [43]

 cum

43 Non poſt Moſen, neque poſt Aaronem, *poſt eam*. Vides? Tum etiam, cum carmen Deo canunt, mulieres ſejunguntur a viris. Ad ſuum quiſque abit concilium. At hujus ſæculi homines a mulierum latere ne mortui quidem diſceſſerint. O tempora! O mores!

*eum tympanis, & choris, quibus præcinebat*, idem illud videlicet carmen canens (*a*). Sunt autem hymni, & carmina, ut ſupra Joannes Chryſoſtomus docuit (§. 130. VII.), ſigna, indiciáque lætitiæ. Ac certe eo ego Moſis carmine quid fieri poſſit hilarius, vix reperiam. Jam vero piorum animi, quos ſinus Abrahæ exceperat, ab hujus vitæ malis, calamitatibuſque diſceſſerant, nulli eos morbi, ægritudineſve exedebant, non angebat metus, qui ſemper optimum quemque in vita comitatur, ne qua in re peccarent, ne quid admitterent, quo Deum offenderent: ſuis ergo fruebantur ſolatiis, ſua pro illis temporibus felicitatis parte utebantur, eáque bonorum adeptione (§. 147 - 157.), & depulſione malorum conſtabat (§. 157. &c.). Recte igitur Abrahamus illud de Lazaro, qui una ſecum eſſet, reſpondit ſitienti diviti: *nunc autem hic conſolatur* (§. 145.).

160. Facile credas, nihil nos diſputaſſe, quod Joannes Cadonicus, homo licet eruditiſſimus, reprehendat. Nec male exiſtimaveris. Sed quid? Vide, quæſo, ingeniorum diſcrepantiam. Hic te, inquit, teneo. Nam ſi aliquam pii tranquillæ, & beatæ vitæ partem guſtabant, Deum etiam viderint, neceſſe eſt. Non viderint, lætatique ſint tamen: vis pœnæ, quæ damni eſt, mirabiliter imminuitur. At illius acerbitatem tantam Auguſtinus eſſe intellexit, ut impios continuo longe miſeriores, atque deſperatiores fore crediderit, quam poſſint homines conjicere, etſi nullis præterea nec pœnis, nec doloribus torquerentur. *Si ſola*, inquit, ira Dei *eſſet*, *quanta ibi minima cogitari poteſt*, *perire a regno Dei*, *exulare a civitate Dei*, *alienari a vita Dei*, *carere tam magna multitudine dulcedinis Dei* ..... *tam grandis eſt pœna*, *ut ei nulla poſſint tormenta*, *quæ novimus*, *comparari*, *ſi illa ſit æterna*, *iſta autem ſint quamlibet multis ſæculis longa* (*b*). Hinc alias Plotini Philoſophi magnopere laudat, & probat ſententiam, qui Dei adſpectu privari in maximis malis numeravit. *Iſta namque viſio Dei tantæ pulchritudinis viſio eſt*, *tantoque amore digniſſima*, *ut ſine hac quibuslibet aliis bonis præditum*, *atque abundantem*, *non dubitet Plotinus infeliciſſimum dicere* (*c*). Hæc igitur cum ita ſe habeant, qui ſuaviſſimum Dei adſpectum piorum animis apud Abrahamum commorantibus adimunt, &

(*a*) Exod. cap. 15. ver. 1. & 20. (*b*) In Enchir. ad Laur. cap. 112. num. 29. (*c*) Lib. 10. de Civit. Dei cap. 16. num. 1.

& aliquam tamen quietis, felicitatiſque partem impertiunt, ii moleſtiſſimæ, atque acerbiſſimæ omnium pœnæ magnitudinem totam propemodum labefactant, & cum Auguſtini doctrinæ, tum Eccleſiæ ſcitis de ejuſdem pœnæ vi adverſantur. Niſi enim illi ſtatim ab obitu in conſpectum veniſſent Dei, in extremam, cui nulla par, miſeriam incidiſſent: ut rectius omnino judicaverit Thomas Aquinas, qui propterea fuiſſe eos in doloribus cenſuit. Sic enim ſuperioris pœnæ acerbitatem, magnitudinemque non tollit, & id docet, quod propius cum ratione conſentiat. Sed ne tanti doctoris quidem opinio, etſi nobilior, probanda eſt.

161. Hæc igitur & Cadonicus (*a*), & qui ejus collaudat, ſequiturque ſententiam, Lamius (*b*). Ego argumentum idem, cujus doctrina nititur, refellat Auguſtinus, volo. Scio, damni pœnam, quam dicimus, ipſam per ſe eſſe graviſſimam, ut reliquæ in ejus conſpectu multo eſſe leviores videantur. At hujuſce pœnæ gravitas tanta eſt, ſi illa ſit æterna, ait Auguſtinus; ſecus, ſi ceſſabit, finemque habebit. Tunc enim multo minus affert moleſtiæ, præſertim cum propter ſtabilem, certamque ſpem Dei præſtituto tempore poſſidendi, ac fruendi magno animus gaudio compleatur (§. 147.). Quod cum ita eſt, ſic exiſtimes velim, ejus pœnæ atrocitatem maximam eſſe, & ſupra quam cuique credibile eſt, in ſceleratis, & impiis, quibus æterna ſupplicia apud Inferos admoventur; longe minorem in bonis, qui in Purgatorii cuſtodias includuntur; multo adhuc leviorem fuiſſe, ac mitiorem in piis, qui in beatis illis Abrahami ſedibus adventum divini Filii exſpectabant. Hi enim non jucundiſſima ſolum ducebantur ſpe, Dei ſe adſpectu, qui beatam efficit, & complet vitam, primo quoque tempore fruituros, ſed multis etiam bonis, ſolatiis, oblectamentiſque utebantur (§. 147 - 157.); ut propterea vitam tranquillam, & quietam, nec omnis felicitatis expertem traducerent. Non igitur nos pœnæ illius vim imminuimus, ut ſine cauſſa ſumit Cadonicus, non nos elevamus, enervamuſque moleſtiam, ſed enervat, & elevat idem ipſe animorum ſtatus, ipſa extenuat rei natura, quæ ut magna de atrocitate pœnæ diminutio fieret, poſtulat. Profecto ſi qui ſunt, qui damni pœnam moleſtiſſimam eſſe, atque atrociſſimam ſtatuerunt, hos præſertim eſſe video Joannem Chryſoſtomum, Thomamque

(*a*) Vind. in Prœm. pag. 4. & 5. (*b*) Novel. apud Cadon. pag. 77. in Dial.

que Aquinatem. Nam Joannes quidem Chryſoſtomus cum Homiliam ad populum Antiochenum 47. habuit, ita ſentiebat: *multi Inferni ignem timent: ſed ego maxime amaram dico amiſſionem gloriæ. Nam qui non novimus magnitudinem cæleſtis boni, non poſſumus intelligere, quantum ſit malum illo privari*; quod alibi inculcat adhuc, atque urget vehementius hunc in modum: *novi, quia plurimi pertimeſcunt gehennam. Ego tamen illius gloriæ amiſſionem multo amarius dico eſſe, quam ipſius gehennæ ſupplicium* (*a*): & poſterius: *intolerabilis quidem res eſt gehenna, quis neſciat?, & ſupplicium illud horribile. Tamen ſi mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus eſt, quale eſt a beatæ illius gloriæ honore repelli* (*b*). Cujus rei cauſſam in Homilia affert 49. in Matthæum. Eadem eſt Thomæ noſtri Aquinatis opinio, qui propterea opuſculo 2. cap. 174. *ultima autem*, inquit, *hominis felicitas, quantum ad intellectum quidem conſiſtit in plena* Dei *viſione: quantum ad affectum vero in hoc, quod voluntas hominis in prima bonitate ſit immobiliter firmata. Erit igitur extrema miſeria hominis in hoc, quod intellectus totaliter divino lumine privetur, & affectus a Dei bonitate obſtinate avertatur. Et hæc eſt præcipua damnatorum miſeria, quæ vocatur pœna damni*. Quanta ſit igitur hujus atrocitas, ac magnitudo, uterque egregie tenuit, uterque intellexit, atque expendit, & tamen non Joannes ſolum Chryſoſtomus, cujus illuſtris eſt, teſtatáque ſententia (§.146.), ſed etiam Thomas (§.147.), quod ante negavit, diſſimulavitque Cadonicus, piorum animis, qui in ſinum Abrahæ cogebantur, vitam quietam, tranquillam, felicemque pro illis temporibus tribuit, etſi eos a Dei conſpectu removeat. Velimus ergo, nolimus, fateamur neceſſe eſt, damni pœnam, ut loquimur, fuiſſe in his minus moleſtam, quam in ſceleratis, & impiis, multiſque partibus leviorem propter rationes, a me poſitas, collectas, atque explicatas. Thomas ipſe, cujus maxime adverſarius urget doctrinam, aliam tantæ diminutionis cauſſam proxime ſuperiore loco opportune ſuppeditat. Tradit enim, extrema impios conficiendos miſeria, in maximiſque futuros doloribus, & ærumnis, ideo quia illorum *affectus a Dei bonitate obſtinate avertetur*, quod de divina piorum familia ne cogitari quidem poteſt.

162. At

(*a*) Hom. 23. in Matth. num. 7. Tom. 7. edit. Montf. (*b*) Num. 8. ibid.

Digitized by Google

162. At mœror, inquis, luctus, angorque animi cum gaudio, hilaritate, & ſolatiis componi nequit. Cujuſmodi hoc ſit, ſeu quam tandem vim habeat, ex toto opere, me tacente, perſpicies. Uberrime enim, firmiſſimiſque argumentis patefactum eſt, piorum animis ſuam Deus non declaraſſe præſentiam, ex quo dolor oriri aliquis debuit, ut vulgo Theologi ſentiunt: ſed tamen una illud demonſtratum hoc capite, non propterea ab omni pios felicitate relictos fuiſſe, quin potius multis & bonis, & ſolatiis, & voluptatibus abundaſſe. Quibus de rebus antiquiſſimi, ſapientiſſimique Patres conſentiunt. Dolebant igitur, mœrebantque caſum ſuum, quod nondum ſummi boni poſſeſſionem inierant: lætabantur, & gaudebant aliis de cauſſis, quæ ſtudioſe a nobis expoſitæ ſunt, quæque luctum incredibiliter leniebant, atque allevabant, ſic omnino, ut ſe, & qua utebantur, conditione contenti, beatique ex parte eſſe poſſent. Nobis enim ad vincendum ſatis eſt, quod narratur apud Lucam de Lazaro: *nunc autem hic conſolatur*. Viduitas, orbitas, luctus cæteri, in quibus homines quam creberrime ſunt, numquid efficiunt, ne maximis interim bonis, & voluptatibus perfruantur? Finge, nautas poſt longam, & difficilem navigationem perveniſſe aliquando tandem in portum incolumes, nec ſtatim tamen, quod aliqua res impedimento ſit, egredi e navi poſſe, ſe ſeque in terram recipere. Rogo, quantopere illos lætari videas, quibus gaudiis exultare, qua frui voluptatis dulcedine? Dici non poteſt. Et tamen, quod in navi continere ſe debeant, id eos mordet, lætitiiſque omnibus lætos eſſe non patitur.

163. Sed hactenus ex communi Patrum, Theologorumque ſententia, quæ late funditur, diſputavi. Quid ſi in Henrici Vici opinionem diſcederem? Tunc argumentis Cadonici, & Lamii ne reperiretur quidem locus. Negat enim vir doctus, piorum animos ullo modo in Abrahæ ſedibus doluiſſe: unde quod vulgo, & quadam ſermonis conſuetudine dici ſolet, *pœnam iſtic fuiſſe propter deſiderium videndi Deum*, *quo Patres tenebantur*, *non ita*, inquit, *accipiendum eſt*, *quaſi puniti fuerint pœna aliqua eos affligente: ſed quomodo Angeli dicuntur, exempli cauſſa, triſtari. Significaturque hac loquendi forma, ſtatum hic conſtitutorum fuiſſe quidem ſuo modo felicem, & beatum, ſed tamen non omnibus numeris perfectum, eo quod non fruerentur viſione Dei, quam ſummopere deſidera-*

*rabant*; *deſiderabant*, *inquam*, *pro ratione hujus ſtatus*, *hoc eſt*, *abſque pœna affligente. Quomodo cælicolæ etiam nunc deſiderant recipere ſua corpora. Alia namque eſt conditio hic aliquid deſiderantium*, *ubi ſpes*, *quæ differtur*, *affligit animam*, *ut tradunt divinæ litteræ* (*a*); *alia iſtic conſtitutorum*, *ubi Deus dicit*, *& conſequenter facit*, *ut etiam in ſuis deſideriis requieſcant* (*b*). Habes Henrici Vici, clari oppido, & illuſtris viri, de pœna damni ſententiam, quæ ut nova fortaſſe, atque improbanda videatur, at certe neque impia eſt, neque a religionis decretis, quæ hactenus prodierint, aliena, immo ne omni quidem in ſpeciem rationis præſidio deſerta. Nam ſæpenumero, etſi aliquid non habeas, & non habere te ſentias, idque concupiſcas, non doles tamen. In magno enim, me quidem judice, errore verſantur, qui omne deſiderium in malis, atque infelicitatis loco ponendum putant, ita ut nemo beatus eſſe poſſit, qui aliquid concupiſcat. Bipartienda videlicet deſideria ſunt, atque in duo genera conferenda: alia angunt animum, & excruciant, habentque ſollicitum, alia quietem, & tranquillitatem non adimunt. Primum genus eſt eorum, quibus homo valde mordetur, atque afflictatur, quod re, bonove careat, ad cujus adeptionem nititur, ita ut vix cætera, quibus potitur, bona animadvertat, & ſentiat. Exempla ſunt ambitioſi, qui tam inflammato honorum ſtudio ducuntur, ut, quamdiu eos non obtinuerint, vix ullam guſtare voluptatis partem poſſint. Hi non ædium ſplendore, non rerum copia, non ſermonis, non amicitiæ, non epularum dulcedine commoventur. Suæ illos cupiditates exedunt, ſuæ curæ, cogitationeſque conficiunt. Sed alia deſideria ſunt, quibus homines ita ducuntur, atque incitantur, ut quamvis libentiſſime potirentur bono, quo carent, id tamen facile patiuntur, nec mœrent, ſed potius aliis interim bonis, quæ parata ſunt, lætantur, & gaudent. Quæ deſideria ſerpunt per omnium vitas, nec felicitatem evertunt. Immo quæ deſideria vehementius inflammant animos, & admotis quaſi facibus ſtimulant, ſi cum ſpe conjungantur, tantam ſæpe hominem voluptate afficiunt, ut hanc ipſi etiam bono, cujus cupiditate fertur, anteponendam exiſtimet. Quemadmodum enim omnia deſiderata magis, quam aſſidue percepta, delectant, ſic non raro

(*a*) Proverb. cap. 13. ver. 12.
(*b*) De deſcenſ. J. C. ad Inf. ſect. 18.

raro fit, ut optata ſua ſtatim conſequi homines nolint, arbitrantes, adeptionem boni eo ſibi ſuaviorem, & jucundiorem futuram, quo illud diutius deſideraverint, atque exſpectaverint. Ac niſi in argumento Theologico, & majeſtatis, ſanctitatiſque pleniſſimo verſaretur oratio, aleatorum ego adhiberem exemplum, qui cum puncto temporis poſſint cognoſcere, num ludus bene, ut ſperant, proſpereque ceciderit, explorant tamen gradibus, moramque interponunt. Quæ eis mora voluptatis plus affert.

164. Sed facit argumenti gravitas, ne hoc utar exemplo. Illud Franciſcus Maria Zanottus, cujus protuli, atque illuſtravi doctrinam, excellens ingenio, ſapientia, exiſtimatione Philoſophus, opportunius adhibuit (*a*); Vici autem quæ opinio fuerit, & quibus rebus in ſpeciem defendi poſſit, ſatis explicatum eſt. Pii, ipſius ſententia, in ſinu, gremioque Abrahæ lætabantur, & quamvis ſummo bono carerent, ſubiiſſentque damni pœnam, ea tamen re non mœrebant, nec ardens, quo ferebantur, videndi Dei deſiderium, tranquillitatem vitæ, nec gaudium minuebat. Sed, ut omittam Theologos, Patres, quod ante dixi, ab hac tota ratione diſſentiunt. Partim enim, ut Athanaſius (§. 53.), Gregorii duo, Turonenſis, & Magnus (§. 54.), Anaſtaſius Sinaita (§. 54.), & adhuc multo plures perſpicuis verbis ſtatuunt, piorum animos doluiſſe, quod coram Deum videre, atque intueri non poſſent; aliorum, ut non eadem oratio ſit, eadem eſt certe quidem, immutatáque ſententia. Accedit, illud Petri in Apoſtolorum actis teſtimonium, *quem* Jeſum Nazarenum *Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus Inferni, juxta quod impoſſibile erat, teneri illum ab eo* (*b*), neque ad impios referri poſſe, qui in obſcuriſſimo terræ carcere æternas ſcelerum pœnas luunt (§. 11.), neque ad bonos, qui anteactæ vitæ labes in Purgatorio eluebant (§. 15.): reliquum eſt igitur, ut intelligatur de piis, qui eodem, quo Abrahamus, quaſi domicilio utebantur. Hinc autem ſequitur, eorum animos aliquo ſaltem dolore cruciatos fuiſſe, quem propterea Dei Filius in ſubterraneas illas regiones profectus levaverit, atque depulerit. Sed ſunt, qui cum Harduino inſuſurrent, in Actis græce legi, λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου, *ſolutis doloribus* non In-

 ferni

(*a*) Ragionam. cont. il Sig. Maupert. cap. 2. Nella Filoſ. Mor.

(*b*) Cap. 2. ver. 24.

ferni quidem, ſed *mortis* [44], qua ſcriptura non parum fortaſſe hujus argumentationis vis elevatur. At in explicando etiam

44 Hic locus tam multis obſtructus eſt difficultatibus, ut crucem Interpretibus fixerit. Nec fuit tamen, cur Græcam Harduinus ſcripturam, *λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου*, tam fidenter, ut ſolet, tamque animoſe inculcaret. Non more hominum loquitur, ſed fundit oracula. Noſtin, quibus nixus præſidiis? Auctoritate Genevenſium, qui eum locum, ideſt Petri verba ita verterunt, *ayant deſſiè les douleurs de la mort*. Præclaros ſane, & luculentos Interpretes! Ego autem voco vel ad ipſum Richardum Simonium, qui ut ſæpe lineas tranſiliverit, in Gallica tamen novi Teſtamenti editione (Vid. Diſſert. noſtr. de Cultu J. C. a Magis adhibito init.) Latinum ſecutus Interpretem reddidit, *mais Dieu l'a reſuſcitè, l'ayant exemptè des douleurs de l'Enfer*. Nititur autem conſenſu, & fide codicum, Stephani nominatim Roberti, Cantabrigienſis, atque aliorum, præferentium non θανάτου, mortis, ſed Ἅδου, Inferni. Editiones etiam Syra, & Arabica Inferni vocabulum retinent. Joannes Millius multo eſt magis Harduino adverſarius. Ei nempe θανάτου vox, quæ occurrit in libris, codicibuſque compluribus, interpretatio eſt verbi Ἅδου, quæ paullatim ex libri ora in ipſum contextum irrepſerit, expulſa voce Ἅδου (In Proleg. ad Nov. Teſt. num. 285.) Sed & eandem, quam Latinus Interpres, ſcripturam probavit, atque retinuit, auctor Græcæ Eccleſiæ vetuſtiſſimus, Polycarpus in aurea ad Philippenſes epiſtola: ὃν ἤγειρεν, inquit, ὁ θεὸς *λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ* Ἅδου, *quem reſuſcitavit Deus, diſſolvens dolores Inferni*. Num. 1. edit. Cotel. Et Irenæus Lugdunenſis Antiſtes in tertio adverſ. Hær. cap. 12. num 2. *quem Deus excitavit, ſolutis doloribus Inferorum*. Epiphanius autem quamvis in ἀνακεφαλαιώσει utatur θανάτου, *mortis*, ut ſæpe dixi, vocabulo, in Anchorato tamen, & in hæreſi, quæ eſt Ariomanitarum, verbum Ἅδου uſurpavit. Sileo Latinos Patres, & in his Auguſtinum. Satis enim perſpicuum eſt, nihil cauſſæ fuiſſe, cur tanquam ex tripode Harduinus decerneret, legendum græce eſſe θανάτου, non Ἅδου. Quanto moderatior Auguſtinus Calmetius, qui cum in notis Græcæ editionis verba adſcripſiſſet, addit e veſtigio, a pluribus legi *ὠδῖνας* Ἅδου, Milliumque teſtem appellat?

II. Sed hæc tolerabilia videri poſſunt. Illud (abſit verbis invidia; moveor enim religionis ſtudio, non odio, neque malevolentia), illud ferri nullo modo poteſt, quod poſtea ſubjicit, ut ſe, ſuamque ſcripturam tueatur. *Eſt enim Infernus*, pergit, *toto iſto Actorum capite, & in loco, quem Petrus ex Davide allegat, ſepulchrum. Et ita poſtulat argumentum, quod Petrus tractat in ſua concione. Dolores autem ſepulchri Petrus appellat, appetitum innatum animæ ſeparatæ, quo vehementer cupit ſuo iterum conjungi corpori. Soluti ſunt autem hi dolores ſepulchri, reſurgente Chriſto*. Not. in hunc loc. & in Paraphr. Paucis verbis tria magna peccata. Unum, quod firmiora noſtrorum, & locupletiora argumenta convellit, quibus Dei Filium, obita morte, re, & præſentia migraſſe ad Inferos oſtendi ſolet. Alterum, quod affirmet, argumentum Petri poſtulare, ut toto ſecundo capite Inferni nomine intelligatur ſepulchrum. Tertium, quod de doloribus addidit.

III. Ad primum, quod attinet, placet verba deſcribere Hiacynthi Serry, non diſſimilem Joannis Clerici opinionem refutantis. Exercit. enim 58. num. 2., ubi

etiam teſtimonio ſic inter ſe ſummi viri diſſentiunt, ut ſingulorum moleſtum ſit annumerare ſententias; quod ex appoſita



ubi de Chriſti deſcenſione ad Inferos diſſerit, cum ad rem demonſtrandam eximium Davidis locum ex ver. 10. pſal. 15. *quoniam non derelinquer animam meam in Inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, in medium protuliſſet, progreditur in hæc verba, quæ magnopere eum iratum eſſe Clerico luculenter declarant. *Quare ingentis impietatis, atque audaciæ reus eſt Joannes le Clerc, ſub Joannis Phereponi larva deliteſcens, qui pro Inferno ſepulchrum illic intelligi vult, idque apud Hebræos ſonare ait, vocabulum Scheol, quo Regius vates eſt uſus..... Si enim ita eſt, ut Pherepónus effutit, Hebraici vocabuli poteſtatem ignoravit Petrus, Judæoſque, quos illic alloquebatur, aperte deluſit. Perſpectum quippe eſt, eum Regii vatis oraculum recitaſſe, ut Chriſti excitationem ex Inferis, ad quos deſcenderat, palam evinceret.* Edit. Ven. an. 1719. Quid tibi animi, Hiacynthe Serry, ſi in Harduini locum incidiſſes, qui Catholicum ſe profeſſus tam licenter deinde cum Hæreticis loquitur? Sed horum, atque adeo Harduini explicatio quo numero habenda ſit, §. 8. docuimus. Unum hic moneo, conſentiens eſſe Patrum judicium, Davidem, & Petrum de glorioſa divini Filii ad Inferos profectione locutos fuiſſe. Quod ipſum præter ſcriptores, ad quos Lectorem eo loci rejecimus, multo ante graviſſimis etiam rationibus demonſtraverat Henricus Vicus opuſculi ſui ſect. 11. & ſeqq.

IV. Cæterum ne licenter videatur errare, errorem approbare Harduinus conatur. Argumentum, ait, quod Petrus in ſua illa ad Hebræos concione tractabat, omnino poſtulat, ut toto ſecundo Actorum capite Inferorum vox ſepulchrum ſignificet. Belle ſane. Principio enim afferre rationem debuerat. Ratio enim apud nos, non Harduini valet auctoritas. Deinde obſtant, & impediunt omnia, quæ mox animadverti (III.). Præterea quoniam Petrus accuratiſſimam ad Hebræos de Chriſti morte, ſepultura, reditu a mortuis, aliiſque id genus rebus orationem habuit, inſtituti etiam ratio poſtulabat, ut illius migrationem ad Inferos explicaret. Quod autem explicaverit, negare iterum Harduinus non poteſt. Nam cum verſu 24. legi ejus ſententia debeat, *ſolutis doloribus mortis*, non *Inferni*, Petrus autem verſibus 27., & 31. Infernum conſtanter commemoret, æquum eſt, ut his locis non mortem, neque ſepulchrum accipiamus, ſed Inferos.

V. Nego etiam, quod noſter addit de ſepulchri doloribus. Nempe anima Chriſti nullo modo poſt mortem doluit, quod exceſſiſſet a corpore, ideſt hujus deſiderium nullam ei neque triſtitiam, neque ſollicitudinem afferebat. Piorum animi, qui beati in cœlo ſempiterno ævo fruuntur, copulari iterum cum ſuis corporibus cupiunt, propterea tamen non dolent, & ne leviſſima quidem afficiuntur moleſtia.

VI. Porro veriſſime ego initio poſui, Petri teſtimonium, *ſolutis doloribus Inferni*, crucem Interpretibus figere. Magna eſt enim, ac pene incredibilis opinionum varietas. Beda ſic exiſtimat, Chriſtum, cum abiiſſet ad Inferos, omnem dolorem a piorum animis, qui ipſius adventum in ſinu Abrahæ exſpectabant, ſua præſentia depuliſſe. Licet enim quiete ibi, atque hilare viverent, jucundiſſima ducti, atque lætabili bonorum ſpe, quorum eſſent

in

Digitized by Google

nota perſpicies. Nihil ego igitur de opinione Vici ſtatuerim; doctiores, quorum illam ingeniis conſiderandam, cognoſcendam-

in cœlo poſſeſſionem adituri, in aliqua tamen erant moleſtia, nonnihilque videndi Dei deſiderio angebantur. Retract. in Acta Apoſt. Bedæ ergo judicio ante id temporis in Dei conſpectum non venerant. Vides, ut latere veritas nequeat? Ut prodire, atque erumpere geſtiat? Nec opinanti mihi nova ſe offert, qua Cadouicum urgeam, & locupletiſſima auctoritas. Novis etiam præſidiis doctrinæ ratio, quæ toto hoc capite a nobis conſtituta eſt, tegitur, ac firmatur.

VII. Multo aliter ſenſit Salomon Deylingius, homo heterodoxus, ſed eruditus tamen. Is parte 3. Obſervat. ſacrarum, quæ Lipſiæ exire in vulgus cœperunt anno 1735., de Petri loco ſermonem inſtituit tota obſervatione 57., aggrediturque ad docendum, Petri verba non aliud ſonare, quam mortis funes, ac vincula, quæ cur morti tribuantur, multis conatur oſtendere. Ea opinio noſtris etiam hominibus, qui ante Deylingium fuerunt, probata eſt, auctoribus Cornelio a Lapide, atque Calmetio. Sed poterat homo ille in bona cauſſa verſari, quin virus acerbitatis ſuæ adverſum noſtros evomeret, atque in viros optimos, & doctiſſimos inſultaret. Abripitur enim partium ſtudio loco, & tempore non neceſſariis, odioque ſe ad judicandum moveri imprudenter patefacit, eum num. 3. impia Calvini, cujus nomen occultat, opinioue refutata, argumeutum his verbis proſequitur. *Nonnulli Servatoris honori conſulturi nolunt, Chriſtum ad Inferorum tormenta detrudere, ſed exiſtimant, Chriſtum ad Limbos tantum, vel ad locum, purgandis animabus deſtinatum, deſcendiſſe, ubi ſolverit dolores captivorum, eoſdemque vinculis Tartareis ſolutos in libertatem aſſeruerit, & in beata, ac gaudii plena ſede collocarit. Hæc ineptiſſima Thomæ Aquinatis, Cajetani, Cornelii a Lapide, Lyrani, Bellarmini, Fevardentii, Suareſii, Coſteri, aliorumque ſententia eſt Pontificiorum, qui altercationibus indulgentes ſe mutuo impetunt, & quo pedem tuto figant, nuſquam inter ſe conveniunt. Conſ. B. Jo. Gerhardus in h. l.* Sic nempe homo modeſtiſſimus Latinorum, ſeu Poutificiorum, quos vocat, refellit ſententiam. Veritas, mi Deylingi, rationibus, ſi forte neſcis, non petulanter dictis, neque contumeliis obtinetur. Oportet etiam, cenſorem ſumma eſſe fidelitate. Tu utraque in re (ne, quæſo, ſuccenſeas) graviter peccas. Etſi enim non ſit hujus loci proprium diſputare, num Latinorum ſententia ſuperiore illo Petri teſtimouio legitime defendatur, hoc certum eſt, loco ejuſmodi non omnes pugnaſſe auctores, quorum verbis tam parum officioſis memoriam uſurpas. Eorum tu doctrinam ineptiſſimam vocas. Gaudeo. Totum enim te mihi patefacis, malevolum hominem, moroſum, difficilem, maximarumque, & plurimarum rerum ignarum. Ineptias ne olet illa ſententia, ad quam ornandam, atque illuſtrandam loca omnia Theologica ſecum conſpirare mirabiliter videas? Tu, quoniam in deſperata cauſſa facere fidem non potes, callide adiri jubes Gerhardum, quem beatum communi tuorum omnium ſtupiditate mentis appellas, cum potius ejus vicem dolere, deplorareque miſeriam omnibus lacrymis debuiſſes. Ego autem, etſi beatus non ſim, me conſulas, velim, quod ſi facies, & pertinaciam, quæ mentis excæcat oculos, legendo abjeceris, errorum, & levitatis te tuæ facile pœnitebit. Boni certe viri officia a me deſiderare non poteris.

damque permiſto, incorruptius judicabunt, idque ut faciant, eos non ſolum ſuadeo, verum etiam rogo.

# CAPUT XIII.

*Poſt brevem cum nupero Lucii Ferraris editore certationem de loco, ubi Abrahæ ſedes conſiſteret, refutantur argumenta, quæ Cadonicus ex voce Limbi, ex piorum ſanctitate, ex ſuæ opinionis uſibus, præſtantiaque deſumit; tum quæ hiſtoria de Lazaro, & mors Simeonis ſuppeditant, quæ denique a Martinio, Cattenburgbio, & ſimilibus afferuntur. Agitur de obſcuritate, & tenebris ſinui Abrahæ opinione vulgi attributis. Fas eſſe Theologis novo rem unamquamque nomine appellare. Num quæſtio, quæ nobis eſt cum Cadonico, eruditionis fines egrediatur, ſeſeque in religionem inſinuet. Toletani IV. Concilii locus in hanc rem animadverſione digniſſimus.*

165. QUas ad ſuæ ſtabilitatem, firmamentumque ſententiæ ex doctrina ſuperioris capitis rationes depromebat Joannes Cadonicus, fuſe, ac diligenter, credo, refellimus. Sed illarum ruinas nullius nec viribus, nec ingenio fulciri poſſe, argumentatione nunc ſua uberius etiam demonſtrabit eruditiſſimus ille, atque ornatiſſimus vir, qui nuper Lucii Ferraris Bibliothecam lectiſſimis notis, & acceſſionibus illuſtravit, quocum ſcilicet capite 10. §. 121. longum nobis, ſed honoris plenum, ac verecundiæ, de ſinu Abrahæ certamen fuit. Is enim alia, atque alia argumentatur ratione, & via. Nempe ex rebus ſuperiore capite conſtitutis non illud quidem effici exiſtimat, ante Filii obitum piorum ſe Deum animis videndum, perſpiciendumque objeciſſe, ſed hoc potius, ſinum Abrahæ apud Inferos relinqui non poſſe, atque alio transferendum. Nam cum, inquit, nobiliſſimus ille animorum cœtus, atque conventus honeſtiſſimis ibi & ſolatiis, & voluptatibus frueretur, ſolatiorum autem, ac voluptatis regio pugnet cum carcere, in intimis terræ latebris abdito (carcer enim amænitatem non habet), neceſſario exiſtit, ſinum Abrahæ apud Inferos non fuiſſe.

166.

Digitized by Google

166. I. Cui nos argumento tunc reſpondimus (ibid.IV.), delicias, bona, voluptateſque animi magis rebus ipſis, quam regione, & loco, ubi quiſque ſit, metiendas eſſe. Quam multi exſilii moleſtias aut doctrinæ ſtudiis, aut aliis oblectationibus levaverunt? Epicureorum vox fuit, ſapientem virum, ſi in Phalaridis tauro incluſus ſuppoſitis ignibus torreretur, id ſuave dicturum (not. 29.), ſimiliterque Carteſii, poſſe hominem in maximis, atrociſſimiſque doloribus ſe ſemper, ſuaque fortuna eſſe contentum, modo ratione uti noverit (§.158.II.). Hiſpanus ille ſervus, de quo Livius (*a*), cum Aſdrubalem ob iram interfecti ab eo domini obtruncaſſet, comprehenſus *a circumſtantibus, haud alio, quam ſi evaſiſſet, vultu, tormentis quoque quum laceraretur, eo fuit habitu oris, ut ſuperante lætitia dolores, ridentis etiam ſpeciem præbuerit*. Sed longe ego oratione vagor, qui tam remota conſector. Paulus, ſummus ille, & divinus populorum Apoſtolus, nonne in omni tribulatione ſuperabundare ſe gaudio affirmabat? Nego igitur, deliciarum, voluptatiſque locum, & carcerem pugnare inter ſe. Differt ſcilicet carcer a carcere, non ejuſdem omnes, nec unius ſunt generis. Itaque felicitatem hominis imminuere carcer poteſt, evertere, & labefactare non poteſt. Abundat enim exemplis vita. Viris nobilibus, aut dignitate præſtantibus, principibus, Regibus liberæ, quæ decernuntur, cuſtodiæ quid commodi, quid oblectamentorum, quid voluptatis non habent? Cuſtodiæ ſæpe ſunt, quæ invidiam magis, quam miſerationem commoveant. Nec potuit Deus, infinita præditus ſapientia, rationem invenire, ut piorum familia uſque ad obitum Filii in honeſta quadam aſſervaretur cuſtodia, ubi interim tranquillam, felicemque pro illis temporibus vitam traduceret?

II. Quamquam quid diutius carcerem vereor dicere? Neque enim abſurde id fieret, ſi diceretur. Nam Patres, divinæque litteræ verba de illis cum faciunt, nunc carceres, nunc ergaſtula, nunc vincula, catenas, vectes ferreos, atque alia etiam horribiliora vocabula memorant, ut infinitæ propemodum, quæ diligenter a nobis expoſitæ ſunt, auctoritates demonſtrant. Multorum etiam Theologorum, nominatimque Suarezii (*b*), judicio carcer ſinus Abrahæ non immerito dici po-

(*a*) Lib. 21. cap. 2. (*b*) In 3. par. D. Thom. par. 2. diſput. 43. ſect. 3. pag. 283. edit. Ven. 1746.

Digitized by Google

poteſt. Piorum ſiquidem mentes eo receptæ, inde egredi, & exire non poterant, a cœleſti patria exulabant, atque ab hujus aditu, ingreſſuque arcebantur.

III. Verum hoc nullo modo efficitur ex ipſa docti adverſarii ratione. Etſi enim Abrahæ ſinum ad Inferorum loca pertinere exiſtimemus, eum idcirco inſtar carceris habendum eſſe colligi, cogique nequit. Potuit enim Deus locum apud Inferos conſtituere, ac præparare, in quem piorum animi nulla peccati labe inquinati diſcederent, cui tamen carceris nomen, neque notio conveniret. Quæ res declarari etiam poteſt veterum poetarum, ac Philoſophorum ſententiis. Etſi enim non omnes, complures certe piorum ſedem, & locum, ubi beate, atque feliciter viverent, apud Inferos locaverunt, appellaveruntque non carceris, non cuſtodiæ, non alio ejuſmodi nomine, ſed vocabulo proprio, & ſuo Elyſium, cujus amænitatem iis pinxere coloribus, ut nihil fieri eo poſſe lætius, aut jucundius videatur. Hinc illud Anchiſis patris ad Æneam apud Virgilium.

*............. Non me horrida namque*
*Tartara habent, triſteſque umbræ, ſed amœna piorum*
*Concilia, Elyſiumque colo* (*a*).

Quæ cum ſint, carcerem, ſi placet, ſinum Abrahæ appellabimus, non eam quidem ob cauſſam, quod apud Inferos fuerit, ſed quod ita & ſacræ litteræ, & Patres, & Theologorum judicia poſtulent.

IV. Si quis vero paullo eſt delicatior, ut ejus aures horridulo carceris nomine offendantur, is, providentibus nobis (urbani enim eſſe, & videri volumus), leniori vocabulo uti poterit, rei triſtitiam mitigante. Appellabit ergo receſſum, receptaculum, honeſtum quoddam, & opportunum diverſorium, locum, ut nunc Italice loqui ſolemus, depoſiti. Eſt enim verborum inops interdum, quibus abundare a multis creditur, Latium. Videtur Tertulliano diverſorii vox placuiſſe (*b*), receſſum maluit Ambroſius ſinum Abrahæ dicere (§.146.), auctor, qui ſub ejuſdem Ambroſii nomine latuit, liberam (§. 61.), refrigerii locum Hieronymus (§.38.), Eucherius (§. 43.), Theophilus (§. 59.), loca tranquillitatis, & lucis Lugdunenſis Eccleſia (§. 98.), alii aliter. Patres vero reliqui, & divinæ litteræ, dum utuntur carceris, vinculorum, cæte-

(*a*) Lib. 5. (*b*) Vid. ejus lib. de anim. cap. 55.

Digitized by Google

cæteriſque id genus vocibus, non abſurde, neque temere dici poterunt minus proprie, ac ſevere loqui, vel figura ea vocabula non carere.

167. Qui tamen carceris nomen retinendum putabunt (neque enim, ut accidit, defuturi fortaſſe ſunt, qui ita judicent), hi ſine dubio urgebunt illud, Abrahæ ſinum obſcurum, & tenebricoſum fuiſſe. Eſt hæc vulgi opinio, multorum adhuc frequentata ſermonibus; ſed antequam ſententiam meam aperio, quid ea ſuper re ſcriptum Albertus Magnus reliquerit, exponendum eſſe cenſeo. Sic igitur noſter iſte. *Limbus Patrum erat in tenebris quoad hoc, quod viſionem Dei non habebant, tamen aliquid lucis habuerunt gratiæ interioris propter felicem fidem, & ſpem, qua Redemptorem exſpectarunt* (*a*). Piorum ergo ſedem, & locum obſcurum, ut credas, & tenebris obſitum, quod nondum, ut loquebatur Chryſoſtomus (§. 118. VI.), divinus juſtitiæ Sol ibi fulſerat, facile ego, Alberto duce, libenterque conceſſerim. Utrum vero obſcurus haberi debeat, quod externi luminis expers omnino eſſet, quis poſſit diſtincte, definiteque ſtatuere? Hoc certum, atque exploratum exiſtimo, bonorum animos nulla Solis, aliorumque ſiderum luce, ut quiete, atque hilare viverent, eguiſſe; quod eleganter Hieronymus Agnellius, pius, ut ante dixi, atque eruditus Poeta, his proſecutus eſt verſibus.

*Queſta ſede a quell' egre Anime poſe,*
*E alle vane ricerche Iddio le aſcoſe.*
*Non che de i rai della diurna luce*
*Sepolte anco nel centro uopo abbian l'Alme,*
*Come qui, dove il Sol ſcalda, e riluce,*
*Uſe eran già nelle mortali ſalme,*
*Che il raggio interior, che le conduce*
*In ſe ſteſſe le fà ſerene, ed alme:*
*E' la voglia il lor atto, e non convienſi*
*A sì pronto eſeguir la via de' ſenſi* (*b*).

Producit autem in adjectis notis, quibus veluti luminibus, Poema identidem ſuum illuminat, divinum illud Joannis teſtimonium, *& non egebunt lumine lucernæ, neque lumine Solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos* (*c*), quod etſi propius ad cives, atque habitatores cœli conveniat, quibus ſe

(*a*) In cap. 16. Lucæ. (*b*) Limbo, Canto 1. pag. 12.
(*c*) Apocal. cap. 22. ver. 5.

ſe Deus in conſpectum dat, naturam, numenque ſuum patefaciens, tamen huic etiam loco non inſulſe aptari poteſt.

168. Interea Turrianus cum ſinum Abrahæ lucidum feciſſet (*a*), amice eum Suarezius objurgavit, quod nullis factum ſuum rationibus approbaſſet, tenebraſque confeſtim in priſtinum ſtatum reſtituendas curavit (*b*). Nobis ſtudioſe cavendum eſt, ut hujus Theologi reprehenſiones vitemus, néve ejus famam, aut exiſtimationem violare videamur. Si cui tamen placuerit in beatas illas Abrahami ſedes lucem, motis e loco tenebris, introducere, huic nos, bona cum Suarezii venia, de nonnullis veterum teſtimoniis ultro accommodabimus. Etenim ſinum Abrahæ lumine aliquo colluſtratum fuiſſe, tradidit non ſolum auctor operis adverſus Platonem, in quo Hippolyti nomen inſcribitur (§. 30.), ſed etiam auctor carminis adverſus Marcionem (§. 58.), &, cujus multum valere debent judicia, Lugdunenſis Eccleſia (§. 98.). Sed hæc parcius attingere debeo, præſertim cum expeditiſſimam jam mihi viam muniverim ad diluenda adverſariorum objecta.

169. Ex duobus vero fontibus ducuntur argumenta, quibus partim Cadonicus, partim Heterodoxi conantur Hebræorum Patres, pioſque cæteros in Dei conſpectum admittere, ante etiam, quam unigena Filius ad Inferos diſceſſiſſet. Alia ſcilicet ſuppeditat ratio, alia antiquorum auctoritas. Quæ ex auctoritate manant, rejiciam in conſequentia capita, quæ ex ratione, refellam hoc loco, ordiarque a Cadonico. Equidem multa jam argumenta, ex variis petita fontibus, occaſione data, confutavi, ſed tamen reſtant nonnulla, quæ ſubmovere debeo, ne quid in præteritis relinquatur.

170. Primum, ut fatear, leviuſculum eſt, multorumque opibus Theologorum nobis adverſus illud ſepti eſſe, & muniti videmur. Sumitur enim ex Limbi nomine, quod Cadonicus toti Patrum antiquitati ignotum fuiſſe dicit, atque inauditum (*c*), excogitatumque a Scholaſticis; Limborchius vero in ſacris litteris non reperiri (*d*). Eodem argumento uſi olim ſunt Ariani, ut vocem homouſion rejicerent, Neſtorius, ut vocem Theotocos, recentiores Hæretici, ut voces Sacramentum, Tranſubſtantiatio, Purgatorium, Indulgentia, atque alias id genus permultas, quibus præcipua noſtræ religionis ca-

 pita,

(*a*) Lib. 4. pro epiſt. Pontif. cap. 12. (*b*) Ibid. diſp. 42. ſect. 2. pag. 367.
(*c*) Dial. pag. 28. (*d*) Theol. Chriſt. lib. 3. cap. 13. num. 26.

Digitized by Google

pita, atque myſteria continentur. Quid his Patres, & Theologi reſponderint, vel ipſis notum eſt in rerum divinarum diſciplina tironibus, verſaturque in ore omnium celeberrimus Auguſtini locus, Arianorum ratiunculas depellentis. *Non ait* Paulus, inquit vir ſanctus, devita *verborum novitates, ſed addidit profanas. Sunt enim & doctrinæ religionis congruentes verborum novitates, ſicut ipſum nomen Chriſtianorum, quando dici cæperit, ſcriptum eſt. In Antiochia enim primum poſt Aſcenſionem Domini appellati ſunt diſcipuli Chriſtiani, ſicut legitur in Actibus Apoſtolorum; & Xenodochia, & Monaſteria poſtea ſunt appellata novis nominibus, res tamen ipſæ & ante ſua nomina erant, & religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur*. Vigilius etiam Tapſitanus in eo Dialogo, in quo Athanaſium, atque Arium coram Probo diſputantes inducit, hoc tradidit, quoniam rei antiquæ novum nomen, ut putat, homouſiòn acceſſerat, non eſſe idcirco rem ipſam una cum vocis novitate repudiandam, atque damnandam [45]. Idem igitur a nobis in cauſſa ſimili reſponſum feret Cadonicus, vocis *Limbus* exprobrans novitatem. Ea vox abeſt a ſacris litteris, vetuſtis Patribus ignota fuit, atque inaudita; res tamen ipſa, quæ ei voci ſubjicitur, utrobique eſt, immo tam claris argumentis, ſignisque lucet, ut nihil magis lucere poſſit. Limbus enim receptaculum quoddam, vel diverſorium nobis ſignificat, quo excipiebantur bonorum animi, a quibus nihil luendum, expiandumque ſupererat, ubi ut nullam pœnam, quæ extrinſecus admoveretur, perferrent, jucundiſſimo tamen Dei adſpectu privabantur. Fuiſſe autem hunc locum, cui poſtea, ne quis falleretur ambiguo, Limbi nomen impoſitum eſt, & tota Patrum antiquitas, cujus omnes latebras inveſtigavimus (§.19—75.), & divinorum librorum oracula (§.115—124.) plane ad veritatem perſuadent. Nulla me cogit neceſſitas, poſtquam de Patribus longiſſimam diſputationem inſtitui, alias illorum auctoritates in adſpectum publicum proferre: quoniam

45 Scite hæc prorſus, & appoſite Vigilius Tapſitanus: ſed quod Athanaſium loquentem facit de novitate verbi homouſion, in eo virum doctum humani aliquid paſſum eſſe, multo jam ante in Diſſertatione de hac voce monuimus. Not.5. Homouſii enim vocabnlum longe ante Nicæna Comitia a Majoribus noſtris uſurpatum eſt, ut ipſis illorum teſtimoniis demonſtravimus. Addi hic poſſet Gregorii Thaumaturgi auctoritas, niſi orationem in Theophania, ubi dictio homouſion legitur, abjudicandam Gregorio eſſe doctiſſimi homines confirmarent. Sed ejus nos auctoritatis præſidiis non egemus.

niam tamen ad manus habeo, accipe S. Paterii teſtimonium, qui ſuos in ſacras litteras commentarios ex Gregorii Magni, cui in diſciplinam ſe dederat, operibus adornavit. Is enim lib. 1. in Gen. cap. 28. de hominibus ante Chriſtum defunctis e re noſtra ſic loquitur, *Quia ante adventum mediatoris Dei, & hominis, omnis homo, quamvis mundæ, probatæque vitæ fuerit, ad Inferni clauſtra deſcendit, dubium non eſt: quoniam homo, qui per ſe cecidit, per ſe ad Paradiſi requiem redire non potuit, niſi veniret ille, qui ſuæ Incarnationis myſterio ejuſdem nobis Paradiſi iter aperiret. Unde & poſt culpam hominis ad Paradiſi aditum romphæa flammea poſita eſſe memoratur, quæ & verſatilis dicitur pro eo, quod quandoque veniret tempus, ut etiam removeri potuiſſet.* En Limbum, quem dicimus, apertiſſime toto hoc loco niſi verbis, re quidem certe Paterio cognitum, & probatum.

171. Videamus nunc, ut duobus ante ſæculis Calvinum, qui novitatem ejuſdem nominis obtrudebat (*a*), Henricus Vicus refellerit. Calvinus, ait, his adjungit illud, *poſteritatem affinxiſſe huic loco nomen Limbi: quaſi ſcilicet nullum nomen antea habuiſſet. Atqui Scriptura oſtendit, eum fuiſſe binominem: quippe quæ ipſum modo nomine Inferni complexa eſt, modo vocavit ſinum Abrahæ. Sed quia illud commune erat omnibus Inferis; hoc vero nunc ſignificabat cœlum, ipſo Abrahamo olim a Chriſto in id tranſlato, viſum eſt Scholis expedire, ut amphibologiæ, & circuitionis vitandæ cauſſa peculiari aliquo nomine appellaretur. Itaque Neoterici pro poteſtate imponendi locis nova nomina, etiam habentibus vetera, quam Deus hominibus liberam permiſit, vocaverunt eum Limbum. Quod nomen ſive Græcam, ſive Latinam ſignificationem ſpectes, familiaribus etiam Deo exoches, & metaphoræ tropis, ex doctrina Scripturarum profluit* (*b*). Hæc enim multa perſæpe tradit, quorum nomina præterit, aut excogitata deinceps fuerunt. Pentateuchus a Moſe editus nunquam mentionem fecit reſurrectionis mortuorum, & rem ipſam tamen docuit, teſte, atque interprete Dei Filio, erudiente Sadducæos (*c*). Ager ad ſepeliendos peregrinos emptus pecunia, qua Chriſtus venditus fuerat, appellatus ab Judæis eſt ager ſanguinis, idque Petrus, & Lucas memoriæ prodiderunt, quin



(*a*) Inſtit. lib. 2. cap. 16. ſect. 9. (*b*) Loc. cit. ſect. 19.
(*c*) Matth. cap. 22. ver. 31.

factum reprehenderint (*a*). Abrahamus locum, ubi erat immolaturus filium, vocavit, Dominus videt (*b*), Luzam Jacobus Bethel (*c*), idemque locum, ubi vidit Angelum, quocum luctationem iniit, Mahanaim, & Phanuel appellandum putavit (*d*). Nobilitata autem in hoc philoſophiæ genere Iſaaci eſt ſapientia. Nam cum ejus pueri complures puteos effodiſſent, ſingulos confeſtim ſuis diſtinxit vocabulis, nominavitque ex rei eventu calumniam, inimicitias, latitudinem, abundantiam (*e*). Eodem ſpectant nomina Segor (*f*), ſepulchra concupiſcentiæ (*g*), torrens Botri (*h*), planctus Ægypti (*i*), tentatio (*k*), aquæ contradictionis (*l*), & alia infinita, quæ paſſim in ſacris codicibus uſurpantur, certiſque locis adjecta ſunt judicio hominum, ac voluntate. Ex quo patet omnibus, atque in promptu eſt, non potuiſſe ſolum, ſed jam inde ab omni antiquitatis memoria conſueviſſe homines, divinis factum litteris approbantibus, nova rebus nomina aptare, atque tribuere; quam eorum poteſtatem, & vim qui ignorant, ii omnium rerum ſe eſſe inſcios oſtendunt, qui vero ſcientes, prudenteſque labefactare moliuntur, & evertere, horum nos conatus omni ope, ac ſtudio debemus reprimere. Sed de Limbi nomine pluſquam ſatis, ut verear, ne in re non dubia rationes attulerim minime neceſſarias.

172. Alterum affert argumentum Cadonicus in litteris familiaribus, exeunte ſuperiore anno, ideſt tertio Kalendas Januarias Cremona Viennam datis ad Familiæ noſtræ hominem, Florianum Dalhamum, virum clariſſimum, atque ornatiſſimum, in Sabaudica Nobilium Academia Philoſophiæ, & Matheſeos Profeſſorem, eundemque editis in lucem operibus de utroque ſtudiorum genere optime meritum. Sed hoc ego de viro, quem honoris, atque amicitiæ cauſſa libentiſſime hic nomino, fuſius ſum, atque opportunius capite ultimo dicturus. Ducit autem argumentum Cadonicus ex ipſa Patrum ſanctitate, & juſtitia. Qui cum nulla erroris humani culpa tenerentur, niſi in ſinu Abrahæ Dei lætati eſſent præſentia, multum certe inter noſtram, illorumque juſtitiam, ac ſanctitatem diſtare

(*a*) Act. cap. 1. ver. 19. (*b*) Gen. cap. 22. ver. 14.
(*c*) Ibid. cap. 28. ver. 19. (*d*) Gen. cap. 32. ver. 2. & 30.
(*e*) Ibid. cap. 26. ver. 20. 21. 22. & 33. (*f*) Ibid. cap. 19. ver. 22.
(*g*) Num. 21. ver. 14. (*h*) Ibid. cap. 13. ver. 25.
(*i*) Gen. cap. ult. ver. 11. (*k*) Exod. cap. 17. ver. 7.
(*l*) Numer. cap. 8. ver. 12.

ſtare videretur. Nunc enim mortui in Dei conſpectum puncto temporis avolamus: priſci autem, quantacumque eſſent vitæ innocentia, vadebant ad Inferos, a videndoque, & perſpiciendo Deo penitus arcebantur: quæ res, ſi quidem contigit, non aliunde, quam ex ipſa juſtitiæ natura repeti poteſt. Sed hæc ratio, & oratio, quam enervata putanda ſit, & elumbis, quam dedeceat perſpicacitatem Cadonici, piget me dicere: tantum ego docto homini tribuo. Antiquorum, & noſtra juſtitia eadem eſt, atque ut nos, ſic illos dignos faciebat, ut abeuntes e vita venire in Dei conſpectum poſſent, boniſque adeo frui omnibus, nullo adjuncto malo. Similiter omni illi culpa vacabant, ea etiam, quæ hæreditaria eſt, & nativa, originaliſque nomine proprio, & ſuo appellatur. Nihilominus cum propter primi parentis flagitium noſtrum genus a cœleſti regno excidiſſet, a Deique conſpectu longe ejectum fuiſſet, hunc priſci ſtatim ab obitu videre non potuerunt, quod nondum ſempiternus Patri Filius de injuria ſatisfecerat, neque pœnas ei peccato debitas ſolverat (§. 137.). Non ipſa igitur juſtitiæ vis, & natura, non ulla culpæ labes, ſed communis peccati pœna erat, quæ homines priſcis illis temporibus ab adeundo, fruendoque Deo prohibuit. In hanc autem ſententiam intelligi debent, utque intelligantur, volo, quæcumque toto hoc libro de hæreditario, vel communi hominum peccato aut meis, aut Patrum verbis diſſerui.

173. Plura alia in eadem epiſtola vir doctus adjungit; ſed ultro ego miſſa facio, ideo quia, ut ingenium Cadonici, atque eruditionem agnoſcam, rationum in rebus pondus deſidero. Ejuſdemmodi eſt etiam, quod alibi præteriens docet (*a*), atque approbatur a Lamio (*b*), futurum, ut dogma Catholicum de ſempiterna hominum beatitudine quatuor millium annorum vetuſtate corroboretur, ſi cum optimis quibuſque, & ſanctiſſimis ante Chriſtum mortuis Dei communicemus præſentiam. Quis enim neſciat, ſacroſancta religionis dogmata locorum magis Theologicorum vi, quam annorum numero ſe tueri? Pauli ad Hebræos epiſtolam divino afflante ſpiritu ſcriptam fuiſſe, conceptis verbis a Tridentinis primum Patribus conſtitutum eſt. Antea ut id vulgo, & communiter, nec ſine cauſſis graviſſimis, in Eccleſia crederetur, nonnulli tamen, ut Cajetanus, parum illi quidem religioſe, & modeſte, at

(*a*) Vind. cap. 16. pag. 267. (*b*) Novel. &c. in Dial. Cad. pag. 77.

at certe ſine hæreſis infamia, ac pertinacia eam rem in quæſtionem vocarunt. Numquid autem, Paulinam epiſtolam divinæ eſſe auctoritatis minus perſpectum, atque exploratum eſt, quam ſi jam inde ab initio palam Eccleſia, & aperte edixiſſet? Poſtquam Dei Filius migravit ad Inferos, in ipſius Dei conſpectum ſtatim ab obitu venire pios, qui ſint in corporibus humanis vitam imitati cœleſtium, firmum, atque immutabile religionis decretum eſt, de quo primum Lugdunenſis ſecundi Concilii Patres anno 1274. ſcitum fecerunt, ſed apertius deinde, ac luculentius Florentinum generale Concilium anno 1439. Scitum vero illud, atque decretum talibus argumentis nititur, quibus cedere ununiquemque neceſſe ſit, niſi ſi velit omnia contendere. Quod ſi nihilominus Millenarii, cæterique non adducuntur, ut credant, pios migrare in cœlum, ibique eſſe, & verſari cum Deo, eundemque præſentem nunc cernere, atque intueri, quanto minus rationibus, quibus Cadonici opinio nititur, movebuntur? Muratorius, ut ipſi adverſario notum eſt, omnes ingenii, induſtriæque nervos adhibuit, ut Burneti, ejuſque ſimilium errores confutaret: multi nihilominus & in Anglia, & alibi prodierunt libri, quorum auctores æternam piorum felicitatem in extrema Mundi tempora ſingulari impudentia, atque audacia differunt. Qui Eccleſiæ decretis, qui Epiſcoporum conciliis, qui Muratorii diſputationi non cedunt, numquid, auditis Cadonici rationibus, manus victas dabunt? Vereor, ne obſtinatius maneant in ſententia. Dicent enim, nos argumentis leviſſimis dogmata noſtra defendere, & diſſimulantes, quæ ſunt ad veritatem firmiſſima, ex illorum levitate clamabunt, ut ſolet, ſtatuendum eſſe de reliquis. Quare tantum abeſt, ut Cadonici opinionem aut præſtare noſtræ, aût ad convincendos Hæreticos valituram eſſe exiſtimem, ut potius non modo inutilem, ſed incommodam cenſeam. Certe dedecet, pugnantem de re gravi cum pertinaci adverſario, argumento imbecillo uti.

174. Sed age, exponamus nunc, atque expendamus, quas præterea rationes ſuppeditare contra nos poteſt Simeonis mors, hiſtoriáque de Lazaro. Pergratum, opinor, Cadonico faciam, videborque non eum acerbe (quod a me facinus avertat Deus), aut inimice inſectari, ſed quibus rebus poſſum ipſius gloriæ, dignitatique ſervire. Senex ille optimus,

atque

atque ſanctiſſimus cum vidiſſet *Chriſtum Domini*, complexuſque, ut optaverat, peramanter fuiſſet, æquiſſimo animo eſt mortuus. Adeo ſe tandem moriendi tempus nactum eſſe gaudebat, ut carmen illud, cujus magna dulcedo eſt, inexplicabiliſque ſuavitas, caneret, *nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum* (*a*). Simili precatione uſum legimus Tobiam Patrem: *Et nunc, Domine, ſecundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe, in pace recipi ſpiritum meum* (*b*). Ex ipſis ergo initiis, quæ conſtituta a nobis ſunt (§. 130.), ſua ſponte hoc ſequitur, ſpe fuiſſe optima confirmatos præclaros ſenes, in eum ſe locum ſtatim ab obitu perventuros, ubi, depulſis vitæ moleſtiis, omni & bonorum copia, & lætitiæ genere fruerentur, ideſt, ubi una eſſent, conjungerenturque cum Deo. Quo etiam ex fonte conſolatio Lazari ducta fuiſſe putanda eſt, præſertim cum in ejus morte (quod tamen in morte divitis legimus) non nominati ſint Inferi. *Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ; mortuus eſt autem dives, & ſepultus eſt in Inferno.*

175. Mihi vero ea ſemper diſputandi ratio placuit, quæ antiquos in conſilium adhibet. Nam quoniam in rebus divinis facile eſt, & periculoſum errare, ego autem homulus ſum, nullo loco numerandus, intelligo, inſcitiam meam ſenum conſtituendam eſſe, & regendam prudentia. Simeonem lætanti animo, bonaque ſpe diſceſſiſſe e vita, ex Luca accepimus; rei cauſſas, quando Bernardus eximia & ſanctitate, & doctrina vir, in aurea de Machabæis epiſtola expoſuit, non ex eo libentiſſime cognoſcemus? Qui cum de Joanne Baptiſta dixiſſet: *porro qui lætus, & tam lætus potuit mori, potuit & lætam ſibi memoriam promereri*, celebritatem nimirum annuam, ac feſtum diem, e veſtigio ſubjicit: *ſed & ſenex ille tam plenus virtutum, quam dierum, morte jam propinqua, vitam bajulans in manibus ajebat*: nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. *Ac ſi diceret: ſecurus deſcendo in carcerem, qui tam præſto meam ſentio redemptionem. Et hic ergo, qui cum tam ſecura jucunditate, & jucunda ſecuritate moritur, merito in Eccleſia celebrari cum gaudio memoratur. Cæterum illa qua ratione mors feſtiva reputabitur, quam nulla* gau-

(*a*) Luc. cap. 2. ver. 29. (*b*) Cap. 3. ver. 6.

*gaudiorum feſtivitas comitatur? Aut unde gaudium ſumeret moriturus, qui ſe & ad Infernales deſcendere tenebras certus erat, nec certi quidpiam ſecum ferebat, unde in proximo de ſui Liberatore conſolaretur?*

176. Habes, cur tam hilari, ſerenoque vultu adventantem Simeon mortem exceperit. Nempe intelligebat, inſtare jam plane illum diem, quo in bonorum cœleſtium poſſeſſionem involaret, regnaretque beatus cum Deo. Tempus hoc nondum appropinquaſſe, credibile omnino eſt, cognoviſſe Tobiam. De morte igitur lætari eam ob cauſſam non potuit. Cur nihilominus precatus a Deo ſit, diem ut ſuum obire poſſet, itáque animatus fuerit, ut mortem vitæ prætuliſſe videatur, rationes, quæ nihil nobis incommodant, complexus eſt libri auctor capitibus ſecundo, & tertio. Quamquam illa loquendi ratio, efflare in pace animam, mori, aut dimitti in pace, non eo valet, ut credamus, piorum animos ſtatim ab obitu in Dei conſpectum admiſſos fuiſſe, beatitudinemque iniiſſe. Mortem enim ſanctorum hominum, qui in Evangelicæ legis tempora inciderunt, ſperabantque, ſe Deum poſt diſceſſum a corpore conſpecturos, in novi Teſtamenti tabulis enarratam multo aliter vidimus (§. 122.). Æquo igitur animo Tobias, & Simeon ex hac vita migrabant, nec ea tamen ducebantur ſpe, futurum, ut confeſtim ad optatiſſimam, quæque beatioris vitæ effectrix eſt, Dei viſionem aſſurgerent. Præclare Jacobus Benignus Boſſuetius in notis ad iſtud Canticum Simeonis. „ Nunc dimittis „ *Sanctus ſenex novi teſtamenti ſpiritu plenus, nedum optet multos dies in vetere teſtamento toties repromiſſos, ægram ſenectutem Chriſti videndi ſpe vix ſuſtentabat: quo impleto, quaſi omni vitæ officio functus, dimitti, & expediri petit* ſecundum verbum tuum: *reſponſum enim acceperat, a Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini*. Quia viderunt oculi mei. *Beati enim oculi, qui vident, quæ vos videtis. Amen quippe dico vobis: multi Prophetæ, & juſti, & reges cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt*. Salutare tuum. *Hæc igitur docent, viro bono Chriſtum, ac ſalutem adepto, ſtatim optandum eſſe vitæ exitum, & quidem potius, quam ipſi Simeoni, cum ſtatim poſt mortem Chriſto potiri detur. Quod ſane ſancto ſeni, nondum propalata Sanctorum via, contingere non poterat; & tamen mortem optat, quia, viſo Chriſto, non erat in terris, quod videret amplius.*

177. Di-

177. Diximus de Simeone, occaſionéque oblata, de Tobia: deinceps ſequitur, ut de Lazaro breviter dicendum eſſe videatur. Ejus conſolatio quibus ex fontibus peteretur, toto duodecimo capite copioſiſſime demonſtravi. Ne vero ullo modo credatur ex Dei, qui ſua ſe illi forma oſtenderet, adſpectu manaſſe, hæ duæ potiſſimum res contra nos faciunt, divinæ litteræ, & antiquorum auctoritas. Ab antiquorum auctoritate ut exordiar, iis tantum Patrum pugnaturus ſum teſtimoniis, in quibus, qua Lazarus conditione uteretur, Patres ipſi ex induſtria explicandum ſuſcipiunt. Nolo enim, cujuſquam animus dubius in hac cauſſa relinquatur. Conſtat ergo, Hieronymum, Hilarium, Ambroſium, Joannemque Chryſoſtomum, nobiles ſane, & magnos Patres, in ea verſatos eſſe ſententia, aliquam Lazarum felicitatis, beatæque vitæ partem in ſinu Abrahæ attigiſſe (§. 146.). Jam vero Hieronymus (§. 38. 39. 118. III. 135. & not. 34.), Hilarius, Ambroſius (§. 38.), Joannes Chryſoſtomus (§. 5. 118. VI. 130. V. VII. 131.) toti piorum familiæ, quæ in ſinum, complexumque Abrahæ venerat, Dei conſpectum, atque præſentiam, ante Chriſti deſcenſionem ad Inferos, conſtantiſſime adimendam putarunt: Lazari igitur conſolatio a beatitudine, quæ ex Dei adſpectu permanat in animos, toto rerum genere diſcrepat, videlicet lætabatur ille quidem, ut diximus, cum piis cæteris, Deum nihilominus coram, & qua facie eſt, non videbat. Atque idipſum Irenæi, Petri Chryſologi, Paulini Nolani, & Gregorii Magni luculentis locis efficiam. Principio quid Petro Chryſologo placeat, ex §. 43. facillime poteſt intelligi. Paulinus in Panegyrico de Celſo puero egit de Lazaro his ipſis, quos in medium adverſarius protulit (*a*), verſibus.

*Diſce Evangelio loca pauperis, & loca ditis;*
*Pauper in Abraham, dives in igne jacet.*
*Juſtitia mutante vices, qui fleverat iſtic*
*Gaudet ibi, & pleno paupere, dives eget.*
*Iſte bona requie fruitur, gemit ignibus ille,*
*Dives opum pœnas, pauper opes recipit.*
*Mendicat dives modicum de paupere rorem,*
*Quem mendicantem ſpreverat in ſuperis.*
*Inde in eum ardentem nec parvi pauperis imo*
*Stillavit digito gutta refrigerii:*

 *De*

(*a*) Vind. cap. 10. pag. 141.

*De magnis quoniam dapibus nec mica referto*
*Eſurientis in os pauperis exciderat* (*a*).

Gregorius vero, Pontifex Maximus, non libro quidem 4. in Jobum cap. 32., ut falſe ſcripſit Matthias Martinius (*b*), ſed alio plane loco hæc inculcat. *Priuſquam Redemptor noſter morte ſua humani generis pœnam ſolveret, eos etiam, qui cœleſtis patriæ vias ſectati ſunt, poſt egreſſum carnis Inferni clauſtra tenuerunt, non ut pœna quaſi peccatores plecteret, ſed ut eos in locis remotioribus quieſcentes....... ab ingreſſu regni reatus primæ culpæ prohiberet. Unde juxta ejuſdem Redemptoris noſtri teſtimonium dives, qui apud Inferos torquebatur, in ſinu Abrahæ requieſcere Lazarum contemplatur* (*c*). Ac tandem multo ante Irenæus tradiderat, animos hominum poſt mortem corporis permanere, non interire, nec recidere in nihilum, abunde ſatis docuiſſe Chriſtum *in ea relatione, quæ ſcribitur de divite, & de Lazaro eo, qui refrigerabat in ſinu Abrahæ* (*d*). Quibus rite præpoſitis, facile eſt iterum ſuperiorem argumentationem diluere. Etenim Irenæus, Paulinus, atque Gregorius quietem Lazaro, gaudium, ſolatia impertiunt; ſed eidem piorum animos, qui ante Chriſti migrationem ad Inferos objiſſent, Dei adſpectu orbatos eſſe voluerunt: nam de Irenæi ſententia conſtat ex §. 22., de Paulini ex 41., de Gregorii ex 53., & teſtimonio mox allato; etſi igitur Lazarus una cum Abrahamo quieſceret, ac lætaretur, ei tamen ſe Deus in conſpectum non dabat.

178. Ac ſane Lucæ verbis, *nunc autem hic conſolatur*, non eam ſubjici notionem, ac vim, noſtrum illum in ſinu Abrahæ ita gaviſum, ac lætatum fuiſſe, ut Deum præſentem conſpiceret, ex ſacris etiam litteris compertum eſt, nedum ex auctoritate Majorum. Nam cum hæ æternam piorum felicitatem, quæ in videndo Deo ſita eſt, deſignant, ac notant, multo eam magnificentioribus verbis declarant, illuſtrioribuſque ſententiis. Vocatur, exempli gratia, a Davide, torrens voluptatis, a Paulo viſio Dei facie ad faciem, ab Joanne viſio Dei, ſicuti eſt, a Petro immarceſcibilis gloriæ corona, a Servatore noſtro Paradiſus, gaudium Domini, cœna magna, vita æterna; alibi dicitur regnum Dei, aut cœlorum, gloria item, ad quam inſtar nihili obtinent paſſiones hujus ſæculi, tum

(*a*) Carm. 34. ver. 485.
(*b*) In Lex. Philol. art. *Limbus*.
(*c*) Lib. 4. cap. 29. num. 56.
(*d*) Lib. 2. cap. 34. num. 1. edit. Maurin.

tum merces copioſa, bona, ut finem faciam, quæ neque oculus vidit, neque auris audivit, nec unquam in cor hominis aſcenderunt. Vitam æternam cum dicimus, hæ ipſæ voces ampliſſime nos, & magnifice ſentire jubent de beatorum, qui in cœleſti patria vivunt, felicitate, ac præmiis. Nam cum ad rem aliquam ſignificandam eo nomine utimur, quod cum multis aliis commune eſt, facile intelligimus, deeſſe propriam vocem, qua res illa plane, ac liquido exprimatur. Cum igitur piorum felicitas iis ſæpe vocibus in novi Teſtamenti oraculis declaretur, quæ non magis in beatos, quam in omnes, qui perpetuo vivant, recte conveniunt, hoc nobis ſatis argumenti eſſe poteſt, & debet, multo excellentiorem, & præſtantiorem quandam rem eſſe, quam ut proprio vocabulo perfecte ſignificare ejus rationem poſſimus. At de Lazaro hoc unum a Dei Filio dicitur, data ei eſſe ſolatia, *nunc autem hic conſolatur*: conſolatio hæc igitur, qua ſe homo egentiſſimus ſuſtentabat, aliunde omnino, quam ex Dei viſione, & conſpectu, quo qui fruitur, nihil is ad ſummam beatitudinem quærere poteſt amplius, ducebatur.

179. Nam quod in ejus obitu, profectionéque ad divinum illud animorum concilium nominatos eſſe Inferos non legamus, equidem mirari non debeo. Cauſſa enim ex §.135., niſi mea me fallit opinio, apertiſſima eſt omnibus, atque promptiſſima. In Evangelio paſſim promittitur, & inculcatur hominum animis cœleſte regnum; ab hoc Joannes concionum ſuarum duxit exordium, ad hoc arripiendum, atque occupandum Judæos quotidie Dei Filius ſtudioſe hortabatur. Scilicet appropinquabat jam, & inſtabat fauſtus ille, ac ſalutaris dies, quo cœli dies aditus tam longo tempore intercluſus patere hominibus debebat, atque adeo in novæ legis tabulis, ubi omnia lætiora ſunt, crebris cœleſte regnum uſurpatur ſermonibus, & in morte Lazari Inferorum, quorum memoria terrendi erant Judæi, intermiſſa eſt mentio. Fuit enim lex vetus, ut divinæ litteræ clamitant, ad injiciendum timorem, ac metum aptata, nova filiorum Dei eſt, dicentium, *Abba pater*, totaque ex gratia, ſuavitatéque compoſita.

180. Refelli argumenta Cadonici, & quæ mihi præterea favere ei in ſpeciem poſſe videbantur. Difficiliores explicatus non habent, quæ a Martinio, a Camerone, a Cattenburghio, Heterodoxis hominibus, afferuntur, ut appoſite uti poſſim

prudentiſſima illa, & ſapientiſſima voce Hieronymi in gravi ad Marcellam epiſtola, quæ eſt adverſus Montanum: *hæc ſunt, quæ coargutione non indigent. Perfidiam eorum* (levitatem nos, atque inſulſitatem hoc loco dicemus) *expoſuiſſe, refutaſſe eſt*. Ac ſane ad eam Martinii ratiunculam, in ſacris litteris commemorari duo tantum loca, quo mortuorum animi abeant, cœlum, & Inferos, illud felicitatis, hos miſeriæ, ex totius operis ſerie perfacilis eſt, & perbrevis, atque perexpedita reſponſio. Nam ut omittam Purgatorium, cui peſtem Martinius, atque exitium machinatur, omni ego argumentorum copia, nedum divinis auctoritatibus docui, fuiſſe olim quaſi vas quoddam, & receptaculum animorum, Limbum, vel ſinum Abrahæ appellatum, ubi optimus quiſque, etſi interim multis rebus lætaretur, a Dei tamen præſentia, cœlique aditu arcebatur. Idcirco plura non dico. Similiter quod urgere videtur paullo poſt, homines, *qui in veteri Teſtamento crediderunt in Chriſtum, juſtos, & ſanctos, atque ita beatos fuiſſe vi ſatisfactionis futuræ, quam Deus æque certo, atque factam intuebatur, & propter eam illis favorem ſuum addixiſſe, ut nobis* (*a*), ne id quidem confutandum pluribus cenſeo. Juſtitiam enim priſcis, ſanctitatemque concedo; beatam vero illos vitam, quæ Dei viſione efficitur, propterea iniiſſe, fidenter nego. Cur negem, multis hactenus, & magnis argumentis oſtendi; Martinius autem nullis judicium ſuum rationibus comprobavit, ſumens id pro certo, & conceſſo, quod in quæſtione verſatur. Facile enim omnes intelligunt, cum diſputamus, num bonorum animi ante etiam, quam Chriſtus mortem oppeteret, Dei aſpectu fruerentur, hoc quæri, num id boni propter futuram ſatisfactionem adepti eſſent.

181. Inſcite igitur, homo maledicus, atque impudentiſſimus, Joannes Camero (*b*) hanc ipſam antea rationem eduxit in aciem, ut, necdum mortuo Dei Filio, patuiſſe cœlum hominum generi demonſtraret: inſcite Paulinum ex epiſtola ad Hebræos objecit oraculum: *non oportebat, eum frequenter pati ab origine Mundi: nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit* (*c*): inſcite ex eadem epiſtola illud admonuit, atque urſit, veteres Hebræorum patres cupidiſſime exſpectaſſe *fundamen-*

(*a*) In Lexic. Philolog. art. *Limbus*. (*b*) Prælect. de Eccleſ. pag. 236. edit. Genev. 1642. (*c*) Cap. 9. ver. 26.

Digitized by Google

*menta habentem civitatem*, *cujus artifex*, *&* *conditor Deus* (*a*), exſpectaſſe autem in hac vita, non in ea, quæ mortem corporis conſecuta eſt. Principio enim quæ ratio ex pretio a Chriſto ſolvendo deſumitur, ea, ut iterum dicam, toto a me libro copioſe refellitur, comportarique præſertim hunc in locum poſſunt, quæ §. 139. in re ſimili diſputavi. Nec cauſſam adjuvant exempla petita ex hominibus, *apud quos futura tantam habent vim*, *cum de ſatisfactione agitur*, *ac ſi præſentia eſſent*. Humana enim a Camerone transferuntur ad Deum, quod & ſæpe alias (not. 5.) nefas eſt, & hoc in primis loco non licet; non licere vero & auctoritate Majorum, & Theologorum conſenſu, & doctrina Hebræorum, & Eccleſiæ judiciis, & ſacris litteris, & ipſis denique adjumentis rationum uberrime commonſtravi, ut neque ſuperbiæ, neque levitatis me quiſquam merito poſſit convincere, ſi victoriam jure quodam meo mihi videar arrogaſſe.

182. At enim vetant Pauli teſtimonia. Immo, opinor, documento illa ſunt, diffidere Cameronem, ſatis animo certo, & confirmato ſe poſſe in hac cauſſa conſiſtere. Duo hæc enim: Chriſtus ſemel dumtaxat pro ſalute noſtri generis divino Patri ſe obtulit, ejuſque mors omnis ætatis, & memoriæ hominibus profuit (nam hoc ſibi vult Pauli auctoritas, quæ priore loco poſita eſt): ergo piis ante id temporis & cœli aditus patuit, & Deus palam videndum, fruendumque ſe præbuit: duo hæc, inquam, nullo inter ſe vinculo cohærent, rurſuſque veluti certum, ac probatum arripitur, de quo inſtituta eſt controverſia. Scio, ſemel dumtaxat, ſalutis noſtræ auctorem, atque reſtitutorem, Chriſtum fudiſſe in cruce ſanguinem, morientemque eo ſpectaſſe, ut omnium ætatum peccata redimeret, ac deleret, & pro eis Patri abunde, cumulateque ſatisfaceret: ſed illud, Joannes Camero, in judicium venit, illud in quæſtionem vocatur, ante ne, quam Patri ſatisfeciſſet, paſſionis ejus fructuum ita conſortes, participeſque homines fierent, ut abeuntes e vita ſempiternæ confeſtim beatitudinis, quæ optatiſſima Dei viſio eſt, poſſeſſionem adierint. Multo minus me præterit, quod Paulus docet capite 11. ejuſdem epiſtolæ, priſcos ſcilicet Hebræorum patres, pioſque cæteros civitatem illam his in terris quæſiſſe, quam conſtruxit, atque ædificavit Deus, ad eamque ſum-

mo

(*a*) Cap. 11. ver. 10.

mo animi ſtudio, & conatu in omni vita aſpiraſſe. Siquidem tantum abeſt, ut id ignorem, ut potius lætari debeam, me jam Cameronis ſophiſma diluiſſe, atque occupaſſe, cum ſupra ex hoc ipſo Paulinæ epiſtolæ capite perſpicue a me demonſtratum eſſe arbitrer (§. 123. II.), Hebræorum patres non ſtatim a morte in cœleſtem illam civitatem intraſſe, neque divina promiſſa conſecutos fuiſſe, providente Deo, ut ne eadem, qua nos, conditione uterentur.

183. Sed hic prodit in ſcenam Adrianus a Cattenburgh, minutiſque interrogatiunculis, & quaſi punctis nos conatur depellere de ſententia. Quid enim abſurdius, clamat, quam Angelos introducere, quorum opera hominum animi in ſpeluncam ſubterraneam ducerentur? Credibile ne, Enochum, & Eliam ab hominibus ereptos, atque hunc quidem tanto rerum apparatu, utrumque non tam abiiſſe ad Deum, quam in obſcurum carcerem, & tanquam in aliquod piſtrinum detruſum, & compactum fuiſſe? An Abrahamus, qui in hominum vita Deo familiariſſime utebatur, relictis his terris, in ſpeluncam, infinita quadam altitudine, eſt abditus, ubi nullum amplius haberet cum ipſo Deo commercium? Quid vero dicendum de Moſe, invicto illo, ac fortiſſimo Hebræorum duce, cui ſæpe tributum eſt facie ad faciem cum Deo loqui (*a*)? Num & hic, poſtquam tot exantlaſſet labores.....? Sed poterat homo ille, præter Abrahamum, & Moſem, alios multos commemorare, quibus uſus frequens, & aſſiduus, ſumma, & conſtans cum Deo familiaritas, atque neceſſitudo interceſſit. Poterat appellare Noemum, Iſaacum, Jacobum, Samuelem, Davidem, Jeremiam, Iſaiam, & poſt longum ſanctiſſimorum hominum ordinem, idem præ ſe decus ferentium, qui Deum ſcilicet hic in terris vidiſſe dicuntur, ſciſcitari tandem, & quærere, num & Joſephus, qui boni parentis officia Chriſto omnia præſtitit, qui eum aluit, veſtivit, ornavit,

*Qui vivens ſuperis par fruitur Deo*
*Mira ſorte beatior* (*b*),

in cuſtodiam nihilominus, atque in vincula traditus fuerit, ubi, quidquid antea boni, ornamentorumque habuiſſet, id omne ſimul cum vita ſic amitteret, ut una illud cum Caino quodammodo poſſet dicere, *ecce ejicis me hodie a facie terræ, & a facie*

(*a*) Spicileg. Theol. Chriſt. lib. 3. cap. 12. num. 5. de deſc. J. C. ad Infer.
(*b*) Ex Hymn. S. Joſ. ad Veſp.

*facie tua abſcondar* (*a*)? Poterat, inquam, hos, atque alios præſtantes viros, intimaſque, & familiares Deo mulieres Adrianus noſter proponere, argumentumque his inſtructum copiis etiam, atque etiam premere, ſi ei firmum, & grave videbatur.

184. At nobis contra videtur eſſe leviſſimum, &, ſi verborum quaſi florem, veſtitumque detraxeris, magis ad terrendos pueros, quam ad perſuadendum comparatum. Huc vertitur tota illius vis, fuiſſe olim mira innocentia homines, qui Deum his in terris viderint, atque conſpexerint, quod ſummis Patribus, & Theologis, nedum nobis, non placet. Eſt enim in divinis litteris, *ego oſtendam omne bonum tibi... ſed non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & vivet* (*b*), & apud Joannem, *Deum nemo vidit unquam* (*c*), & rurſus: *omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt a Deo, hic vidit Patrem* (*d*), præterea in prima Pauli epiſtola ad Timotheum, *quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt* (*e*). Hinc Auguſtinus vix a ſe ſciſcitatus, *quid vidit Moyſes?* hoc ſtatim reſpondit, *vidit nubem, vidit Angelum, vidit ignem: omnis illa creatura eſt, typum Domini ſui gerebat, non ipſius Domini præſentiam exhibebat* (*f*). Sed multo uberius, ac luculentius eam magnus vir quæſtionem diſſolvit, atque expedivit in epiſtola ad Paulinam, quæ tota de videndo Deo eſt. Ego perbrevem exſcribo particulam. *Ipſe ergo erat in ea ſpecie, qua apparere voluerat, non autem ipſe apparebat in natura propria, quam Moyſes videre cupiebat. Ea quippe promittitur Sanctis in alia vita, unde, quod reſponſum eſt Moyſi* (non videbit me homo, & vivet), *verum eſt, quia nemo poteſt faciem Dei videre, & vivere, ideſt nemo poteſt eum in hac vita videre vivens, ſicuti eſt* (*g*). Nec vacat iſta ratio myſterio. Decere enim, ut opinor, videbatur, ne quis ante beatiſſimam Chriſti animam Dei frueretur præſentia, ut quemadmodum primogenitus ipſe eſt in multis fratribus, primus etiam beatitudinis guſtaret dulcedinem, hæreditatemque tradendam Dei filiis primus omnium fratrum obi-

(*a*) Gen. cap. 4. ver. 14. (*b*) Exod. cap. 33. ver. 19. 20.
(*c*) Cap. 1. ver. 18. (*d*) Ibid. cap. 6. ver. 45. 46.
(*e*) Cap. 6. ver. 16. (*f*) Tract. 3. in Joan. num. 17. Tom. 3.
(*g*) Cap. 8. num. 20. epiſt. 147. edit. Maur.

obiret. Quibus ex rebus fit, ut quem Abrahamus, quem Jacobus, quem Moſes, quem Iſaias vidit, is aut ipſe Dei Filius fuerit, qui non ſua, ſed corporea ſe forma ſanctis viris oſtenderit, aut aliud quidpiam, quod nos conſtituere, atque explorare non poſſumus, aut certe Angelus, qui Dei munus, & perſonam, ut legatus, ſuſtineret.

185. Sed non omnia pugnaciter contendamus, nec agamus ſummo jure. Eſto nonnullis Deus, cum adhuc inter homines viverent, fruendi, atque intuendi ſui copiam fecerit, ac poteſtatem, concedaturque id in primis Mariæ, ſi placet, ejus matri, atque virgini (de Maria enim, ut ipſius dignitas poſtulat, longe honorificentius, quam de ulla alia natura creata loqui, & ſentire debemus: tot illa, ac tantis virtutibus floruit, totque a Deo donis, ac beneficiis magnificentiſſime aucta eſt): non continuo ſequitur, eoſdem, cum exceſſiſſent e vivis, ſtatim potiri Deo, cœleſtique hæreditate debuiſſe, ante etiam, quam unigena ejus Filius humanæ ſalutis myſterium tranſegiſſet. Nam illa divinitatis patefactio, ſi quidem res contigit, ſingulare Dei beneficium, atque extraordinarium donum fuit, nullo modo homini debitum, ſed ex numero eorum, quæ gratuita nominantur, & ſunt. Nunc autem beatitudo, Deique viſio, quæ fieri in piis ſolet poſt diſceſſum a corpore, merces eſt, præmium, illorum laboribus debitum, ſive, ut Paulus loquitur, corona juſtitiæ. Corona hæc vero a juſto judice dari non debuit, antequam Chriſtus impedimenta, ſoluto ſui ſanguinis pretio, de medio removeret. Erat enim impedimento hæreditarium, ſive commune hominum peccatum, cujus ut conceptam animo maculam pii deleviſſent, atque expiaſſent, at certe pœna, quæ illud ſtatim conſecuta eſt, tenebantur (§. 137.). Quapropter etſi Abrahamus, Moſes, Iſaias, & alii Deum in hac hominum vita de facie noviſſent, neceſſe tamen non fuit, ut etiam ſtatim a morte viderent.

186. Neque vero tam humiliter, & demiſſe de præclariſſimis, & ſanctiſſimis viris ſentiendum eſt, ut nos ſentientes facit Cattenburghius. Non eos dicimus in ſpeluncam, aut in obſcurum carcerem detruſos fuiſſe, reorum inſtar, qui damnandi ad triremes, aut capite minuendi ſunt. Dicimus, in ſinum Abrahæ commigraſſe, cui ſive carceris (§. 166. I. II.), ſive aliud honeſtius nomen imponas (ibid. IV.), quemque aut

obſcu-

obſcurum, aut lumine aliquo colluſtratum fuiſſe velis (§. 167. 168.), nihil ad rem arbitror pertinere, nihil de illorum quiete, honore, gloria, felicitate detrahitur. Abierunt ergo ad Limbum: ibi in ſinu, gremioque Abrahæ lætabantur (§. 145. 146.), ibi etſi Deum præſentem, de faciéque non cernerent, ei tamen erant in oculis, ibi ipſorum animos & ſuſtentabat ſpes (§. 147.), & ſuaviſſima charitatis vis, cujus eſt dulciſſimum nomen, res vero ipſa ſalutaris, ita conſociabat, conjungebatque cum Deo (§. 148.), nihil ut pro illis temporibus magis honorificum, aut magnificentius fieri potuiſſe videatur. Abſurde quidem a nobis fieret, & indigne, ſi de Angelis, tanquam de ſatellitibus cogitaremus, perinde, ac ſi eorum opera piorum animi in cuſtodiam, atque in vincula ducerentur. Sed longe abſumus ab his ineptiis,

*Non obtuſa adeo geſtamus* corda Latini,

ut hæc nobis tam turpis imponenda eſſet calumnia. De vita egreſſi bonorum animi in locum ſuum, ad cœtum ſui ſimilium diſcedebant. Quoniam vero erant Deo amiciſſimi, hinc illos comitabantur, & deducebant Angeli honoris cauſſa, &, quando per tempora ad beatitudinem pervenire adhuc non poterant, ſuis ſolabantur officiis, adſpectuque, & præſentia recreabant, atque hilarabant (§. 154.). Non ergo ad vim, non ad turpitudinem, non ad opprobrium Angelorum comitatus ſpectabat, ſed ad decus, ad gloriam, ad ſolatium referendus: plane ut appareat, quod paullo ante profeſſus ſum, ſi horrorem verborum detraxeris, Cattenburghii orationem nihil habere efficacitatis, nec virium.

187. Atque hæc de argumentis tertio, & primo. Quod ex Enocho, & Elia petitur, id tale eſt, ut aperte conſtet, nobis hominem opiniones affingere, quas in noſtrorum Theologorum libris, non dicam, legit, ſed ne ſubodoratus eſt quidem. O præclare! Si hoc modo decreta reliqua veſtra defenditis, non multis verbis eſt opus, hoc unum per ſe ſatis loquitur, te, Cattenburghi, & collegas tuos in toto religionis negotio de via longe aberaſſe, agique præcipites. Hic ego ſi Craſſi omnes cum Antoniis exſiſtant, ſi hanc cauſſam velles cum Hortenſiis, & Ciceronibus dicere, tamen ſuperior ſim, neceſſe eſt. Cui unquam noſtrorum aut dictum, aut cogitatum, quod ſciam, Enochum, & Eliam ex his terris, quas incolimus, ereptos ad reliquorum piorum concilium profectos



Digitized by Google

fuiſſe ? Quis unquam hoc Heroum par in ſinum Abrahæ, in Limbum introduxit ? I. Alii conſcendiſſe in cœlum exiſtimant, quidquid hic tandem cœli nomine intelligi oporteat; in eaque ſententia fuit Ambroſius, qui Enochum *raptum eſſe ad cœlum* volebat (*a*), & Alcimus Viennenſis Antiſtes lib. 4. de Diluvio cap. 6., ubi loquens de Noe ſic cecinit:

*At proavo, quem priſca fides, & conſcia virtus*
*In cœlum ſine morte tulit, ſic celſa petenti*
*Succeſſit magnis non impar filius actis,*
*Nec minimum eſt, illum ſalvi cum corporis uſu*
*Terrenas liquiſſe domos, intraſſe ſupernas*;

& rurſus de Enocho, & Elia:

*Quamquam, qua Noe proavus conſcenderat Enoch,*
*Elias curſu poſt tempora longa ſecutus*
*Scribitur ignitis ſcandens penetraſſe quadrigis.*

Hieronymus tum alibi (*b*), tum vero in epiſtola ad Julianum cœlum commemorat. *Unde & Elias*, inquit, *ad cœlorum regna feſtinans non poteſt ire cum pallio, ſed mundo immundo veſtimenta dimittit*. Auctor ſynopſis de vita, & morte Prophetarum, qui diu habitus fuit Dorotheus, is, qui ineunte quarto ſæculo floruit, de Elia hunc in modum: *primus ex hominibus eſt, qui hominibus curſum ad cœlos ſubmonſtravit, primus ex hominibus unam Angelorum, & hominum viam oſtendit: qui terræ fuerat ſortitus domicilium, cœlum quoque ſubito penetravit.*

II. Aliis Patribus viſum eſt, Enochum, & Eliam, ex hominum conſpectu ereptos, in Paradiſum terreſtrem migraſſe, quod Irenæus cum doceat, tradidiſſe Apoſtolorum diſcipulos, & auditores (*c*), religioni habuit Fevardentius ab ea ſententia diſcedere (*d*), quæ præſertim plurimis veterum teſtimoniis comprobetur. Sunt autem ejuſmodi, eodem teſte Fevardentio, Nicodemus in hiſtoria de Reſurrectione Domini (abjudicatur hæc hiſtoria Nicodemo), Iſidorus de vita, & obitu Sanctorum, Hippolytus Martyr in oratione de Antichriſto, Ambroſius in cap. 4. epiſtolæ ad Romanos (nec Ambroſio (§. 61.) tribuendi hi commentarii), Athanaſius in epiſtola de decretis Nicænæ Synodi, Gregorius in cap. 18. Job, & Homilia 12. in Ezechielem (ſed conſulenda homil. 29. in Evang.)

(*a*) Lib. de Parad. cap. 3.
(*b*) Comment. in cap. 9. Amoſ.
(*c*) Lib. 5. cap. 5. num. 1. edit. Maurin.
(*d*) Notæ in hunc loc.

Digitized by Google

Evang.), Hieronymus in epiſtola ad Pammachium, adverſus errores Joannis Hieroſolymitani conſcripta (hic tamen locus magnam habet difficultatem), Juſtinus Martyr quæſt. 85. ad Orthodoxos (conſtat (§. 59.) eum librum non eſse Juſtini), Aretas Cappadox in 11. caput Apocal., Procopius Gazæus in cap. 4. Geneſ. (loquitur Procopius de Paradiſo cœleſti), atque alii longe plures, quos legendo reperies. In his Auguſtinus lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſ. cap. 3. *in Paradiſo fortaſſe paſcuntur, ſicut & Adam, priuſquam propter peccatum exire meruiſſet*. Sanctus etiam Thomas noſtros in eundem locum abiiſse arbitratur, ac probabile exiſtimat, vitam eos arboris vitæ uſu, atque adjumento ſervare (*a*).

III. Alii tamen rem in medio relinquunt, & in quam terræ regionem, ſeu totius Mundi plagam Enochus, & Elias migraverint, obſcurum tradunt eſse, & incognitum. Joannes Chryſoſtomus ſupervacaneum id putat inveſtigare (*b*), Theodoretus mirandum magis, ac venerandum, quam inquirendum (*c*), auctor libri de montibus Sina, & Sion apud Cyprianum, Deum ſcire, Auguſtinus non poſse conſtitui. Nam lib. 2. de peccato origin. cap. 23. in earum quæſtionum numero, quæ expediri humani ingenii viribus nequeant, illas ponit, *cum quæritur, qualis, vel ubi ſit Paradiſus, ubi conſtituit Deus hominem, quem formavit ex pulvere; cum tamen eſſe illum Paradiſum fides Chriſtiana non dubitet: vel cum quæritur, ubi ſit nunc Elias, & Enoch, an ibi, an alicubi alibi: quos tamen non dubitamus, in quibus nati ſint, corporibus vivere*; idque ut probabilius cenſeamus, ipſa facit opinionum, quas hactenus complexi ſumus, varietas: præſertim cum illos in cœlum Empyreum, ſaltem ante obitum Chriſti, inducere nullo modo poſſimus; terreſtris vero Paradiſus, ut permulti nunc ſentiunt, aut in generali illa terræ alluvione, aut aliis cauſſis perierit. Docuit quidem Sixtus Senenſis, exorbitare a recta fidei regula, qui Enochum, & Eliam abductos fuiſse in Paradiſum terreſtrem negant (*d*); ſed mediocritatem in ferendo judicio vir doctus non tenuit.

188. I. Quocumque tamen verſentur in loco, quaſcumque oras incolant, eos non dubitamus cum Auguſtino in his

Hh 2 ipſis,

(*a*) In 2. diſtinct. 29. art. 5. ad 4. & alibi. (*b*) Homil. 21. in Gen. & 22. in epiſt. ad Hebr. (*c*) Quæſt. 45. in Gen. (*d*) Biblioth. lib. 5. annot. 36.

ipſis, in quibus nati ſunt, corporibus vivere, non quod id fide certum, atque exploratum putemus, ſic, ut omnino res dubitationem non habeat, in quo ſane erravit opinione noſtra Suarezius (*a*), ſed quod ea ſententia & perſpicuis totius antiquitatis teſtimoniis, & divinarum etiam litterarum oraculis fulciatur. Quam multi, graviſſimique Patres ſic ſtatuant, mox, etſi non id agerem, vidimus (§. 187.). Sed alios præterea ad dicendam cauſsam poſsumus in concionem vocare, Tertullianum, exempli gratia, non uno in loco, Epiphanium, Baſilium, Eucherium, Gregorium Nazianzenum, auctorem Apoſtolicarum conſtitutionum, ſcribentem, *ſi voluiſſet Deus homines immortales manere, quod hoc facere potuit, oſtendit in Enoch, & Helia, quos mortem experiri non permiſit* (*b*), tum reliquos tanta multitudine, & copia, ut Aretas apud Eſtium (*c*) ab univerſa Eccleſia inviolate id credi pronunciet. In his non prætereundus a nobis Claudius Taurinenſis Antiſtes, eam ob rem, quod ejus in libros Regum quæſtiones, vel commentarii nunc primum intueri lucem cœperint opera, ac ſtudio ſummi, & doctiſſimi viri, Trombellii. De Elia Claudius hunc in modum ex Auguſtini, Gregoriique Magni ſententiis diſputat. *Quid eſt, quod Helias ad cœlum raptus eſſe dicitur? Numquidnam eum adhuc in hac carne corruptibili poſitum, ad illius ſummæ quietis ſinum ante reſurrectionem, aſcenſionemque Domini credimus eſſe perductum? Sed aliud eſt cœlum aereum, aliud æthereum: cœlum quippe aereum terræ eſt proximum, unde & aves cœli dicimus, quia eas volitare in aere videmus. In cœlum itaque aereum Helias ſublevatus eſt, ut in ſecretam quandam terræ regionem repente duceretur, ubi in magna jam carnis, & ſpiritus quiete viveret, quouſque ad finem mundi redeat, & mortis debitum ſolvat. Sublevatus namque Helias aſcenſionem dominicam deſignavit; ille enim mortem diſtulit, non evaſit. Redemptor autem noſter, quia non diſtulit, ſed ſuperavit, eamque reſurgendo conſumpſit, æternæ reſurrectionis ſuæ gloriam aſcendendo declaravit*. Paullo poſt Enochum cum Elia conjungit, docetque, ambos etiam num vivere, ibi commorantes, ubi nec morbis, nec ſenectute, nec ipſa ætatis diuturnitate deficiant (*d*).

II. Concinunt Judæi quoque cum Patribus. Nam, ut Phi-

(*a*) Diſput. 55. ut ſupra ſect. 1. pag. 546. (*b*) Lib. 5. cap. 8.
(*c*) In cap. 44. Eccleſ. (*d*) In Lib. 4. Reg. pag. 132. Tom. 2. opuſcul. &c.

Philonem omittam (*a*), R. David perſpicue teſtatur, veteres omnes Judæorum magiſtros in eandem conſpiraſſe ſententiam (*b*). Atque hinc Thargum Babylonicum, interprete Fagio: *ambulavit Henoch in timore Domini*: *& non ipſe*, *quia non mori fecit eum Dominus*. Nonnullorum proinde Hebræorum diſſenſum, ac repugnantiam, qui, ut Sixtus Senenſis auctor eſt (*c*), immatura morte Enochum ſublatum eſſe ex vivorum numero affirmant, ut ne malitia immutaret cor ejus, his nixi auctoritatibus nihil morabimur; præſertim cum de Eliæ non ſolum, ſed etiam de Enochi vita ſatis liquida ſint, & ad probandum idonea divinorum librorum oracula.

III. Ac de Enocho quidem primum in Gen. *ambulavitque cum Deo*, *& non apparuit*, *quia tulit eum Dominus* (*d*), deinde in Eccleſiaſtico (*e*), *Enoch placuit Deo*, *& translatus eſt in Paradiſum*, *ut det gentibus pœnitentiam* (eſt hic autem Paradiſus locus, ubi bene, ac feliciter vivitur, deſideraturque ipſa vox in Græcis, Hebraicisque codicibus, primumque appoſita fuit ab Arabe Interprete, quam tamen merito retinendam Latinus putavit), iterum in eodem libro, *nemo natus eſt in terra*, *qualis Enoch*, *nam & ipſe receptus eſt a terra* (*f*), tum in Pauli epiſtola ad Hebræos, *fide Enoch tranſlatus eſt*, *ne videret mortem* [46]; de Elia vero in libris Regum, *aſcendit Elias per turbinem in cælum* (*g*), ac rurſus in primo Machabæorum, *Elias*, *dum zelat zelum legis*, *receptus eſt in cælum* (*h*), ſed multo uberius, & apertius in libro Eccleſiaſtici, *qui receptus eſt in turbine ignis*, *in curru equorum igneorum*, *qui ſcriptus eſt in judiciis temporum lenire iracundiam Domini*, *conciliare cor patris ad filium*, *& reſtituere* tri-

(*a*) Lib. de vita Sapient. (*b*) In Lib. 2. Reg.
(*c*) Lib. 2. Biblioth. S. (*d*) Cap. 5. ver. 24.
(*e*) Cap. 44. ver. 16. (*f*) Cap. 49. ver. 16.
(*g*) Lib. 4. cap. 2. ver. 11. (*h*) Cap. 2. ver. 58.

46 Cap. 11. ver. 5. Sed Joannes Harduinus ſine cauſſa, ut ſolet, & contra Patrum auctoritatem, ac fidem, *hoc eſt*, inquit, *mortem communem*, *quæ cum ſepulchro eſt*, *&* *corruptione conjuncta*. *Sic pſal.* xv. 10. „ nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem „. Qui locus ſine dubio ad rem non quadrat. Etſi enim Chriſtus, ut fert prædictio, corruptionem non viderit, mortuus tamen vere eſt, & in ſepulchrum illatus. Ipſa Pauli locutio, docentis, translatum Enochum fuiſſe, ne mortem videret, plane indicat, ſanctum virum eo loci, quo abſportatus eſt, moriturum non eſſe. Mirum, quam ille interpres ſacras litteras ſingulis fere paginis torqueat, ac poſthabitis Patribus, pervertat ad arbitrium ſuum ſententias.

Digitized by Google

*tribus Jacob* (*a*) : ad extremum de utroque apud Joannem : *& dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis. Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra, in conſpectu Domini terræ ſtantes ...... Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia, quæ aſcendit de abyſſo, faciet adverſum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos* (*b*). Quamvis enim Joannes nomina non apponat, hunc tamen locum de Enocho, & Elia conſtanter accipiunt Hippolytus Martyr (*c*), & Gregorius Magnus (*d*), atque omnes propemodum divinorum librorum Interpretes (*e*); quidquid tandem, novis ſemper rebus ſtudens, moliatur hic quoque Harduinus, commentus, intelligendum eſſe de Moſe, & Elia, cum in his terris prophetæ munere fungebantur, divinam religionem, cæremoniaſque firmantes (*f*).

189. Incautis igitur, & ineruditis fucum Cattenburghius facit, cum interrogat, num veriſimile ſit, Enochum, & Eliam in obſcurum terræ carcerem, hoc eſt in Limbum, detruſos fuiſſe. Tantum enim abeſt, ut illo opinione noſtra abierint, ut potius, non ſacris ſolum docentibus litteris (§.188.III.), ſed ſummo etiam Patrum (ibid. I.), & Theologorum noſtrorum conſenſu adhuc inter vivos numerentur, ignoto illi quidem in loco (§. 187. III.), ſed tamen in magna corporis, & animi tranquillitate extrema mundi tempora exſpectantes, quibus iterum in hunc cœtum hominum venient, cum Antichriſto, ejuſque nefariis ſatellitibus pugnaturi, & religionis, Deique cauſſam fortiſſime defenſuri. Hinc autem exiſtit, nondum illos Dei adſpectu potiri, neque palam ejus pulchritudine perfrui. Omnium enim judicio conſtans ſaltem, & perpetua beatitudo non defertur hominibus, niſi expleto vitæ, laborumque curriculo. Quapropter de Enocho Gregorius Nazianzenus, *licet*, inquit, *translatus ſit*, *non conſtat tamen*, *quod Deum comprehenderit* (*g*). Aliter quidem ſententiam tulit Procopius Gazæus (*h*), & qui Gazæum multis poſt ſæculis ſecuti ſunt, Auguſtinus Eugubinus (*i*), & Catharinus (*k*), putan-

(*a*) Cap. 48. ver. 9. & 10. (*b*) Apocal. cap. 11. ver. 3-8.
(*c*) Demonſtr. de Antichr. num. 47. edit. Fabricii. (*d*) Homil. 12. in Ezech., & lib. 9. Moral. cap. 3. (*e*) Vid. Aretam hic.
(*f*) In hunc loc. Apoc. (*g*) Orat. 34. (*h*) In cap. 5. Gen.
(*i*) In Recognit. vet. Teſtam. in cap. 2. Gen. (*k*) Opuſc. de conſummata gloria Chriſti.

putantes, ambos jam Deum præſentem cernere, atque conſpicere, glorioſiſque indutos corporibus una in cœlo eſſe, & regnare cum Chriſto. Sed hi primum ratione, quæ nunc a nobis expoſita eſt, refelluntur. Deinde, etſi concederemus, quod volunt, noſtrorum tamen beatitudo, & felicitas ante Chriſti mortem, & migrationem in cœlum habere non potuiſſet initium. At ne iſtud quidem concedi poteſt. Negat enim Auguſtinus cum pleriſque (omnes non auſim affirmate dicere, quia ſingulos adire non potui), negat ille igitur cum pleriſque, atque his ampliſſimis Patribus, Enochum, & Eliam una cum Chriſto in cœlum profectos eſſe, atque ibi, aut alio loco Dei frui præſentia. *Neque enim arbitrandum eſt, Eliam vel ſic eſſe jam, ſicut erunt Sancti, quando, peracto operis die, denarium accepturi ſunt: vel ſic, quemadmodum ſunt homines, qui ex iſta vita nondum emigrarunt. Jam itaque aliquid melius habet, quamvis nondum habeat, quod ex hac vita recte geſta in finem habiturus ſit*. Hæc Aurelius Auguſtinus (*a*), cujus doctrinæ aſſentiens inter cæteros Bernardus *felices viri illi*, exclamat, *per quos divina aſcenſio legitur præſignata! Henoch raptus, translatus Elias; felices plane, qui ſoli jam Deo vivunt, ſoli vacant intelligendo, diligendo, fruendo* (*b*). Fruuntur enim Bernardi ſententia, non quia coram jam vident Deum, præſentemque intuentur, & poſſident, ſed quia aſſidue contemplantur, totoque pectore, ut dicitur, diligunt. Eis enim, ut explicatius alibi dixerat, *omnes materiæ, & occaſiones ablatæ ſunt, quæ eorum intellectum impediant, vel affectum, quia ſoli Deo viventes nec noverunt, niſi Deum, nec cupiunt, niſi Deum* (*c*).

190. Ita Patribus, quorum nos ſequi auctoritatem convenit, placuit. Procopius vero Gazæus vellem, ut paullo cautius totum hunc locum tractaſſet. Nam quoniam Enochus a Moſe dicitur ambulaſſe cum Deo poſt narratum ortum Mathuſalem, eſſe id indicio conjicit, antequam liberos ſuſcepiſſet, fuiſſe illum improbis moribus, & vitiis deditum (*c*). Quod quis ferat, præſertim ſuſpicioſum magis, quam demonſtratum? Divini ſcriptores cum ſemper de Enocho honorificentiſſima faciant, & præclara judicia, ampliſſimiſque eum efferant laudibus, nullo modo committunt, ut male ſuſpicemur de moribui

(*a*) Lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 6. (*b*) Serm. 6. de Aſcenſ.
(*c*) Serm. præced. (*d*) Loc. cit.

ribus tanti viri, qui præſertim dignus habitus fuerit, ut vivus ex hac fæce hominum abduceretur a Deo, reſervareturque ſumma cum gloria ad præſtantiſſimum, & difficillimum munus extremis mundi temporibus obeundum. Cumque a Moſe vel bis eodem in loco (a) dicatur, ambulaviſſe cum Deo, exiſtimare debemus, ineuntis ætatis commendationem non eum a vitiis, & turpitudine, ſed a virtute, pietatéque duxiſſe. Ambulare enim cum Deo idem valet in ſacris litteris, atque ita ſemper ſe gerere, ut totius vitæ ratio Deo probetur, & placeat, & ne quid committatur, quod eum poſſit offendere. Hæc certe res ſubjicitur illi Dei voci, dicentis Abrahamo: *ambula coram me, & eſto perfectus* (b). Quod ſi ſuſpicioni Procopii, non rationi, & conſilio, aliquid loci daremus, ſanctum etiam, & juſtiſſimum virum, Noemum affirmandum eſſe videretur, vitam a puero flagitioſe, non innocenter egiſſe, cum ante tres eum filios procreaſſe Moſes narret, quam, ambulaviſſe cum Deo (c). Id autem quam vitioſe concluſum eſſet, nemo dubitaret.

191. Sed hæc præteriens dico, dimiſsoque Procopio, acrius propoſitum urgeo. Ex ſuperioribus enim rebus optimus, & doctiſſimus quiſque ita judicare & poteſt, & debet, nefas eſse Theologo in eam opinionem concedere, quam hactenus labefactare conatus ſum, quæ ſcilicet beatæ vitæ effectricem Dei præſentiam cum ſanctis hominibus ante Chriſti tempora mortuis communicandam putat. Non ſolum enim, ut docui, falſa eſt, ſed ejuſmodi, quam, his præſertim temporibus, tueri judicio meo non liceat. Repugnat ſolers adverſarius. Ait enim, nondum ſe inveniſse, eſse rem ab Eccleſia definitam: quod autem definitum non ſit, id eruditionis cauſsam non egredi: eo magis, quod Eccleſiaſticorum librorum (Breviarium intelligit, & Miſsale) teſtimonia, ac verba ſibi faventia cum antiquorum Patrum judiciis, ſententiiſque concordant: atque adeo integrum cuique eſse, & liberum, quam ipſe adamavit, opinionem defendere (d). Ego vero, quod alias attingere debui (§.86.), longe aliter affectus ſum, aliter perſuaſum me eſse ſentio: ſed antequam procedat oratio, profiteor, præ meque fero, nullam me hoc loco opinioni Cadonici maculam, aut potius notam inurere: tantum privati Theologi

(a) Gen. cap. 5. ver. 22. & 24. (b) Ibid. cap. 17. ver. 1.
(c) Conſ. cap. 5. Gen. ver. 32. & cap. 6. ver. 9. (d) Vind. cap. 16. pag. 263.

logi fungentem munere, quæ mea ſententia ſit, plane, & candide, ſine contumelia tamen, ut ſoleo, in medio poſiturum.

192. Etſi ergo nullum Eccleſia de hac quæſtione decretum fecerit, judiciumque conceptis verbis non tulerit, res ipſa tamen eruditionis fines egreditur, ſe ſeque in religionem inſinuat. Nam primum quam ego illuſtravi, propugnavique, doctrina vetuſtiſſimorum quorumque Patrum nixa eſt teſtimoniis (§.19—75.), eamque Eccleſia ab omni ſemper antiquitatis memoria approbavit (cap. 9.). Quibus rebus accedit non mira ſolum, & conſtans Theologorum conſenſio (cap.8.), ſed & divinorum librorum oracula (cap. 10.), depromptæque ex media Theologia rationes graviſſimæ (cap. 11.). Utrum vero doctrinæ illæ, quæ ab his fontibus manant, ad eruditionem dumtaxat pertineant, fidem autem, & religionem non attingant, perfacile judicabunt ii, qui locorum Theologicorum quæ ſit vis, & auctoritas, aliquo modo cognorunt. Ego certe alio opuſculo, quod eſt de cultu puero Chriſto a Magis adhibito, adverſus Simonium monui (*a*), monitumque vir ampliſſimus, atque doctiſſimus, cujus ſumma conſtant in me officia, cum legiſſet, memini mihi eum coram laudaſſe, ac vehementer probaſſe: alias igitur monui, non conſueviſſe Eccleſiam de dogmate ferre judicium, quod nunquam antea, ne a contentioſis quidem, in dubium vocatum eſt, quod voluntaria omnium confeſſione, quod perpetua, & conſtanti Patrum doctrina ubique percrebuit, quod denique ab ineunte ætate ex ipſa natura quodammodo arripuimus, hauſimus, expreſſimus. Idipſum nunc moneo, omnibuſque alta voce denuncio. Siquidem, ut rectiſſime animadvertit in concilii Tridentini hiſtoria Cardinalis Pallavicinus, *neceſſe non eſt, ut ſingulos articulos ſemper Eccleſiæ declaratio antecedat; alioquin ad fidei dogmata cognoſcenda nullam haberet vim divinæ ſcripturæ*, Patrum, & Theologorum *lectio, ſed Eccleſiæ dumtaxat definitio: & per aliquot ſæcula, quibus paucula quædam Eccleſia definivit, licuiſſet de reliquis omnibus dubitare* (*b*).

193. Nego igitur, quod ſcriptum Cadonico, de quo nullum Eccleſia verbis ſolemnibus decretum fecerit, id eruditionis fines non egredi. Ipſa hæc etiam, quæ eſt in manibus, quæſtio luculentum mihi, ut aliter ſentiam, exemplum ſuppeditat. Antequam enim ſuperioribus ſæculis Lugdunenſium



(*a*) §. 26. (*b*) Lib. 6. cap. 18. edit. Lat.

primum, deinde vero Florentinorum Patrum concilium (vid. §. 173.) declararet, & ſciſceret, in præſentia piorum animos, qui rite expiati ſint, ſtatim a morte in cœlum conſcendere, ibique Deum perſpicere, numquid ea res dici poterat ultra eruditionis cauſſam non progredi? Minime vero. Agebatur omnino de dogmate, quod in media religione verſabatur, quod ad fidei controverſias pertinebat; atque idcirco illud Eccleſia, diſcuſſa omnium errorum caligine, liquido, ſapienterque diſceptavit. Diſtinctione hic in primis utendum eſt. Fieri enim poterit, ut ab homine, qui repugnet dogmati, nondum ab Eccleſia declarato, abſit hæreſis pertinacia: quin abeſſe interdum poterit & temeritas; ſed non continuo dogma illud ſolis eruditionis finibus ſeptum, atque incluſum tenebitur. Quod igitur de veteri illa controverſia diximus, idem etiam (ſola enim, ut patet, differentia temporum intereſt) idem, inquam, de hac quæſtione, & cauſſa, quæ a nobis adverſus Cadonicum ſuſcepta eſt, judicandum.

194. Ea ſine dubio eruditionis cauſſam egreditur, religionem attingit, ad fideique, ut opinor, refertur controverſias. Agitur enim de emolumentis, & fructibus, qui ex paſſione, & morte Chriſti confluxerunt ad hominum genus, de re præterea, in qua & noſtra, & Hebræorum erga Deum pietas nititur. Primum Hebræorum. Nam ſi ſumas, quod demonſtratum eſt, veterem piorum familiam in Dei conſpectum admiſſam non eſſe, Hebræi confeſtim ſummo animi ſtudio præſtolantur Meſſiam, totos ſe precibus dant, venerantur Dei juſtitiam, unaque ſapientiam, qui felicitatem, ac præmia bonorum animis debita ſibi ſtatim a morte non contulerit, ſed in poſteriora tempora reſervarit. Deinde noſtra. Nos enim, qui Chriſtiani vocamur, & ſumus, intelligimus, longe magis obſtrictos nos eſſe Chriſto, quam veteres, intelligimus præclarius, atque benignius, quam cum illis, actum eſſe nobiſcum, intelligimus, dandam aſſidue operam, atque enitendum, ut quam gratiſſimi eſſe, tantorumque beneficiorum memores videamur: hinc autem non ſapientia ſolum elucet Eccleſiæ, Meſſiæ deſiderium in animis hominum quotannis renovantis, ſed incredibilis quædam & charitatis, &, ſi verbo uti licet, gratitudinis magnitudo exardeſcit. Quæ omnia aut plane tolluntur, approbata opinione Cadonici, aut, niſi tolluntur, enervantur tamen (ex §. 142. & 143.).

195. Sed

195. Sed & Toletanum quartum concilium magnam, credo, religioſo adverſario exhibebit moleſtiam. Nam in Confeſſione fidei, quæ eſt cap. 1., & in qua ſola fidei dogmata diſtinctius enarrantur, hoc etiam de divino Filio credi vult; in quo mirifice, niſi mea, aliorum quidem certe exultare poſſet oratio: *deſcendit ad Inferos, ut Sanctos, qui ibidem tenebantur, erueret, devictoque mortis imperio, reſurrexit. Deinde in cœlum venturus eſt in futurum ad judicium vivorum, & mortuorum*. Poſt hæc autem, enumeratis reliquis doctrinarum capitibus, quæ in ſymbolo continentur, atque adeo fide rata habenda ſunt, concludit: *hæc eſt Catholicæ Eccleſiæ fides, hanc confeſſionem ſervamus, atque tenemus*. Loqui Patres de ſanctis hominibus, in Limbo, ſinuve Abrahæ aſſervatis, & alias ſignificavi (§. 66.), & conſtat ex ipſa loquendi ratione, *ut Sanctos, qui ibidem tenebantur, erueret*, multoque magis ex poſtremis verbis: *hæc eſt Catholicæ Eccleſiæ fides*, quorum illud in bonorum animos, in Purgatorii carcerem incluſos, ſatis belle non quadrat, hoc nullo modo. Ac certe vocem *Sancti* ſine ullo additamento poſitam apud veteres de his adhibitam non reperio, eidemque non tenebantur dumtaxat in Inferis, ſed atrociſſimas etiam Deo pœnas luebant. Chriſtus igitur, Toletanorum Patrum ſententia, deſcendit ad Inferos, ut pios, qui eſſent penes Abrahamum, liberaret. Idque eo magis, quod ajunt eſſe eam, quam declararunt, Catholicæ Eccleſiæ fidem; Catholicæ autem Eccleſiæ fides non eſt, pios in Purgatorium detruſos tunc temporis liberatos fuiſſe (ex §. 13-17.); eſt ergo, illorum judicio, Catholicæ Eccleſiæ fides, liberaſſe Chriſtum piorum animos, in ſinu, gremioque Abrahæ quieſcentes; at ſi Chriſtus hos liberavit, Dei adſpectu frui non poterant; quod ergo non fruerentur, Toletanis judicantibus Patribus, exploratum fide eſt. Fallor, an recte concludo? Equidem ſtudioſe providi, ut argumentationis caverem fallacias; ſed tamen fieri poteſt, ut halluciner, ut vera pro falſis approbem, ut aliquid, cum maxime nolim, delinquam. Diſputationi igitur meæ nimis non tribuam, ſed aliis rem iſtam totam conſtituendam permittam, id unum omni rurſus aſſeveratione confirmans, hanc controverſiam nullo modo ſolis eruditionis limitibus circumſcribi, ſed amplam habere cum religione neceſſitudinem, cognationemque cum fide.

196. At Eccleſiaſticorum librorum verba, at veteres adſtipulantur Cadonico. Hic vero ſuſpicionem ego quandam meam aperiam. Videtur hac jactatione verborum, aut ſollicitudine confiteri adverſarius, quæſtionem hic agi, quæ in mediam ſe religionem inſinuet, ultra eruditionis fines progrediens quam longiſſime. Niſi enim hos fines egreditur, quid cauſſæ eſt, cur tantopere de Eccleſiæ ſententia laboret, ac de veterum teſtimoniis? Patres quidem quaſi totidem Chriſtianæ civitatis oracula ſuſpicere, & venerari debemus, liberaliterque omni loco, & tempore tractare: quis enim Lutheros iſtos, Calvinos, Socinoſque non oderit?, ſed tamen, cum mota eſt quæſtio, cui, veluti materia, ſola ſubjiciatur eruditio, religioni nobis non ducimus cum his potius, quam cum illis ſentire, aut, quam quiſque ſimiliorem vero putaverit, opinionem defendere, ut ſi agatur de natura Solis, aut qua facie Chriſtus fuerit, eleganti ne, an ſubturpicula, quæſtio his quidem tractata temporibus, ſed tamen otioſis magis relinquenda hominibus, quam gravi digna Theologo. Sed de Eccleſiaſticis libris, quid ſibi polliceri poſſit Cadonicus, nono capite vidimus; nunc mecum breviter cognoſcatis, volo, de Patribus.

# CAPUT XIV.

*Occurritur argumentis Cadonici, Lamii, & Voſſii, ex Patrum auctoritate depromptis. Sinum Abrahæ, reſpectu ad Chriſti tempora habito, idem ſignificare Eccleſiæ, & Patribus, ac ipſum cœlum, aut ſocietatum piorum cum Deo regnantium. Itaque neque Hilarium Cadonico, neque Ambroſium Voſſio, neque rurſus Cadonico Joannem Chryſoſtomum faviſſe. Perdifficilis hujus locus, ignotus adverſario. Dimiſſo Petavio, enudataque vocis* cœlum *multiplici intelligentia, ac vi, explanatur. Agitur interim de bonis, fucatiſque Politicis; atque hi carpuntur. Reliquorum Patrum teſtimonia a Muratorio contra Burnetum collecta, nobis, Muratorio judice, ſuffragari, non officere. Recens Cadonici opus de Incolis Planetarum. Quæ ibi diſputare adverſum nos videatur.*

197. AC primum quidem doctrinam a Majoribus traditam auxilium ferre adverſario, & opem non poſſe, vel ex hoc ſatis perſpicuum eſt, quod ſibi nequit eſſe contraria. Tota autem, quantacumque eſt, ut oſtendimus (§. 19-75.), nobis opitulatur, ac favet. Quoniam tamen clamitare adverſarius, Lamiuſque non deſinunt, revera Patres in alia, atque alia verſatos eſſe ſententia, officii ratio poſtulat, ut quæ contra objiciunt, ſtudioſe expendamus, ac diluamus, præſertim cum jure a Platone illud Heſiodi laudatum eſſe arbitremur, ut ne ante feramus judicium, quam utriuſque partis rationes perſpectas, explorataſque habuerimus.

Μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.

Græca enim admiſcenda interdum ſunt, ne pro hujus ſæculi moribus Epicurei fortaſſe, rudes ſcilicet, atque ineruditi videamur. Et elegans oppido eſt illud Philippi, ut opinor, Macedonis, qui cum altera aure occluſa accuſatorem audiret, interrogatus cur id faceret, dixit, ſe eam ſervare integram reo. Quod contra nunc multi ex omni cœtu, & genere hominum faciunt. Nos igitur, quibus iſta judiciorum pravitas inviſa merito eſt, alterius rationis, atque partis adverſarios patientiſſime audiemus. Ut autem totum judicium rite, atque ordine tranſigatur, faciliuſque ut illorum plagas, & petitiones

nes vitemus, operæ pretium puto, diligenter antea exponere, quæ ſit apud Patres ſinus Abrahæ ſignificatio, cum loquuntur de Chriſti temporibus. Nam quid is ſignificet, reſpectu ad pios habito, qui ante Chriſti obitum fuerunt, tot a me locis demonſtratum eſt, ut ineptus ſim, ſi id exſequi iterum velim.

198. Quoniam igitur Abrahamus, & qui ejus veſtigia fidei perſecuti ſunt, migrarunt in cœlum, ibique in præſentia verſantur, regnantque cum Deo, ſæpe nunc Eccleſiæ, & Patribus ſinus Abrahæ idem, ac cœlum ſonat. Res apertiſſime conſtat ex celebri Antiphona, quæ canitur in die feſto S. Martini, Turonenſis Pontificis, concipiturque in hæc verba: *Martinus Abrahæ ſinu lætus excipitur, Martinus hic pauper, & modicus cœlum dives ingreditur, hymnis cœleſtibus honoratur*. Deſumpta eſt autem, quod cognoſcere proderit, ex Severi Sulpitii epiſtola ad Braſſulam. In Ordine etiam Commendationis animæ legimus (vid. §. 100. 108.): *liliata rutilantium te Confeſſorum turma circumdet: jubilantium te virginum chorus excipiat, & beatæ quietis in ſinu Patriarcharum te complexus adſtringat..... Redemptorem tuum facie ad faciem videas*. Leguntur & ſimilia in Sacerdotali Romano, quo loco agitur de ſepultura. Jam Eccleſia Confeſſores, quos dicimus, virgines, Patriarchas, cæteros his ipſis in locis, & alibi in cœlo conſtituit, admittitque in conſpectum Dei, quo videndo inexplicabili lætitia perfunduntur: idem nunc igitur ſinus Abrahæ eſt, ac regnum cœleſte, aut etiam piorum ſocietas Dei adſpectu, pulchritudineque lætantium.

199. Sed a Patribus quoque eadem his vocibus vis, notioque ſubjicitur. Sunt autem tanta multitudine, & copia, ut hoc unum cavere debeam, ne longius excurrat oratio. Paucos igitur, ne quem fortaſſe lectionis tædeat, appellabo. Hieronymus in epiſtola ad Marcellam de obitu Leæ: *nunc pro brevi labore æterna beatitudine fruitur, excipitur Angelorum choris, Abrahæ ſinibus confovetur, Chriſtum ſequitur, & dicit*: quæcumque audivimus, vidimus in civitate Domini virtutum. Auctor pervetus Conſtitut. Apoſtol. lib. 8. cap. 47. *conſtitue defuncto Angelos placidos, & colloca eum in ſinu Patriarcharum, Prophetarum, & Apoſtolorum, & omnium, qui tibi a ſæculo placuerunt, ubi.... eſt cœtus piorum, & lætantium, & terra rectorum beata videntium gloriam Chriſti tui*. Hic ſinus Abrahæ aut cœlum, aut piorum certe concilium, qui

una

una cum Chriſto ſunt, atque ejus divinitate fruuntur, ſignificat. Audoenus, Rhotomagenſis ſeptimo ſæculo Antiſtes, in vita S. Eligii lib. 2. cap. 36. *Eligius poſt mundi hujus adverſa omnia fortiter ſuperata, ſinibus Patriarcharum excipitur..... ſublimis fertur in cœlum, cum beatis reſurrecturus in gloriam..... in ſinu Abrahæ quieſcit ſine ullo metu jam felix.... cum Sanctis omnibus in cœleſti Paradiſo exſultat.* Quo quid a moroſo homine ad perſuadendum illuſtrius optari poteſt? Quamquam neſcio, an adhuc apertius idipſum egerit Ambroſius in ejus libri, qui eſt de bono mortis, capite 12. Nam *intrepide*, inquit, *pergamus ad illum Sanctorum cœtum, juſtorumque conventum. Ibimus enim ad Patres noſtros, ibimus ad illos noſtræ fidei præceptores: ibimus & ubi ſinum ſuum Abraham ſanctus expandit, ut ſuſcipiat pauperes, ſicut ſuſcepit & Lazarum.* Imitatus eſt autem Ambroſius Cypriani dicta in libro de mortalitate, qui, nec ipſo diffitente Burneto, & reliquis Millenariis, tum hoc libro, tum alias paſſim piorum nunc ſedem, & locum in cœlo eſſe demonſtrat.

200. Eadem, aut plane ſimilia alii tradunt Patres, quorum teſtimonia, magno a me labore capitis perquiſita, in Muratorii opere de Paradiſo legi poſſunt. Sunt enim ex hoc numero Euſebius Cæſarienſis, Athanaſius in epiſtola ad Luciferum (*a*), Gregorius Nazianzenus (*b*), Baſilius Magnus (*c*), Honoratus Maſſilienſis Epiſcopus (*d*), Liturgia, quæ Jacobo tribuitur (*e*), Joannes Chryſoſtomus (*f*), Euſtratius in oratione funebri, quam edidit Henſchenius (*g*), de S. Euthymio, Patriarcha ſuo (*h*), aliique complures. Eſt autem luculentiſſima omnium Euſebii auctoritas, neque idcirco inobſcurari a me poteſt ſilentio. Is igitur mutuatus a Paulo verba „ ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvitur, ædificationem, ait, ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis. Et peregrinantes a corpore verſamur cum Domino „ *uti etiam in eum ſperantibus promiſſum eſt, qui in ſinibus Abrahæ, Iſaaci, & Jacobi requieſcent, atque in cæterorum Prophetarum, juſtorumque conſortio, qui inter Hebræos Deo chari fuerunt, in beata vita longum ævum degent* (*i*).

Augu-

(*a*) Apud Murat. cap. 11. pag. 140. edit. Ven. 1755.
(*b*) Ibid. cap. 20. pag. 312.
(*c*) Cap. 20. pag. 300.
(*d*) Cap. 22. pag. 334.
(*e*) Cap. 12. pag. 152. 153.
(*f*) Cap. 16. pag. 227.
(*g*) In Actis SS. ad diem VI. April.
(*h*) Cap. 24. pag. 371.
(*i*) Cap. 24. pag. 371.

Auguſtinus ipſe, cujus ſe auctoritate tectum opinatur eſſe Cadonicus: *ſinus Abrahæ requies eſt beatorum pauperum, quorum eſt regnum cœlorum, in quo poſt hanc vitam recipiuntur* (*a*); paulloque poſt: *ſinus Abrahæ intelligitur ſecretum Patris, quo poſt paſſionem reſurgens aſſumptus eſt Dominus* (*b*). Nemo autem opinione Auguſtini in cœleſte regnum ante Chriſtum introiit, nemo eſt ſanctiſſimum limen ingreſſus. Sciebat enim, datum negotium Angelis, ut vel optimum quemque ab illius aditu prohiberent. Manifeſte igitur jam apparet, quod mihi propoſui, cum agitur de Chriſti temporibus, ſinum Abrahæ Eccleſiæ, & Patribus aut ipſas ſine dubio eſſe beatiſſimas cœli plagas, aut piorum certe quidem familiam, apud Deum commorantium, cœleſtibuſque bonis fruentium.

201. Perfacile hinc autem repelluntur, infringunturque argumenta, quæ adverſum nos ex veterum informari teſtimoniis poſſunt. Cadonicus auctoritate pugnat Hilarii, Pictavienſis Antiſtitis, qui tract. in pſal. 2. num. 48. *judicii dies*, inquit, *vel beatitudinis retributio eſt æternæ, vel pœnæ. Tempus vero mortis habet interim unumquemque ſuis legibus, dum ad judicium unumquemque aut Abraham reſervat, aut pœna.* Sic autem is argumentationem inſtituit. Ad judicium unumquemque, ſententia Hilarii, aut Abraham reſervat, aut pœna; piorum autem animi nunc temporis in ſinu Abrahæ ſuaviſſimo Dei adſpectu non carent; ergo ne antea quidem carebant. Argumenti enim aſſumptio apud homines, quibus religio cordi eſt, venire in dubitationem non debet, ne Hilarius æternam piorum felicitatem diſtuliſſe ad extremi judicii tempora videatur. Poſt hæc laudat Cadonicus reſponſionem Honorati Tournelyi, teſtimonium illud adverſus hæreticos explicantis his verbis. *Judicii dies, de qua loquitur, eſt dies judicii non ultimi, & univerſalis, ſed particularis, quod ſtatim a morte quilibet homo experitur. Quod ibidem probat Sanctus Doctor exemplo Divitis epulonis, & Lazari, qui uterque ſine mora ſtatim judicatus fuit; & iſte gloriam, ille vero debitam pœnam reportavit. Unde teſtimonium illud S. Hilarii favet plurimum cauſſæ Catholicæ, nedum ipſi noceat.* Addit ergo verbis ſuis Cadonicus: *idem porro favor cauſſæ Catholicæ etiam ex Auguſtino, de ſinu Abrahæ, & de Lazaro ibi recepto in compa-*

(*a*) Lib. 2. quæſt. Evang. quæſt. 38. num. 1.
(*b*) Ibid. num. 5.

*comparatione divitis toties loquente*, *obveniebat*; *nec unquam intelligam*, *quare non eadem repoſuerit Auguſtinum purgaturus*, *quæ pro Divo Hilario recte dicta laudavit*. *Num verba Hilarii præclariora Auguſtinianis in hac re haberi poterant? Sed interim notabunt Lectores*, *alium item Eccleſiæ Doctorem cum Auguſtino hoc expreſſe docere*; *in cujus verbis nullam culpam invenit Tournely*, *quamvis apertiſſime ſentiat*, *Lazarum in ſinu Abrahæ gloria*, *quæ in videndo Deo conſiſtit*, *gavíſum eſſe* (*a*). De Auguſtino proximo capite ſeorſim diſſeretur; hic vero neutrum faciam, neque cum Gallo iſto ſcriptore interpretabor Hilarium, neque Cadonico ullo modo concedam, quod vult. Non primum, quia Tournelyus ſatis diſtincte, & illuminate non agit: non alterum, quia Abraham apte, accommodateque ad tempora varie debet intelligi. Pii cujuſque ætatis, & memoriæ penes Abrahamum, omnium credentium patrem, aſſervantur, ſed non eodem ſemper modo. Ante enim, quam Chriſtus mortem oppeteret, cœlique oſtium reſeraret, ut Abrahamus, ſic ipſi a Dei præſentia arcebantur: poſt mutata ratio eſt. Abrahamum enim in cœleſte regnum ingreſſum ſecuti una nunc cum ipſo adſpectu Dei fruuntur, bona cœleſtia in perpetuum poſſeſſuri. Nempe ſinui Abrahæ non eandem ſemper rem Eccleſia, & Patres ſubjiciunt; ſed nunc aut cœlum deſignat, ac notat, aut ſanctorum hominum cœtum, quos ſuo Deus adſpectu lætificat (§. 198—291.). Idque ex ipſo etiam conſtat Hilario, qui ut piorum animos ante Chriſti profectionem ad Inferos a Dei præſentia removendos putaverit (§. 38.), eiſdem poſtea videndi Dei poteſtatem facit (not. 8.). Poſſunt eodem modo alia etiam explicari teſtimonia, quæ a Cadonico omittuntur. Sæpe enim ab Hilario traditum, pios in ſinum Abrahæ recipi, aut in ſinu Abrahæ aſſervari.

202. Voſſius etſi candide fateatur, ac doceat (vid. §.78. 79.), cauſſam, quam defendimus, veteribus probatam fuiſse; adjungit illud tamen, non ita eos manere in ſententia, quin etiam in contrarias partes diſceſserint. Id demonſtrare conatur quodam Ambroſii loco, quem vitioſe, ut mos hominum eſt, deſcriptum, ego emendatum proferam, ut Maurinorum repræſentat editio in lib. de bono mortis cap. 2. num. 5. *Feſtinabat etiam ſanctus David de hoc loco peregrinationis exire dicens*: advena ego ſum apud te in terra, & peregrinus,

Kk ſicut

(*a*) In vindic. cap. 16. pag. 166.

Digitized by Google

ſicut omnes Patres mei. *Et ideo, tanquam peregrinus, ad illam communem Sanctorum omnium patriam feſtinabat.* Quibus potiſſimum verbis nitatur Voſſius, quid cauſſæ ſit, cur hoc teſtimonio abutatur, ſatis exploratum non habeo. Numquid movetur, quod noſter communem piorum omnium patriam memorat? Certe erat ſinus Abrahæ optimi cujuſque patria, ſedes, & regio; at non affirmat, piorum ibi ſe Deum animis patefeciſſe, ſua ſe illis forma oſtendentem. Numquid igitur, quia dicit, feſtinaviſſe Davidem ex his terris, in quibus peregrinaretur, exire? Ne hoc quidem moveri debuit. Feſtinabat enim hinc egredi, hinc migrare, evadere, erumpere, non quod ſtatim in cœlo, aut cum Deo ſe futurum ſperaret, ſed ut vitæ hujus miſerias, atque incommoda effugeret, & in malis hominum communibus portum tandem malorum ſuorum aliquem inveniret. Etenim luget eo loci, ſi forte neſcis, Ambroſius vitam hominum, ut mortem deinde in bonorum numero poni oportere, optabilemque eſſe conficiat. Ea res, inquit, optanda eſt, & expetenda magis, quam timenda, quæ a malis abducit; eſt autem mors ejuſmodi: abducit enim a malis, atque moleſtiis, in quibus aſſidue verſamur, abſtrahit præterea a peccatis, & peccatorum illecebris; eſt igitur optanda mors, & in bonis, verum ſi loqui volumus, numeranda. En, quamobrem teſtimonio Ambroſii vehementer cuperet optimus ille Rex ſolum vertere, vitamque commutare cum morte, diſceſſurus præſertim, ut ſperabat, in locum, ubi, etſi Dei frui conſpectu, majeſtatéque non poſſet, locus ipſe tamen quietis, & tranquillitatis pleniſſimus fore videbatur. Eandem ob cauſſam Jacobus non ſolum, ſed Jobus etiam, & Tobias omnino vivere, expedire ſibi non putabant. Quorum ſimilitudinem aliquam qui arripuerit, non eam fama populari, ſed vera virtutum laude metiens, fidenti animo, ſi ita res feret, gradietur ad mortem: in qua nunc præſertim ſummum bonum eſſe cognovimus. Ut autem liquidius conſtet, nihil docuiſſe Ambroſium, in quo aut parum ſibi cohæreat, aut cauſſæ noſtræ auctoritatem imminuat, audiendus Gregorius Magnus, qui lib. 18. in Jobum num. 48. Ambroſii ſibi, ut opinor, orationem imitandam propoſuit. *Hujus peregrinationis ærumnas*, inquit, Paulus *ſatagebat evadere, cum dicebat:* deſiderium habens diſſolvi, & cum Chriſto eſſe. *Et rurſum:* mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. *Hujus peregri-*

*grinationis pondus grave ſentiebat Pſalmiſta, cum diceret:* heu me, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. *Ab hac eripi quantocyus anhelabat, cum ſupernis deſideriis flagrans diceret*: ſitivit anima mea ad Deum vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Ut aliquam tandem beatæ quietis partem inveniam. Quæ ergo Mediolanenſis Antiſtes, ſimillima his, planeque gemina docuit de Davide Gregorius, Pontifex Maximus: neque alicui tamen in mentem veniet ſuſpicari, exiſtimaſſe Gregorium, Regem hunc, pioſve cæteros conſcenſuros fuiſſe in cœlum, aut futuros ſtatim a morte cum a Deo (§. 53., & 177.).

203. Non eſt igitur a Voſſio Ambroſius. Sed multo minus a Cadonico Joannes Chryſoſtomus, quod ſæpe eſt a me locupletiſſimis auctoritatibus copioſe demonſtratum. Quis tamen crederet? Cadonicus & in noſtri hujus doctrina opinionis ſuæ præſidium inveniſſe ſe putat, nominatimque in eis locis, quæ Honoratus Tournelyus, cauſſam illius agens (*a*), de Millenariorum manibus extorquere conatur. Scriptorem ego adii, ſcrutatus ſum, excuſſi, ſi quid forte haberet, quo vir ſanctus a conſtantia, atque a ſe ipſe diſcederet. Diligenter qaærenti nihil mihi tale ſe obtulit. Hoc unum reperi dictum Chryſoſtomo de Dei adverſus homines miſericordia: *hæc non patitur, eo nos detrudi, ubi dives ille cruciatur, ſed in ſinum Abrahæ certo itinere ducit* (*b*), quod, ſi fortaſſe ſpectavit, ut credo, adverſarius, nihil ad me arbitror pertinere. Docui enim, adhibita quoque auctoritate Chryſoſtomi, ſinum Abrahæ, cnm de Chriſti temporibus dicitur, aut ſumi pro cœlo, aut pro cœtu, ſocietatéque piorum, a quibus æterna jam beatitúdo, & felicitas parta eſt (§.198—201.). Sed illa, Joannes Cadonice, eſt quæſtio, illa inter nos contentio, num ſinus Abrahæ idem etiam ſibi velit, cum de piis accipitur, qui, florente adhuc Judæorum Republica, egreſſi eſſent e vita. Docui autem toto hoc libro, Abrahami filios, qui in ejus ſinum, gremiumque convolaſſent, tanto adhuc bono ante divini Filii obitum caruiſſe. Eam ad rem declarandam quot ego, & quam luculentas, ut dixi, ipſius Chryſoſtomi auctoritates produxi, quæ nullo unquam hominum artificio ele-

 vari

(*a*) De Deo, & div. Attrib. quæſt. 12. art. 1. in objection.
(*b*) Apud Tourn. ibid. ex hom. 52. in Matt.

vari poſſe videantur? Quamquam argumenta Cadonici ex his Patrum ducta teſtimoniis, ubi ſinus Abrahæ mentio fit, proſ-ſus vacillare, & jacere, facillime rurſus a me, planeque ad veritatem oſtendi poteſt. Poſtquam enim is poſuit; Hilario, Chryſoſtomoque teſtantibus, pii in ſinum Abrahæ deferuntur, aſſumit hoc modo: neuter autem nunc temporis Dei conſpectum illorum animis adimit: ex quo jam perfectum eſſe arbitratur, ut ne antea quidem ademerit. Ex rebus dubiis verum effici non poteſt, ut docent Dialectici. Jacet igitur tota concluſio. Ut enim, ſi ego ita aſſumerem: Hilarius vero, & Joannes Chryſoſtomus, ſedem Abrahæ apud Inferos locatam antea eſſe dixerunt: tum vero concluderem: ibidem ergo etiamnum locatam exiſtimant; nullam concluſionem eſſe adverſarius clamaret; ſic ego ſuperiorem illam hominis concluſionem non probo, atque eſſe vitioſam profiteor, quia ex verbis dubiis, & quibus varia, ac multiplex ſubjecta notio eſt, id, quod dubitatur, efficitur. Videlicet ſinus Abrahæ non idem ante, ac poſt Chriſtum mortuum in Patrum ſcriptis ſignificat. Ante, referri ad locum debet, ubi Deum piorum animi non videbant: poſt, aut ad ſignificandas beatiſſimas cœli plagas ponitur, aut divinum ipſum deſignat animorum concilium, qui, obita jam bonorum celeſtium poſseſſione, Dei præſentia ſummo cum gaudio perfruuntur. Utrumque ego autem apertiſſime explicavi, nullus ut dubitandi locus docili homini relinquatur.

204. Totum me igitur, ut ſoleo, Cadonico patefaciam Romana illa fide, & candore, quem, etſi meis luminibus obſtruere videam, retinebo conſtanter tamen, dum anima ſpirabo mea, perſuaſum ſic habens, ſapientiorem, quam homines, infinitis partibus eſse Chriſtum, jubentem, ſincere nos, ſinéque verborum circuitu dicere, eſt, eſt, non, non; & eſſe prudentes quidem ſerpentium inſtar [47], ſed una apertos tamen,

[47] *Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum. Eſtote ergo prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ.* Matth. cap. 10. ver. 16. Quæ hic igitur prudentia dicitur, non eſt hodierna iſta, deteſtabiliſque politices, quæ omnia ad utilitatem refert, nihil de vitæ officiis, amicitiiſque ſollicita, ſed perſpicacitas eſt, mentiſque acies, & ſolertia, ad detegendas inſidias comparata. Hanc dotem laudat in ſerpente Horatius lib. 1. Sat. 3. ver. 26.

*Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,*
*Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?*

Atque

men, & ſimplices, ſicut columbas, non ſubdolos, non fraudulentos, non Herodes, non Janos, non Sinones, non perfidos, non proximorum perniciem; quibus in rebus nunc maxime nefaria iſta, quæ per omnium vitas ſerpit quotidie magis, politices ponitur, fœditas potius, & corruptela, quam prudens vivendi ratio, illorum omnium digniſſima odio, qui ſe ad ſocietatem (fide autem, non fraudibus ſtat humana ſocietas) natos eſse intelligunt, eam præſertim, quam Dei Filius ſuis vel legibus, vel conſiliis providentiſſime, ſanctiſſimeque conſtituit, diſsociat autem, totamque evertit Macchiavelliana iſta ars [48], tantopere ab his ineptis, niſi rectius dicendum eſt, ſceleratiſſimis hominibus prædicata, ne illud quidem effutire interdum verentibus, præſtare, eſse politicum, ideſt, ut ego cum Gregorio Magno ex factis interpretor, verſipellem, & improbum, quam honeſtum virum, & candidum [49], vocan-

Atque hanc ſpectavit præceptor hominum Chriſtus, qui apud Matthæum id ſibi vult: ecce ego mitto vos, ſicut oves imbelles, & inermes, ad lupos rapaciſſimos. Eſtote ergo, animæ meæ, perſpicaces, & cauti, ſicut ſerpentes, ut caveatis ab hoſtibus Evangelii: eſtote una tamen & ſimplices, ſicut columbæ, ut nemini noceatis, ac ne ulciſcamini quidem injurias. Tenes, quam a ſuis requirat prudentiam? Vid. Chryſoſt. hom. 33. in Matth. num. 2. Tom. 7.

48 Quod enim plerique omnes ex infantiſſimis his hominibus, qui politicos ſe eſſe jactant, plane neſciunt, nihil tandem eſt aliud Macchiavelliſmus, niſi doctrina peſtilentiſſima, quæ præcipit, religionis nullam habendam eſſe rationem, niſi quia reipublicæ, aut rebus cujuſque privatis eſſe utilis poteſt, atque adeo ea tamdiu utendum, quamdiu noſtra, aut reipublicæ intereſt. En præclaram philoſophiam, quam, dum tot hodie inepta capita profitentur, cæteros, veluti fungos deſpiciunt, ſtolidi ipſi verius, & fatui homines, medico magis, quam doctore indigentes.

*O phyſici, phyſici, mediam contundite venam.*

Utinam boni ſaltem humanorum cœtuum Præſides hanc ſentinam ſocietatis, hanc religionis labem ejicerent! O tunc fortunatas reſpublicas! O tunc concilia hominum beatiſſima! Odi enim ego mirabiliter anti-Chriſtianos iſtos politicos. Natum eſt monſtrum teterrimum patre Nicolao Macchiavello, Florentino, idque in Anglia primum ſovit Thomas Hobbeſius; lues poſtea late graſſata eſt. Paſſim enim excipitur in cœtibus etiam, quod ſatis dolere nequeas, Sacerdotum. Cæterum unuſquiſque intelligit, me neque Cadonicum, neque alios id genus aut religioſos, probatæ vitæ homines carpere.

49 *Hujus mundi ſapientia eſt*: latiſſime autem patet hæc mundi notio, his præſertim moribus, atque temporibus: *hujus* igitur *mundi ſapientia eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare: quæ falſa ſunt, vera oſtendere, quæ vera ſunt, falſa demonſtrare. Hæc nimirum prudentia*, carnis nempe, & Diaboli filia, *uſu a juvenibus ſcitur, hæc a pueris pretio diſcitur: hanc* qui

Digitized by Google

vocantibuſque propterea tenebras lucem, & lucem tenebras, malum bonum, & bonum malum; quorum perdet Deus aliquando tandem prudentiam, eiſdemque ad patrem ſuum Diabolum abire juſſis (eſt is enim ex divino oraculo princeps, & architectus mendacii, atque adeo politicorum pater), puſillos

*qui ſciunt* (non hercule invideo) *cæteros deſpiciendo ſuperbiunt; hanc qui neſciunt* (ſed quotus nunc quiſque eſt?), *ſubjecti, & timidi in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitas iniquitatis, nomine palliata, diligitur, dum mentis perverſitas, urbanitas*, & vitæ ſcientia (ſic enim loquitur politicorum natio) *vocatur. Hæc ſibi obſequentibus*, atque adulantibus *præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala* (ex rebus fictis, commentitiiſque hæc mala perſæpe conſtant) *multiplicius reddere: cum vires ſuppetunt, nullis reſiſtentibus cedere*, res ſuas agentibus calumniam imponere: *cum virtutis poſſibilitas deeſt, quidquid explere per malitiam non valet, hoc in pacifica bonitate ſimulare. At contra ſapientia juſtorum eſt, nil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis aperire*, & plane loqui, *vera ut ſunt, diligere, falſa devitare, bona gratis*, damno etiam interdum magno ſuo, *exhibere, mala libentius tolerare, quam facere*, promiſſis ſtare, *nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc juſtorum ſimplicitas deridetur, quia ab hujus mundi ſapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim, quod innocenter*, & ſine fuco *agitur, ab eis procul dubio ſtultum putatur, & quidquid in opere veritas approbat, carnali ſapientiæ fatuum ſonat. Quid namque ſtultius videtur mundo, quam mentem verbis oſtendere, nil callida machinatione ſimulare*, non ab afflicta amicitia transfugere, atque ad florentem aliam devolare, *nullas injuriis contumelias reddere?* His coloribus politicorum, quos dicunt, mores (ego enim reipublicæ illos, & religionis peſtem verius dixerim) deſcriptos reliquit Gregorius Pontifex Maximus (lib. 10. in Job num. 48. edit. Maur.), homo, ſi quis unquam alius, prudentiſſimus, ſed qui cum prudentia integritatem illam vitæ, quam fruſtra quærimus, & fidem conjunxit. Quibus lacrymis noſtram vir ſanctus deploraret miſeriam, ſi in hæc tempora, atque in hanc amentiam hominum incidiſſet? Nam, ut verbis dicam Horatii,

*Damnoſa quid non imminuit dies?*
*Ætas parentum pejor avis tulit*
*Nos nequiores, mox daturos*
*Progeniem vitioſiorem.* Odar. lib. 3.

*Candor in hoc ævo res intermortua,*

ait olim Ovidius de ſuæ ætatis hominibus. Quid, oro, ſummus ille Pontifex de noſtris diceret, qui tam verſipelles ſunt, tam toti ex fraude, mendacioque compoſiti, ut una cum lacte nutricis ſuxiſſe omnem malitiam, nocendique libidinem videantur? Qui queſtus, qui mœror dignus inveniri calamitate tanta poteſt? Cui enim credas, cui fidem adhibeas? Quando

*Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri:*

uſque adeo proceſſit perverſitas hominum. Sed finis ſit: ſurdis enim narramus fabulam, & qui fortaſſe latine non ſciunt. Nam ut Catholiciſmum norint illi de nomine, de facie quidem certe non norunt. Interim a bonis, qui hæc lecturi ſunt, veniam peto.

ſillos contra iſtos, & contemptos homines, qui ſe in puerorum naturam induerint, ad ſe alliciet, atque invitabit, eſséque de fidelibus ſuis teſtabitur: ego igitur, ut inſtitueram dicere, me totum Cadonico patefaciam, pectuſque meum oſtendam. Quæ ei teſtimonia ſuffragari poſsunt, non illa quidem apud Tournelyum quærenda, ſed in Homiliis ejuſdem Chryſoſtomi de Machabæis. Duo hic enim vir ſanctus poſuit, quæ vel doctiſſimorum ingenia mirabiliter torqueant. Homilia 2. num. 1. agens de natu minimo ex fratribus Machabæis ſic loquitur: *hoc vero theatrum adeo præclarum erat, & magnum, ut ipſum Angelorum cœtum, immo vero fratres ſpectatores haberet, non jam e terra, ſed e cœlis. Coronati enim, ut in olympicis certaminibus judices, conſidebant*. Homilia vero 1. num. 3. de illorum matre hunc in modum: *ſed illos omnes, ceu in tutum quoddam receptaculum, in cœlos deportatos habens*, ὥσπερ εἰς ἄσυλον ἀποθεμένη ταμεῖον τὸν οὐρανὸν, *& ad ſupernas miſſos coronas, bonaque immutabilia, multa cum fiducia, & voluptate certamen adiit* (*a*).

205. Clare igitur locutus ſum, & aperte, & quæ mihi timorem facere videantur, expoſui. Sane quidem priore illo loco (viderat enim, & exſcripſerat), tantopere conturbatus eſt Dionyſius Petavius, ut quamvis ex Chryſoſtomo docuiſset, pios olim omnes ante Chriſti obitum ad Inferos immigraſse, paullo poſt tamen addiderit, ſibi ſemper virum doctiſſimum in hac re non conſtare, profeſsumque interdum eſse, eorundem piorum animos ante id temporis abiiſse in cœlum, & divina promiſsa conſecutos fuiſse. *Quid*, inquit, *quid, quod idem Chryſoſtomus in homilia ſecunda de Machabæis etiam ante Chriſti adventum Sanctorum animas in cœlo verſatas eſſe, & coronam percepiſſe docet?* Statimque illius auctoritatem producit (*b*). Ego obſcuriſſimum eſse locum, & perdifficilem fateor, immo ejuſmodi, qui bonum quemque Theologum adducat in anguſtias. Nunquam tamen inducere animum potero, ut cum Petavio ſentiam, Chryſoſtomumque inconſtantiæ condemnem. Etenim ante Chriſti ex hac vita diſceſsum univerſo hominum generi cœli aditum intercluſum fuiſse, omnes, ne exceptis quidem optimis, atque ſanctiſſimis, abiiſse ad Inferos, tam multis locis, tam perſpicuis argumentis, & rationibus

(*a*) Tom. 2. edit. Maurin.
(*b*) De Deo, Deique prop. lib. 7. cap. 14. num. 10.

nibus docuit, idque non præteriens, ſed conſulto, & dedita opera, in eis etiam libris, quos, nondum ſcriptis homiliis de Machabæis, compoſuit; ut mihi prodigio ſimile videatur, eum hic mutaviſse conſilium, Machabæoſque laureatos in cœlum ſtatim ab obitu ſuſtuliſse. Loca, quæ nullius infirmare poſſit oratio, meditate ego, fideliterque deſcripſi §. 5. 118. VI. 130. V—VII. 131. Verbi gratia §. 5. ſic illum de Pauli verbis diſſerentem audivimus. *Contendit oſtendere, nos omnia habuiſſe majora; ſiquidem nunc apertæ ſunt portæ cælorum, quod nec Abrahami quidem tempore contigit. Et recte dicit viam novam, & viventem. Nam prima via erat mortis, ducens ad Inferos, hæc autem vitæ.* Nonne vel unus hic locus videtur nos cogere, ne Chryſoſtomum in ſententia inconſtantem putemus? Præterea, niſi ſuperiora omnino dirimerent controverſiam, uberiora adhuc teſtimonia ex aliis magni viri operibus proferre poſsem. Quæ cum ſint, quidvis potius dicere paratus ſum, etiam, homilias illas interpolatas eſse, aut ſimilia, quam concedere, tanto ingenio, ſapientiaque doctorem ſecum diſcordare, & loqui turpiter repugnantia. Faciendum tamen puto, ut aliquo modo interpretemur ſententiam, ne iis fortaſse, qui moroſiores ſunt, omnino ſecaſse nodum videar.

206. Faceſſit ergo moleſtiam cœli vox, utrobique ab Joanne Chryſoſtomo adhibita. Quocirca intrandum eſt in ejus vocis naturam, & penitus, quid ea valeat, pervidendum, ſi quid elicere tandem poſſimus, quo enatemus. Reliqua enim difficultatem, opinor, non habent. I. Principio igitur notum eſt, cœli nomine tum a ſacris, tum a divinis ſcriptoribus aerem quam ſæpiſſime deſignari. Id ſupra nos breviter docuit Claudius Taurinenſis (§. 195.). Explicatius, ac plenius Auguſtinus in lib. de Agone Chriſt. cap. 3. *cælum enim dicitur & iſte aer, ubi venti, & nubes, & procellæ, & turbines fiunt, ſicut etiam Scriptura dicit multis locis*: & intonuit de cœlo Dominus, & aves cœli, & volatilia cœli; *cum manifeſtum ſit, aves in aere volare. Et nos in conſuetudine hunc aerem cælum appellamus: nam cum de ſereno, vel nubilo quærimus, aliquando dicimus: qualis eſt aer? aliquando, quale eſt cælum?* Cicero in primo Tuſcul. num. 19. de animo hominis, *penetret, & dividat omne cælum hoc, in quo nubes, imbres, ventique coguntur; quod & humidum, & caliginoſum eſt propter exhalationes terræ.* Et Virgilius

..... &

..... *& varium cœli prædicere morem* (*a*).
Ubi Servius: *cœli*, *ideſt aeris*. In eam ſententiam locutum eſſe Chryſoſtomum, nemo paullo prudentior ſuſpicabitur.

II. Cœlum aliquando ſumi ſolet pro climate, ſive terræ regione, quæ certæ cuidam cœli plagæ reſpondeat. Ex quo illud Horatii, tritum Dialecticorum ſermone.

*Cœlum*, *non animum mutant*, *qui trans mare currunt* (*b*); tum Flori: *Ipſe hominum color ab alio cœlo venire fatebatur* (*c*). Loquitur nimirum de Indis Romam venientibus.

III. Alia, atque alia ineſt in verbo notio, cum aliquis dicitur de cœlo ici, vel tangi. Idem eſt enim, ac percuti fulmine. Cicero in ſecundo de Divinat. *Summanus de cœlo ictus*; itemque in ſecundo de nat. Deor. *Nattæ ſtatua de cœlo tacta*. Quid ſi cœlum ruat? Dictum Terentio (*d*), & proverbium in homines eſt, qui inaniter metuunt.

IV. Contra in cœlum ferre, vel tollere, eſt aliquem ſummis honoribus, vel laudibus proſequi. Res nota in vulgus Grammaticorum non eget teſtimoniis. *Salaminii*, inquit Cicero ad Atticum, *nos in cœlum decretis ſuis ſuſtulerunt*. At de cœlo detrahere, eſt de ſummo honoris gradu deturbare. Quare Cicero: *collegam de cœlo detraxiſti* (*e*). Similiter de cœlo lapſus, vel miſſus vir magnus, aut ſanctus dicitur, qui aut felicitatem mortalibus afferat, aut eos ſingulari vitæ innocentia in ſui ſpectaculum rapiat. In hanc ſententiam creberrime loqui videas ſcriptores Eccleſiaſticos: in illam Cicero de Pompejo: *omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompejum*, *ſicut aliquem non ex hac urbe miſſum*, *ſed de cœlo delapſum*, *intuentur*.

V. Præterea cœlum digito, vertice, pedibus tangere dicuntur, qui ſibi beatiſſimi videntur, & acu rem aliquam tetigiſſe. Natio hominum his temporibus late fuſa. Propertius:

*Nunc mihi ſumma licet contingere ſidera plantis* (*f*).

Cicero ad Atticum: *noſtri autem Principes digito ſe cœlum putant attingere*, *ſi nulli barbati in piſcinis ſint* (*g*), ut noſtri nunc equites, ſi cum Nerone oſtentent aurigandi ſcientiam, aut ſi ab aliqua nobili muliercula diligantur.

*O curas hominum! o quantum eſt in rebus inane!*

L I Non

(*a*) Lib. 1. Georgic. (*b*) Lib. 1. epiſt. 2. ver. 27. (*c*) Lib. 4. cap. 12. (*d*) Heautont. 4. 2. 41. (*e*) In 2. Philipp. (*f*) Lib. 2. Eleg. 8. (*g*) Lib. 2. epiſt. 1. ad Attic.

VI. Non multo aliter Græcis, & Latinis ſonat, eſſe in cœlo, in cœlum conſcendere, deportari in cœlum. Celebrata eſt a Cicerone (*a*), & Plutarcho (*b*) Laconis illa vox, qui, cum Rhodius Diagoras, Olympionices nobilis, uno die duos ſuos filios Olympiæ victores vidiſſet, acceſſit ad ſenem, & gratulatus, morere, Diagora, inquit; non enim in cœlum adſcenſurus es. Magna hæc nimirum putabant Græci, iſque in primis, qui hoc Diagoræ dixit. Itaque exiſtimantes, hominem, cui talia contigiſſent, in ſummo felicitatis gradu, ad quem adſpirare mortalibus liceat, locatum eſſe, cunctari illum diutius in vita, fortunæ objectum, inutile putabant ipſi, nihil enim ultra eſſe, quod expeteret, niſi Deorum faſtigium, aut locum, in quem conſcendere vivus non poterat. Eam ob rem dicebat olim pugili victori poeta Pindarus:

*Ne opta, Jupiter fieri, omnia habes.*

Μὴ μάτευε Ζεὺς γένεσθαι. Πάντ' ἔχεις (*c*).

(Græcas enim & nos a parvis didicimus litteras, præceptore uſi, quem grati animi cauſſa, libentiſſime nomino, Anſelmo de Rubeis, viro honeſtiſſimo, qui ſummo nunc Sodalitatis noſtræ Magiſtro adeſt in conſilio), niſi igitur aves Jupiter fieri, habes omnia, quæ poſſis expetere. Singularem autem apud Græcos fuiſſe Olympiacæ victoriæ laudem, & gloriam docere idem poterit Pindarus (*d*), Plato (*e*), Athenæus, Artemidorus, Vitruvius, Svetonius, alii. In his iterum, ac ſæpius Cicero. *Quid ſi etiam occiſus eſt a piratis Adramytenus, homo nobilis, cujus eſt fere nobis omnibus nomen auditum, Atinas pugil, Olympionices? Hoc eſt apud Græcos (quoniam de eorum gravitate dicimus) prope majus, & glorioſius, quam Romæ triumphaſſe* (*f*). Romæ autem triumphus honorum omnium ampliſſimus fuit, ut cognitum eſt, qui ſuffragio, aut ſtudio civium deferrentur.

207. Omnem moleſtiam eripere mihimet volui radicitus, eoque fui fortaſſe longior. Sic mihi igitur perſuadeo, Joannem Chryſoſtomum, dicentem, Machabæos non jam e terra, ſed e cœlo natu minimum fratrem certantem ſpectaſſe, ea loquendi formula non cœlum voluiſſe intelligi Empyreum, ubi Deum laureati conſpicerent, ſed quendam otii, requie-

(*a*) Lib. 1. Tuſcul. quæſt. num. 46. (*b*) In vita Pelopid.
(*c*) Iſthm. V. 18. (*d*) Olymp. III. 77.
(*e*) Lib. 5. de Rep. (*f*) In orat. pro L. Flacco cap. 13. edit. Oliv.

quietis, & felicitatis locum, quo pervenerant, & quo pro illis temporibus nihil optare amplius poterant, ideſt, ſinum Abrahæ intelligi voluiſſe. Miraris? Quinque me potiſſimum res, id ut ſtatuam, movent. Primum varia illa vis, ac poteſtas, quæ verbo cœlum ſubjicitur (§.206. II. IV. V.VI.). Deinde teſtimonia viri ſancti graviſſima, & locupletiſſima, quæ ſupra dixi (§. 205.). Nunquam enim acuto homini perſuaderi poterit tanta in illo varietas voluntatis, & diſſimilitudo opinionis, ac judicii, quantâ certe exſtaret, ſi aliter interpretari velis Chryſoſtomum. Tertio, quod utitur victorum ſimilitudine in Olympiis (vid. VI.). Quarto, quod ait, putaſſe matrem, Machabæos filios in cœlum, veluti in quoddam aſylum, ſeu receptaculum deportatos fuiſſe, ideſt locatos in ampliſſimo dignitatis gradu, ſeu ad ſummam, ad quam tunc adſpirare poterant, felicitatem veniſſe, in ea ſane regione, & plaga, unde avelli non poterant, ubi omni vacarent metu, nulla deinceps ſalutis ſubituri pericula (ex II. & VI.). Quinto tandem, quod de matre hæc ſtatim adjungat. *Quis enim vir, quæ mulier, quis ſenex, quis juvenis veniam conſequetur, aut excuſari poterit, ſi oblata ſibi pro Chriſto pericula reformidet, quando mulier vetula, & tot filiorum mater, ante gratiam decertans, clauſis adhuc mortis janúis, nondum exſtincto peccato, neque debellata morte, cum tanta alacritate, & fortitudine tot propter Deum ſupplicia ſuſtinuiſſe cernitur?* Porro mortis janua, ipſo Chryſoſtomo interprete (§. 5.), non olim dabatur aſcenſus in cœlum, ſed via patebat ad Inferos. En, qua demum ratione potuit Petavius obſcurum, atque difficilem locum exponere. Satis autem appoſite eſt, totuſque, ut arbitror, declaratus, niſi forte exſpectat aliquis, ut de corona, boniſque immutabilibus, quorum ibi noſter mentionem facit, reſpondeam. Ego autem vereor, ne aut nimius ſim, aut ne lectorum ingeniis penitus diffidere videar, ſi de rebus ejuſmodi, ſæpe a me explicatis, diutius differam.

208. Liberatus magna moleſtia, alacrius, & lætiori jam animo ad alios Patres me referam. Eos Cadonicus legi jubet apud Muratorium in opere adverſus Burneti errores compoſito. *Ut autem alios item Patres*, inquit, *in hac fuiſſe ſententia, quam præpropere damnat Tournely* (nos vero jure optimo, & maximo damnatam eſſe, omni argumentorum copia demonſtravimus), *lectores agnoſcant, legendum admoneo au-*

*reum ſane opus ; & profundæ eruditionis refertiſſimum , quod nuper clariſſimus , & de litteraria republica , atque fide Catholica optime meritus , Ludovicus Muratorius adverſus Thomæ Burneti , Britanni librum de ſtatu mortuorum edidit , de Paradiſo , regnique cœleſtis gloria , non exſpectata corporum reſurrectione* , juſtis a Deo conlata . *Fateor , me hinc quoque adductum ad quæſtionem meditandam de ſtatu animarum ſanctorum Patriarcharum , & Prophetarum ante Chriſti adventum in carne : quæ enim ſapientiſſimus vir in aſſerendo hoc dogmate pro juſtis novi Teſtamenti ex Scripturis profert , eadem & antiquis illis favere mihi videbantur ; unde pari ratione de utriſque eſſet judicandum . Accedebant frequentes Patrum auctoritates ex remotiſſima antiquitate ibi collectæ , quæ in id convenire videntur de Lazaro , de bono Latrone , de Martyribus Hebræis , de præcipuis Prophetis , & Patriarchis , & demum de ſanctis Innocentibus loquentes . Nec eſt , cur me doleat , quod totum legentes , virum doctiſſimum Scholarum opinioni circa antiquos Sanctos adhærere intellecturi ſint . Fortaſſe enim fiet , quod aliqui hujuſmodi fructuoſæ lectioni incumbentes , illud etiam ſentiant , quod ego expertus ſum , ſuſpicari nimirum licere , num res aliter , quam nunc communiter docetur , ſe habere poſſit : quandoquidem quæ ibi leguntur , huic item opinioni ſuffragantur* (*a*).

209. Narro tibi : ſi res ita ſe haberet , periiſſem . Ego , qui me hactenus circumſpexi , meque pulchrum , ac beatum putavi , viderer mihi repente de cœlo dejectus eſſe , aut in alium quendam orbem delatus : neque aliter afficerer , quam egeni , & inopes homines interdum ſolent , qui , cum totam noctem ſomniarint , ſe divites ſubito factos eſſe , ubi diu gemmas , aurum , purpuram dormientes contrectarunt , experrecti omnia domi ſuæ obtenta telis aranearum vident . Sed nihil eſt , cur animum abjiciam . In tuto enim ſunt omnia . Morem ego geſſi viro clariſſimo , Muratorii opus nec ſemel , & diligenter evolvi : nihil tamen deprehendere potui , quod vel ex ſacris petitum litteris , vel ex Patrum auctoritate depromptum illius cauſſam adjuvaret . Nam ex ſacris litteris duo profert Muratorius , pertinentia ad legis veteris tabulas , loca , quæ ſecum facere opinabitur adverſarius . Alter , qui eſt in libro Eccleſiaſtici cap. 11. , ſupra , cujuſmodi ſit , quo ſpectet , jam

(*a*) In Vindic. cap. 16. pag. 267.

jam vidimus (§. 128.). Alter, deſumptus ex libro Sapientiæ cap. 3. ver. 1. 2. 3. ita ſe habet. *Juſti viſi ſunt oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio exitus illorum, &, quod a nobis eſt iter, exterminium: illi autem ſunt in pace* [50], *& caſta generatio in perpetuum coronata triumphat*. At ne hic locus quidem nos vexat. Quamvis enim de coronis narret, & de triumpho, habet tamen explicatus facillimos, ſi ea cogites, quæ & ſæpe alias, & eodem illo §. 128. diſſerui, & quæ præterea toto duodecimo capite de bonis, atque deliciis, ſive de illa felicitatis parte, quam boni in ſinu Abrahæ guſtarent, expoſui. Ibi cum multis ex fontibus inchoatam illam piorum felicitatem repeterem, docui etiam, quantam communis miſeriæ levationem afferret, quanta eos lætitia, ac voluptate afficeret vel una officiorum, laudabiliterque actæ vitæ conſcientia. Ac certe, quod ibi eſt a me prætermiſſum, hic autem animadvertere proderit, tantus inde fructus eſt piis, tanta animus jucunditate perfunditur, ut eam Sapiens cum jugi quodam, ſplendideque ornato convivio contulerit. *Secura mens*, ait, *quaſi juge convivium* (*a*). Atque hinc Paulus in altera ad Corinthios epiſtola ita de ſe loquebatur: *gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei converſati ſumus in hoc Mundo* (*b*).

210. Quæ cum ſint, divinæ nobis litteræ non officiunt. Sed multo minus Patres, quos teſtes Muratorius citavit, eſſe a Cadonico video. Nec eſſe fatetur ipſe Muratorius, quem noſter judicem appellavit. Vindicata enim a Burneti criminitionibus auctoritate Macarii (ea nos §. 34. perutiliter uſi ſumus), pergit porro: *itaque non ſolum nihil habet Gelaſius*, qui Macarium induxit diſputantem, *contra Catholicorum ſententiam, ſed etiam eidem ſuffragium præbet, innuens, Patrum antiquorum animas per adventum Chriſti ab Inferis liberatas, atque una cum eo deinde in cœlum aſcendiſſe; quæ veterum valde communis ſententia fuit*. Hæc a primo vir doctus capite 18., & alibi adhuc explanatius. Quid ſi ei allata fuiſſet neceſſitas, ut hunc locum dedita opera tractaret? Ut hanc in ſe cauſſam reciperet? Ut magna eſſet Muratorii, ac ſingularis

(*a*) Proverb. cap. 15. ver. 15. (*b*) Cap. 1. ver. 12.

50 Quæ ſequuntur, verba pertinent ad capitis 4. ver. 1. & 2., quod ſaltem monere Muratorius debuiſſet, ne qua errandi lectori daretur occaſio.

ris de Cadonici virtute opinio, aperte, credo, dixiſſet tamen, eum deſertarum, relictarumque rerum patrocinium ſuſcepiſſe.

211. Quantum igitur ingenio conſequi, aut conjectura poſſum, loca illa, quibus adverſarius defendi, juvarique ſe putat, non alia eſſe exiſtimaverim, præter hæc; in quibus Patres ſinus Abrahæ meminerunt, ſcribentes, piorum animos in ſinum Abrahæ convolare, aut his ſimilia. Sunt hujus generis, fateor, apud Muratorium complura, & partim indicata, partim exſcripta a me ſupra ſunt (§. 199. 200.); immo alia etiam ex aliis fontibus protuli. At hoc modo non ſe mihi purgat Cadonicus, non ſe tegit, non in tuto ſe collocat; contra arma mihi ſuppeditat, quibus Burneti, cæterorumque id genus hominum impetus frangam. Videlicet ejuſmodi teſtimoniis convincere quidem Burnetum poſſum, & alios, quos ſaltem debuerat nominare Muratorius (de his ego verba capite ultimo faciam), atque adeo illud docere, Deum nunc piorum animis in conſpectum ſe dare, ſuaque eos majeſtate implere; at non efficitur, id ante etiam contigiſſe, quam unigena Filius in ſubterraneas terræ plagas diſcederet. Ante hoc tempus, ut demonſtratum puto, ſinus Abrahæ locum Patribus ſonat, in quo pii, ut aliis rebus gauderent, certe Dei adſpectu privabantur: multo aliter valet, cum de poſteriori tempore dicitur (ibid.). Ut verbo complectar omnia, non ea res in quæſtionem adducitur, utrum æterna piorum felicitas declarari, atque exprimi poſſit, adhibitis vocibus ſinus Abrahæ, & ſimilibus; quod factum eſt quam ſæpiſſime a Patribus; ſed illud agitur, ante ne, quam Chriſtus mortem oppeteret, pii, qui in hunc ſinum veniſſent, id eſt, quibus nihil luendum, aut expiandum ſupererat, bonis cœleſtibus fruerentur, Deumve conſpicerent. Neque nos refutaturi Cadonicum pugnavimus vocabulis ſinus Abrahæ (nihil enim fieri a nobis potuiſſet ineptius), ſed argumentationem adhibuimus in ſubſidium, argumenta ipſa vero ex omnibus fere Theologiæ locis ſelegimus. Itaque cum ad teſtimonia, quæ diximus, noſter vocat, ſumere mihi videtur pro conceſſo, & probato, quod maxime indiget approbatione. Hieronymus verbi gratia apud Coccium, & Muratorium de Lea hæc, ut vidimus, ſcribebat ad Euſtochium: *nunc igitur pro brevi labore æterna beatitudine fruitur, excipitur Angelorum choris,*

*Abra-*

*Abrahæ ſinibus confovetur*. Si quis inde vellet intelligi, pios, Hieronymo judice, ante Chriſti obitum in Dei conſpectum veniſſe, nonne ſatis eſſet verbo negare, quod tam imperite, ac vitioſe concluderet? De Hieronymi enim ſententia nemini dubium eſſe poteſt: tot ego, ac tam luculentis illius auctoritatibus decertavi.

212. Nunc, quoniam Muratorium appellavit, Muratorium Cadonicus meum juxta, ac ſuum iterum audiat. Is de ſinu Abrahæ ſub initium capitis tertii in hæc verba; quæ deinde ſermone ipſe meo ſubſequar, ne quid a me Lector, quod quidem hanc cauſſam attingat, optare jure ſuo poſſe videatur. *Ancipitis quoque ſignificationis nomen eſt ſinus Abrahæ*. Quæ apud Lucam de Lazaro *Dominus tradit, aperte produnt, divitem in tormentorum loco fuiſſe, Lazarum vero in alicujus felicitatis regione, in quam Angelorum miniſterio fuerat deportatus. Præterea ſunt qui arbitrantur, ſinum Abrahæ ſignificare non quempiam locum, ſed honorificam ſedem in regione illa, ubi cum juſtis reſervabatur Abraham, pater omnium credentium. Nempe ei proximus ſedebat Lazarus, apud illum ſupra complures alios honoratus..... Quæ in eum finem commemoro, ut, ſi quem ex antiquis offendimus, qui poſt Domini Aſcenſionem in cælum ſcribat* (diligenter hic, quæſo, Muratorium attende), *juſtorum animas in ſinum Abrahæ deferri, nil mireris. Per ea verba cæleſtis quoque beatitudo delineatur, in quam translatus eſt Abraham* (eam antea igitur nondum inierat) *a victore mortis Chriſto. Ideo Matth.* VIII. 11. *dicitur* „ multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbant cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in regno cœlorum „.... *Proinde Chryſoſtomus hom. 27. in Matth. hæc de Domino noſtro habet* „ cœleſte regnum non ſuo nomine, ſed ſinum Abrahæ appellavit „.

213. Cur autem is ſinus ad cœleſtem, æternamque beatitudinem ſignificandam a Dei Filio uſurpetur, cauſſa potiſſimum illa eſt, quod more illis temporibus uſitato gaudia, quibus pii perfrui poſt hanc vitam deberent, objecta lætabili convivii ſpecie, deſignari ſolebant. Ad popularem illam intelligentiam orationem ſuam accommodabat Chriſtus, atque hinc eodem modo beatam in cœlo piorum vitam expreſſit. Dicebat, amatoribus ſuis opipare a ſe paratum eſſe convivium, ex quo inexplicabilem caperent voluptatem. Lucæ

cap. 22.

cap. 22. ver. 29. *& ego*, inquit, *diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus, regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*. Tum in Apocal. cap. 19. ver. 9. *Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt* [51]. Idem autem ſignificat etiam recumbere cum Abraham: nam convivæ accumbere olim, & recumbere ad menſam dicebantur. In lectis enim jacentes ſumebant cibum. En teſtimonia. Cicero lib. 9. Epiſt. famil. *accubueram hora nona*; & ad Atticum lib. 5. *diſcubuimus omnes præter illam, cui tamen Quintius de menſa miſit, illa rejecit*. Virgilius in primo Æneid. ver. 79.

. . . . . . . . *Tu das epulis accumbere Divum*.

Plinius lib. 4. epiſt. 22. *Cœnabat Nerva cum paucis, Vejento proximus, atque etiam in ſinu recumbebat*. Iterum M. Tullius Cicero in Dialogo de ſenectute cap. 13. *Bene enim majores noſtri accubationem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt*. Ad extremum Horatius lib. 1. epiſt. 5.

*Si potes Archaicis conviva recumbere lectis*;

& lib. 1. Satyr. 4.

*Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos*.

Utitur eodem illo accumbendi verbo ſacra etiam Hebræorum ſcriptura. Eccleſiaſtici enim cap. 32. ver. 1. & 2. hæc præcepta hominibus dat. *Rectorem te poſuerunt? Noli extolli: eſto in illis quaſi unus ex ipſis*. Rarum nunc hominum genus. *Curam illorum habe*, non tui, neque utilitatum tuarum; *& ſic conſide, &, omni cura tua explicita, recumbe*. Sed multo apertius apud Tobiam cap. 7. ver. 9. *cumque* Raguel *hortaretur eos diſcumbere ad prandium*; ſimiliterque in libro Judith cap. 12. ver. 17. *& dixit ad eam Holofernes: bibe nunc, & accumbe in jucunditate*. Summum locum, ne quid prætermittam, occupabat princeps totius convivii, a quo etiam bibendi ducebatur initium, cum biberetur a ſummo. A ſummo enim bibere, quod græce dicitur, ἐν κύκλῳ πίνειν, latine eſt ab eo conviva principium capere, qui ſummus accumbit,

ad

[51] Neſcio quid in mentem venerit Harduino iſta omnia Matthæi, Lucæ, Joannis teſtimonia de ſpiritualibus epulis, non illis quidem in cœlo, ſed in Eccleſia ineundis exponere, præter mirum novandi ſtudium, quo perpetuo totis commentariis delectatur. Sed nos Harduinum valere iubebimus, Patribuſque, & rationi auſcultabimus. Grotius ipſe, atque alii Heterodoxi, quorum ille ſententias tantopere adamavit, interpretationem noſtram ſequuntur, & probant. Quo magis ſubiraſci ſoleo.

ad imum uſque: quæ conſuetudo ſolemnis in omni convivio Romanis fuit, cum paulo hilarius invitare ſe vellent. Hinc Plautus in Perſa: *age, puere, a ſummo ſeptenis cyathis committe hos ludos*. Et Aſinaria, *da, puere, ab ſummo, age tu interibi ab infimo da ſuavium*. Qui proximus convivæ principi aſſideret, ſive in lecto ad menſam cubaret, is in illius ſinu recumbere dicebatur. Quare Joannes ipſe de ſe: *erat ergo recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu Jeſu, quem diligebat Jeſus* (*a*). Recumbere ergo cum Abraham, idem apud Matthæum valet, ac ad menſam accumbere cum Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, cæteris, nempe, ex ſuperioribus, ſempiterna in cœlo beatitudine cum illis frui: idemque eſt, deferri in ſinum Abrahæ (ſi loquaris de Chriſti temporibus), ut ex Chryſoſtomo intelligi potuit (§. 211.). Deferuntur enim piorum animi in cœlum, ubi, ipſo auctore Dei Filio, cum Abrahamo opipare, ac ſplendide convivantur, beatitudine videlicet omnibus expleta numeris, & partibus perfruuntur. Nihil his accommodatius ad Millenarios confutandos. Atque adeo magnam habeo Cadonico gratiam, qui ad Muratorium vocans eo diſputationem deduxerit, ut non ullum quidem mihi creetur periculum, ſed arma offerantur, quibus religionis cauſſam defendam, atque illam hominum nationem profternam.

214. Sunt etiam, qui cum Bernardo Lamy, ſcriptore longe eruditiſſimo (*b*), exiſtiment, deferri, vel recipi in ſinum Abrahæ, eſſe loquendi formulam, ſumptam ab infantibus pueris, quos parentes cum ament, habeantque chariſſimos, in ſinu geſtant, complectuntur, & fovent: itáque frequentatam fuiſſe ad tranquillitatem, felicitatemque vitæ, qua utuntur pii poſt diſceſſum a corpore, explicandam. Sic Hebræis in Thalmude, eodem docente Lamy, *hodie in ſinu eſt Abrahæ*, idem plane ſignificat, ac mortuus eſt, quieſcitque in beato loco, quem & Edem, ſeu voluptatis locum appellant. Res ſi ita ſe habet, tu ſic habeto, & dicito, Filios, qui in ſinum, complexumque ſuum venerint, foviſſe, tractaſſéque Abrahamum longe aliter ante Chriſtum, fovere aliter poſt. Antea ſcilicet, clauſis adhuc cœli foribus, ubi inſtrui debebat convivium, nondum ipſe accumbebat ad menſam, non-

M m dum

(*a*) Cap. 13. ver. 23.
(*b*) Harmon., ſive concord, Evangel. lib. 4. cap. 16.

dum agni cœnam guſtaverat; nondum nimirum videbat Deum, neque bonis potiebatur cœleſtibus: atque adeo filiis quidem faciebat blanditias, ſed quæ loco, & tempori reſponderent. Tunc igitur Lazarum conſolabatur, ut poterat; poſtquam autem in gaudium Domini ſui intravit, fecit continuo omnes participes ſuæ voluptatis, tanta vi effluentis in animum, ut nihil uberius eſſe poſſit, nec majus. Idcirco Cadonicus, ſi quid eſt facturus, nova aliqua conquirat, oportet. Iſta nos enim non movent.

215. Sed ecce, parum ab hoc loco aberat diſputatio, cum caſu incidi in illius librum, hoc ipſo anno Brixiæ in lucem editum, & inſcriptum: *Confutazione Teologico-Fiſica del ſiſtema di Guglielmo Derham Ingleſe, che vuole tutti i Pianeti, da Creature ragionevoli, come la Terra, abitati*. Librum in manus ſumptum cum avide, ac diligenter evolverem, vidi, non de incolis ſolum ſtellarum errantium, ſed pro ſua illum eruditione, & ingenio multa etiam de anima beſtiarum, de viribus Dæmonum, de rebus ad Dei gratiam ſpectantibus, deque aliis argumentis id genus copioſe diſputare. Animadverti autem, quam ei laudem impertire ingenue debeo (& vero libenter facio), mirabiliter hominem in lectione Auguſtini verſatum eſſe, ut totus in illo habitaſſe videatur. Quo de libro, ac ſtudio viro ego doctiſſimo ſingulariter gratulor, præſertim cum propoſitum mihi non ſit cum Hugenio, cum Leibnitio, cum Wolfio, Derhamo, Fontanellio, reliquis habitatores in Planetis relinquere. Quoniam tamen ſolidos octo annos in tradenda, explicandaque Philoſophia contrivi, multa identidem mihi ſe offerunt, de quibus, ſi ea ſuſcipienda eſset contentio, Cadonico nullo modo aſsentirer. Animas, exempli gratia, mutorum animantium ſpirituales fecisſet, nollem. Beſtias enim cogitare, præſentia cognoſcere, doloris, ac voluptatis ſenſu moveri, perſuaſum mihi ita eſt, ut mirari interdum ſoleam, eſse homines, qui Carteſiana illa αὐτόματα labefactanda non putent; nunquam tamen induci potero, ut illarum animi ſpirituales habeantur, & ſint. Novi ego Magalottum, novi Auguſtinum Calmetium, novi nonnullos Patres, quorum noſter mentionem facit. Præterque hos, novi etiam, ſumma ambos auctoritate doctores, Baſilium (*a*), & Ambroſium (*b*), qui animantibus (niſi oratorie fortaſse locuti

(*a*) Hom. 8. & 9. in Hexaem. (*b*) Lib. 4. cap. 4. Hexaem.

cuti ſunt) tribuiſse argumentationem videntur; Lactantium deinde, qui rationis vim ſcripſit, tum illis, tum hominibus datam, nos autem ſola a beſtiis religione diſtare (*a*). Sed primum conſentiunt omnes, nonnullas quandoque voces fuiſse adhibitas Patribus, quas ſermone noſtro terere, retineréque non poſſumus, eſséque in hoc toto negotio conſuetudini ſerviendum. Exempla dabit Petavius in libris de Deo homine facto. Deinde, ſi vere, ac proprie loqui volumus, ſi ſevere diſputamus, ſpiritus, cum de animo dicitur (nam *ſpiritus* Latinis, πνεῦμα Græcis, *ruah* Hebræis multa ſignificat), ſubſtantia eſt, intellectu, & voluntate libera prædita, quorum neutrum nec eſt, nec elucet in beſtiis. Sunt eædem ut vitiorum, ſic virtutis expertes, atque adeo nullo modo immortales, ſi quidem, quæ huic verbo ſubjecta notio ſit, tenes. *Inter hominem, & belluam hoc maxime intereſt*, judice M. Tullio, *quod hæc tantum, quantum ſenſu movetur, ad id ſolum, quod adeſt, quodque præſens eſt, ſe accommodat, paululum admodum ſentiens præteritum, aut futurum. Homo autem (quod rationis eſt particeps, per quam conſequentia cernit, cauſſas rerum videt, earumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat; ſimilitudines comparat, & rebus præſentibus adjungit, atque annectit futuras) facile totius vitæ curſum videt, ad eamque degendam præparat res neceſſarias..... Unum hoc animal ſentit, quid ſit ordo; quid ſit, quod deceat; in factis, dictiſque qui domus* (*b*). Propterea *homo*, perorat Plato, *ut intelligentia cæteris animantibus antecellit, ita de jure, & Diis ſolum aliquam cogitationem animo concipere poteſt* (*c*). Simplices igitur, ideſt tales, qui partibus careant (cogitatio enim cadere in corpus nequit), beſtiarum animos, ſi me audit, & habebit, & appellabit Cadonicus; ſpirituales ob rationes, quas attuli, nullo modo. Ad tria enim ſuprema genera ſubſtantiæ revocantur, ut aliæ dicantur corpora, aliæ ſpiritus, mediæ in his ſubſtantiæ, ſimplices. Eas quin mente, & cogitatione percipere, ſive ut vulgo loquimur, intelligere Deus poſſit, nemo, qui ſui compos ſit, dubitabit; multoque minus, quin procreare, ut intelligit, queat. Ex hoc igitur genere, & natura beſtiarum animos conſtare putabimus, idque ſi fecerimus, actionum, & motuum, qui in illis cernun-

Mm 2

(*a*) De ira cap. 17. & lib. 3. Inſtit. cap. 10.
(*b*) Lib. 1. Offic. cap. 4. (*c*) In Menex. Tom. 2. edit. Henr. Steph.

Digitized by Google

nuntur, cognitionemque aliquam poſtulant, rationem non difficulter reddemus. Nam Carteſianos, qui corpus inter, & ſpiritum nihil clamitant eſſe medium, faſtidioſos magis, quam ſeveros diſputatores exiſtimo. Sed de his magnopere non laboro. Legi poteſt, peracuti Philoſophi, Antonii Genuenſis, de anima Brutorum diſſertatio, qui mihi videtur plane ad vivum totam hanc controverſiam reſecaſſe, & in argumento perdifficili ita, niſi fallor, verſatus eſſe, ut beſtiis nimis neque tribuerit, neque detraxerit.

216. Nobis enim illud nunc breviter cognoſcendum eſt, quod Cadonicus poſuit libri ejus, quem dixi §. 15. pag. 191. Noſtra quippe magis intereſt. *Benchè l' Incarnazione del Verbo, e la ſua dimora fra gli uomini, e la ſua penoſiſſima morte per loro conſumar ſi doveſſe molti ſecoli dopo: accettò tuttavia il Padre eterno con tanta pietà il futuro ſacrificio di quella innocentiſſima vittima, che per i meriti di Gesù Criſto venturo ridonò ai primi uomini la grazia di convertirſi a lui, e di vivere ſantamente, e di morire in fine con la corona de' doni ſuoi, cioè col dono della perſeveranza finale. Quindi ſi dice dalla Scrittura, che l'Agnello fu ucciſo dall' origine del mondo*: in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi (a) ....... *Seppero i figliuoli di Adamo ſuperar il Padre nel merito; e vi fu ſin da principio Abele, che per l'inſidie del fratello moſtrò in ſe ſteſſo l'eſempio inſieme della morte minacciata da Dio, e del martirio. Con queſta corona meritò egli di entrare tanto prima del Padre a godere quella Patria celeſte, a cui doveva ſalire l'uomo innocente ſenza morire. Pruova di queſto inviſibile premio conferito ad Abele in ſecreto, fu il paleſe rapimento di Enoche vivo da queſta valle di pianto: ſervendo tutto ciò ad eſercitare la fede di Adamo, e de' ſanti diſcendenti ſuoi.*

217. Si poſtremis his verbis adverſarius, ut videtur, fortaſſe vult, Abelem, ſtatim, ac vita a fratre privatus eſt, in cœleſtem patriam perrexiſſe, ſatis eſt verbo negare, quod verbo ait. Neminem enim ante Chriſtum, ne Enochum quidem, & Eliam, migraſſe in cœlum, iis demonſtravi argumentis, ut arbitror, quibus nefas ſit, docilem Theologum, atque ad diſciplinæ leges bene informatum refragari (§.5. 131. 132.): minuſque repugnare intelligo, fingere, piorum animos ante

(a) Cap. 13. ver. 8.

ante id temporis Dei lætatos eſſe præſentia , quam fuiſſe in cœlo , cum Deus palam ubique videri poſſit . Itaque Enochi aſcenſus in cœlum ( quocumque tandem receptus ſit ) non illud quidem præmium occulte Abeli tributum deſignat , ac notat , ſed , Claudio Taurinenſi ( §. 188. I. ) , & Bernardo ( §. 189. ) teſtibus , eo valet , ut credamus, adumbratam, atque ſignificatam fuiſſe Chriſti redeuntis in cœlum victoriam: magnamque ſpem fecit hominibus, fore, ut ipſi quoque præſtituto tempore illuc aſcenderent, ſuo, veluti membra, conjungendi cum capite, ſi confiterentur interea, ſe peregrinos, & hoſpites eſſe ſuper terram, & patriam omni animi ſtudio inquirerent. Dicitur autem agnus occiſus ab origine mundi, quia jam inde a mundi principio, ſeu potius ab omni æternitate deſtinatum a Deo eſt, ut pro ſalute humani generis occideretur, & culparum, peccatorumque noſtrorum ſordes ſuo ſanguine ablueret. Neque tamen cædis faciendæ vi piorum animi jam inde ab orbe condito æternæ vitæ dulcedine poſt mortem corporis fruebantur ( §. 139. 141. ) ; tantum ejus rei cauſſa perfectum eſt ; ut gratia hominibus conferretur , quæ plane erat ad recte faciendum , declinandumque a delicto neceſſaria ( §. 139. ). Quæ, ut Geometræ ſolent, quoniam ſuis ſingula locis demonſtrata a me ſunt , longior eſſe non debeo. Unum illud adjunxerim, quod eſt apud Joannem: *quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni*, *qui occiſus eſt ab origine mundi*, poſthabita etiam ſuperiori interpretatione, dupliciter intelligi id poſſe: videlicet , occiſionem agni in victimis, & ſanctis hominibus a mundi exordio declaratam, ac ſignificatam fuiſſe; aut contra ſic : eorum nomina , quæ ſcripta ſunt in libro vitæ agni , jam inde ab initio mundi eum in librum relata eſſe; quæ poſterior interpretandi ratio eo fit probabilior, quod tale aliquid dicatur & cap. 17. ver. 8. *Mirabuntur inhabitantes terram* ( *quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ a conſtitutione mundi* ) *videntes beſtiam*, *quæ erat*, *& non eſt*. Sed legantur notæ, ei loco adſcriptæ, Boſſuetii. Nos pergimus: expedienda enim, quæ reſtant.

CAPUT

# CAPUT XV.

*Facem ne Cadonico Auguſtinus prætulerit? Si prætuliſſet, ipſo tamen teſtante Cadonico, deſiſtendum non eſſe a ſententia. Explicantur plura Auguſtini loca, quibus noſter adjuvari ſe putat: ubi & labes, quam in ejuſdem ſcriptis inſidentem reliquit, eluitur. Ad interpretandos Patres ſæpe Grammaticam, & reconditiorem Latinæ linguæ elegantiam vehementer conducere. De promiſſis pio Latroni a Chriſto factis, & perſolutis. Aliud teſtimoniorum genus, in quibus nobiſcum vir ſanctus conſentit. Ex his alterum Primaſii etiam, atque Autperti auctoritatibus illuſtratur: alterum adverſus Martinium, mala illud fide conantem evertere, ſtabilitur. Non probari quoddam Maurinorum argumentum, librum* de vera, & falſa Pœnitentia *inſcriptum Auguſtino abjudicantium.*

218. DIfficiliorem nunc autem, & copioſiorem, quam ſupra, diſputationem ingrediar. Quærendum eſt ſcilicet de Auguſtini ſententia, in cujus doctrina adverſarius præcipuum opinionis ſuæ præſidium collocavit. In hoc ille ſe amat, in hoc ſibi placet, & regnat, ex hoc complura, & quæ, ut fatear, perſpicua interdum videri poterunt, teſtimonia depromit; quibus ad ſui defenſionem abutitur, & Auguſtinum interea a Millenariorum erroribus longe abfuiſſe demonſtrat (vid. §.2.). Ea vero cauſſa me impulit, ut de Auguſtino, cujus præſertim ſapientiæ nulla par inveniri poſſit oratio, ſeorſim, ac ſeparatim, non eodem, quo de aliis Patribus dictum eſt, capite differendum putaverim; conaturus manibus, pedibuſque efficere, ſi poſſim, ſummum hunc quoque, & ampliſſimum virum communem reliquorum Patrum ſecutum eſſe ſententiam. Nam in magnis rebus, quemadmodum vetere circumfertur proverbio,

*Ut deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas.*

219. Quo loco, ſcopuloſo ſane, ac lubrico, illa in primis me res plurimum conſolatur, ac recreat, quod fatetur ipſe Cadonicus id, quod alibi eſt a me conſtitutum (§.50.II.), ſi Au-

Digitized by Google

ſi Auguſtini fortaſſe doctrina ſecum faceret, non nobiſcum, non idcirco deſiſtendum eſſe a ſententia, quam Majorum, totiuſque antiquitatis defendat auctoritas. Nam cum in extremo Dialogo ſecundo pag. 52. dixiſſet Thraſimachus: *ſicchè, ſer Gianni, voi volete dedurre da queſto, che la ſentenza del Limbo de' SS. PP. nell' Inferno, nel ſenſo ora quaſi comunemente* (hoc verbum *quaſi* omitti, me judice, poterat) *inſegnato, non ſia abbaſtanza fondata*, reſpondet ſtatim ſer Gianni. *Voglio anzi dedurre ſolamente, che non è, nè ſi può ſtabilire* (multo aliter tamen Cadonicus, magiſque animoſe quam creberrime loquitur) *ſulla dottrina di S. Agoſtino. Ma ſiccome quel ſolo S. Padre non dee far un dogma colle ſue dottrine, così non lo potrebbe diſtruggere, ſe vi foſſe, colle ſue particolari opinioni...... Tutto ciò ſia detto col ſolo fine di far conoſcere, che eſſendo coſtante, contro l'opinione malamente ſoſtenuta dal P. Lettore* Pallavicini *tra' ſuoi ſcolari* (vid. §.3.), *S. Agoſtino non aver mai aſſegnata differenza di ſtato trà le anime de' Giuſti antichi, e degli Evangelici, perchè le manda tutte le une dopo le altre nel medeſimo ſeno d' Abraamo, il quale per Lui non vale mai Inferno, ma o il terzo Cielo, dove l'Appoſtolo vide l'eſſenza di Dio, o il Paradiſo, ſe vi è, dopo il terzo Cielo medeſimo: s' intenda, che un S. Padre di quella giuſtificazione, ed altiſſima dottrina non ha mai adottata una ſentenza contraria al ſenſo della Chieſa Cattolica in alcun tempo, e per conſeguenza taſſabile*. Ilarione. *E quando pure qualcuno voleſſe taſſarla, anteponendole la corrente contraria, nulla più farà, che torre l'autorità di S. Agoſtino al dogma Cattolico, il quale reſtarebbe intatto anche ſenza di lui* (qui nos legerit, is facile deprehendet, totum hunc locum politicum hominem ſapere, verba ſingula tam artificioſe digeſta componentem, ut ſibi aliquid a librorum cenſoribus metuere videatur); *ma non potrà mai combinare le autorità del S. Padre in guiſa, che accordino la viſione di Dio al ſeno di Abraamo dopo la paſſione, e la neghino avanti di eſſa*. Quid Pallavicinus, quid alii ea in re moliti fuerint, nihil attinet quærere. Nobis certum eſt omnia experiri, antequam Auguſtinum Cadonico relinquamus. Atque ut de tota ſancti viri ſententia liquidius judicemus, omnem ſermonem in duas partes diſtribuam, ut primum auctoritates illas interpreter, quibus adverſarius ſe ſe tegit, nec mihi eſſe inimicas, aut contrarias ſuadeam;

deam; deinde teſtimonia afferam, & illuſtrem, quibus idipſum videatur placuiſſe Auguſtino, quod non ex ſola quidem cæterorum Patrum doctrina, ſed ex omnibus fere Theologiæ locis uberrime a nobis demonſtratum eſt, atque in bono lumine collocatum.

220. Ac ſupra, cum de ſenſu, & doctrina Eccleſiæ ageremus, duo jam Auguſtini loca perpendimus (§. 106.), quorum alterum nullo modo eo, quo cupiebat, nitebaturque Cadonicus, trahi poſſe intelleximus; alterum ſatis commode, appoſiteque explicavimus. Explicationem vero illam facilius nunc attentis Lectoribus probaturum me ſpero, ſi cognoſcere, & conſiderare voluerint, quæ de Lazaro ſcripſit Chryſoſtomus (§. 146.), eáque deinde ſtudióſe cum his contulerint, quæ generatim idem ipſe Chryſoſtomus de cuncta veterum piorum familia tot, ac tam multis locis conſtantiſſime tradidit (§. 5. 118. VI. 130. V. VI. VII. 131.).

221. Veniam igitur ad tertium teſtimonium, quod expromit Cadonicus ex epiſtola 164. alias 99. ad Evodium (*a*). Ibi enim Auguſtinus, poſtquam multa de Chriſti deſcenſione ad Inferos diſputaſſet, concludit tandem in hæc verba: *unde illis juſtis, qui in ſinu Abrahæ erant, cum ille in Inferna deſcenderet, nondum, quid contuliſſet, inveni, a quibus eum ſecundum beatificam præſentiam ſuæ divinitatis nunquam video receſſiſſe* (*b*). Ut candide ego & facere, & loqui ſoleo, locum eſſe difficilem fateor, & qui primo adſpectu expediri nullo pacto poſſe videatur. Quæ res fecit, ut multo ante in medium a Joanne Camerone, extero, ut dixi, homine proferretur (*c*). Verumtamen tantum abeſt, ut is me terreat, ut ne lumen quidem litterarum mearum deſideret. Miraris? Atqui jamdiu eſt a B.Thoma Aquinate (*d*), a Suarezio (*e*), a Bellarmino (*f*) expoſitus, & tractatus uberrime, quod Cadonicus ignorare non potuit. Unum igitur breviſſime dicam, quod video, a ſuperioribus prætermiſſum fuiſſe, hæc Auguſtinum in eadem epiſtola paullo ante de Adamo ſcripſiſſe, quæ maxime ad explanationem teſtimonio illi adhibitam conducunt: *& de illo quidem primo homine, patre generis humani, quod eum inde ſolverit, Eccleſia fere tota conſentit: quod eam non inaniter*

(*a*) Vind. cap. 4. pag. 47.
(*b*) Num. 8.
(*c*) Prælect. in pſal. 68. pag. 349.
(*d*) 3. par. quæſt. 52. art. 5. ad 1.
(*e*) Diſput. 42. ſect. 1. in fine hic.
(*f*) Lib. 4. de anima Chr. cap. 16.

*niter credidiſſe, credendum eſt* (*a*). Nam quod de Adamo, idipſum de Abele, de Noe, de Moſe, ceteriſque ſanctis hominibus dici debet: niſi forte ſtatuendum putatis, exiſtimaſſe Auguſtinum, auctorem illum noſtri generis, Adamum tam multis ſæculis in Purgatorii cuſtodiam abditum, atque incluſum fuiſſe: quo perfugio uti, ipſa vetamur Auguſtini ſapientia.

222. Quartus locus, cujus fidit auctoritate Cadonicus, eſt ejuſmodi. *Præclaras exequias in conſpectu hominum exhibuit purpurato illi diviti turba famulorum: ſed multo clariores in conſpectu Domini ulceroſo illi pauperi miniſterium præbuit Angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, ſed in Abrahæ gremium ſuſtulerunt* (*b*). Ego autem nihil commoveor. Etenim, quod mendiciſſimo homini parentaverint Angeli coram Deo, non eſt oppido conſequens, eum confeſtim Deum ipſum vidiſſe. Videbat exequias Deus, charaſque habebat, ſuo cohoneſtans judicio, ſed Deum Lazarus non videbat. Bonis etiam, qui in Purgatorium abeunt, funus dicere poſſumus, fieri in Dei conſpectu, quo illi tamen procul dubio non fruuntur. Arbitror potius, Auguſtinum exequias cum exequiis comparantem, contrarium hic decernere, & nobiſcum ſentire. Quemadmodum enim purpuratus ille, detruſus ad Inferos, non videbat homines, in quorum conſpectu, & præſentia præclaras ei exequias famuli celebrabant, ita ne Lazarus quidem in beatas illas Abrahami ſedes delatus præſentem intuebatur Deum, coram quo Angeli funus ipſi multo honeſtius, ac ſplendidius faciebant. Itaque ſic exiſtimo, idem propemodum ſibi velle Auguſtinum, quod divinæ litteræ, cum ajunt, pretioſam in conſpectu Domini eſſe mortem Sanctorum ejus, nimirum exequias illas, quibus dabant Angeli operam, gratas Deo, optataſque accidiſſe, multoque proinde ampliores, atque illuſtriores fuiſſe, quam juſta exequiarum, & funeris, quod hic in terris tanto apparatu, ac luctu purpurato homini ſolvebatur.

223. Quintum teſtimonium petit adverſarius ex enarr. 1. in pſal. 36. ubi num. 10. iterum de Lazaro agitur. *Poſt vitam iſtam parvam nondum eris, ubi erunt Sancti, quibus dicetur: venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab initio mundi. Nondum ibi eris, quis neſcit?*



(*a*) Num. 6. (*b*) Lib. 1. cap. 12. de Civ. Dei apud Cadon. in Vind. cap. 15. & Dial. 2.

*ſcit? Sed jam poteris ibi eſſe, ubi illum quondam ulceroſum pauperem dives ille ſuperbus, & ſterilis in mediis ſuis tormentis vidit a longe requieſcentem. In illa requie poſitus certe ſecurus exſpectas judicii diem, quando recipies & corpus, quando immuteris, & Angelo æqueris.* Multus autem eſt noſter cum in Vindiciis, tum præſertim in Dialogis in ejus loci vi explicanda, quem talem eſſe, tamque perſpicuum arbitratur, ut nemo prorſus elabi poſſit. Itaque Bellarmini, Tournelyique reſponſa, ſive doctrinam non probat, Pallavicini, cum quo ei res eſt in Dialogis, interpretationem multis nominibus copioſe redarguit; ipſi autem a Lamio, ut ſemper alias, plauditur. Ego, ne de argumenti pondere quidquam detrahere videar, ſententias hominis latine reddam, quo præſertim in loco adverſarium ſic appetit, in anguſtumque compellit, ut omnem ſe ſolerti cuique viro effugiendi aditum præcludere exiſtimet. Auguſtinus igitur ſuperiore oratione piorum animos eo abire vult, ubi Lazarus, tunc cum a calamitoſo illo divite conſpectus eſt, quieſcebat. Vult autem & eadem quiete frui, & eadem conditione uti, qua Lazarus, uſque dum ſupremus mundo dies adveniat. Eis certe neque locum, neque vitæ ſtatum, aut rationem immutat. Niſi ergo tunc Lazarus præſentem intuebatur Deum, ne intuebuntur quidem piorum animi, qui ad illum mittuntur: ſin hi coram nunc Deum cernunt, atque conſpiciunt, conſpiciebat tunc etiam Lazarus, qui illos excipit, & quicum congregantur. Qui aliter loquuntur, & ſentiunt, hos neceſſe eſt, contraria apertiſſime loqui, & pugnantia, quorum furorem ſanare nullius medicina poſſit. Itaque, velis, nolis, ad hanc tandem rationem veniendum eſt, ut aut Lazarum ſtatim ab obitu in Dei conſpectum de Auguſtini ſententia admittamus, aut hoc fateamur, quod magnopere cavere debemus, Auguſtinum piorum indiſcriminatim omnium beatitudinem in extrema tempora reſervaſſe (*a*).

224. Fideliter ego totam Cadonici argumentationem, quod vix fieri poſſe arbitrabar, Latinis litteris illuſtravi, quin pondus ullo pacto imminuerim. Videamus nunc, an forte hujus diſputationis veluti cornua commovere poſſimus. Animadverto autem principio, verba illa Auguſtini dicentis, *jam poteris ibi eſſe &c.* non ſolum de ſinu Abrahæ, verum etiam de

(*a*) Dial. 2. pag. 38. Vid. & vindic. cap. 15.

de piorum cœtu, atque concilio, qui una cum Abrahamo, & Lazaro eſſent, poſſe commodiſſime intelligi, ſic, ut nulla ſententiæ vis inferatur. Latinus ſcilicet homo eſt Auguſtinus, & latiniſſime, cum res patitur, loqui ſolet. Particula vero *ibi*, ut ſciunt Grammatici, non ad locum dumtaxat refertur, ſed ad alias etiam permultas res ſignificandas eleganter traducitur. 1. Aliquando tempus deſignat, idemque valet, quod *tunc*, ut apud Terentium: *ubi te non invenio, ibi aſcendo in quendam excelſum locum* (*a*). 2. Aliquando eſt parare aliquid, cogitare, moliri, ſimilia. Sic idem Terentius: *ſubſenſi id quoque, illos ibi eſſe* (*b*), hoc eſt in eo conſilio, ſeu ſententia: præterea, *ibi nunc ſum* (*c*), ſcilicet cogito, commentor, molior. Tunc autem verbi ſignificatio ad indicandum vitæ ſtatum cum magno quodam lepore, venuſtatéque orationis trahi poteſt. 3. Aliquando locum occupat *relativi*, ejuſque tunc vis, ac poteſtas latiſſime funditur. Salluſtius in Catilin. cap. 5. *Huic bella, cædes, rapinæ, diſcordia civilis grata fuere, ibique*, hoc eſt in iis *juventutem ſuam exercuit*. Quæ notio ſubjicitur etiam a Cicerone particulæ *ibidem* in oratione habita pro Cæcina: *læſit in eo Cæcinam: ſublevavit ibidem*, nempe Cæcinam in eadem re, qua læſerat, ſublevavit. Hoc modo vox *ibi* tum vitæ ſtatum, tum cœtus quoſcumque, & alia id genus complura poteſt exprimere venuſte ſatis. 4. Ne quis vero poſthac cavilletur in verbis, is ſic habeat, quidquid de particula *ibi* traditum eſt, idem fere ſtatuendum eſſe de voce *ubi*, quæ de loco non ſolum, verum etiam de aliis rebus accommodatiſſime dicitur. Exempla ne quæras, ſubjicio nonnulla ad fidem faciendam. Terentius: *ſive adeo digna res eſt, ubi tu nervos intendas tuos* (*d*). *Ubi* idem eſt, atque *in qua*. Cicero, cujus dicendi rationem ſexcentis in locis expreſſit, imitatuſque eſt Auguſtinus, in quinto Tuſculan. cap. 8. *quod ex majore parte unumquamque rem appellari, ſpectarique dicunt, eſt ubi id iſto modo valeat*; & in oratione pro Quintio cap. 9. *neque nobis adhuc, præter te, quiſquam fuit, ubi*, nimirum a quo, *noſtrum jus contra illos obtineremus*.

225. His rebus diligenter expoſitis, atque ex ipſa Grammatica, ad quam, veluti ad regulam, ſcriptorum interpreta-

Nn 2 tio

(*a*) Andr. 2. 2. 19. (*b*) Heautont. 3. 1. 62.
(*c*) Ibid. 5. 2. 30. (*d*) Eun. 2. 3. 20.

tio dirigenda eſt , declaratis , ſpero , me tria patefacturum eſſe , primum , non negare ſuperiore illo loco Auguſtinum, pios nunc in cœlo verſari , quod contra cum Theologis reliquis exiſtimavit Cadonicus. Cum docet Auguſtinus , pii cujuſque animum poſt brevem vitæ hujus curriculum non ibi ſtatim futurum , ubi erit omnis ſanctorum hominum familia , quæ in cœleſtis regni poſſeſſionem aliquando tandem immittetur a Patre, aperte illum, inquit, extra cœlum conſtituit, neque id in dubium vocari poteſt (*a*). Ego igitur, rem non iſto modo ſe habere oſtendam; deinde hoc docebo, Auguſtinum in alia ejuſdem loci parte non relabi in opinionem Cadonici, ac demum ne ſic quidem Millenariorum partes tenuiſſe: quo fiet, ut non ſolum omni erroris ſuſpicione vir ſummus vacet, ſed & huic hominum generi obſtitiſſe , ac repugnaſſe videatur. Ecce enim, quid ſibi tandem Auguſtinus velit, idque ex media ipſa Latinæ linguæ elegantia . Confecto vitæ hujus curriculo, *nondum eris* , *ubi erunt Sancti* , nondum ſcilicet ad ſummum illum felicitatis gradum pervenies (§.224. 4.), ad quem pii omnes pervenient extremo mundi tempore, cum iterum hominum animi cum ſuo quiſque corpore conjungentur. *Nondum ibi eris* , nondum eo felicitatis pervenies, nondum in ſummo illo dignitatis gradu locaberis. *Quis neſcit?* Tunc enim reſtitutis, recuperatiſque corporibus, uniuſcujuſque beatitudini novus veluti cumulus accedet. Credibile ne eſt, virum longe ſapientiſſimum , non ipſum ſolum hoc loco putaſſe, pios nunc extra cœlum conſiſtere, verum etiam tam ineruditum, tamque omnium rerum ignarum fuiſſe, ut exiſtimaverit , communem illam eſſe totius Eccleſiæ, atque omnium Chriſtianorum ſententiam ? Non ipſe legerat Cyprianum, non Hieronymum, non tot alios graviſſimos ſcriptores? Non hoc igitur dicere voluit, quis neſciat, nondum pios poſt mortem corporis in cœlo eſſe poſſe?, ſed hoc ſpectavit , hoc egit , neminem unum ſummæ illius , & cumulatæ beatitudinis, quæ in corpus pariter, atque in animum influet, adhuc fore participem . Progreditur igitur in hæc verba Auguſtinus : verumtamen etſi eo felicitatis pervenire ſtatim ab obitu nequeas, *poteris* tamen *ibi eſſe* , recipi nempe in ſinum Abrahæ, ſive in illam ſocietatem piorum, & familiam (ibid. 2.3.4.), in qua plenum ulceribus hominem ſuperbus ille dives

(*a*) Dial. 2. pag. 36.

ves ſuſpexit, & *in illa requie poſitus*, quæ olim quies erat, & gaudium, nunc autem pro varietate temporum quies eſt, & felicitas, & bonorum omnium cumulata complexio, quæ jucundiſſimo Dei adſpectu efficitur, expers metus, atque ſollicitudinis extremi judicii tempora exſpectabis. Nego ſcilicet, Auguſtinum piorum familiæ, quæ una cum Abrahamo, & Lazaro eſt, neque locum, neque rationem, aut ſtatum vitæ mutaſſe. De loco conſtat ex prima parte teſtimonii, de vitæ ſtatu ex verbis *in illa requie*. Nam ut ſinus Abrahæ non idem Eccleſiæ, & Patribus valet ante Chriſti obitum, quod valet, ut docuimus (§. 198—201.), poſt, ſic etiam huic verbo *quies*, quæ illius ſinus, ſeu cœtus piorum propria eſt, non unam, eandemque rem, & notionem in quodcumque tempus debemus ſubjicere, ſed varie, diſſimiliterque intelligere, & apte, accommodateque cum ad tempora, tum ad perſonas accipere.

*226.* Docendum a me eſſe, inquies, Auguſtini teſtimonium hos reipſa habere, quos ego dixi, explicatus. Immo docendum contra a te eſt, explicari hoc modo non poſſe. Mihi enim ſatis eſt declarare ex ſeverioribus Grammaticæ legibus, atque ex ipſa ſignificatione verborum, quæ ſit totius loci vis, & ſententia: tu ſi quid ad hæc forte habes, argumentis refellere interpretationem debes. Quod fore difficile arbitror. Plana enim interpretatio eſt, & aperta, non contorta, non vocum notioni, poteſtatique contraria, ut ſua ipſa ſponte veniſſe, non vi, & precario irruiſſe in hunc locum videatur. At Grammaticorum iſtæ nugæ non placent. Nugæ illis videlicet, qui ignorant, quot fœdiſſima vulnera, quæ a malevolis, aut imperitis hominibus inflicta Patribus ſunt, hac Grammaticæ quaſi quadam medicina ſanentur. Quotus quiſque eſt paullo eruditior Theologus, qui neſciat, ex unius alicujus voculæ explicatione ſumma aliquando ſententiarum divinarum, atque adeo totius religionis, capita apte pependiſſe, & niſi Grammatica unius alicujus verbi interpretatio Patribus præluxiſſet, eos religionem interpretari minime omnium potuiſſe? Exemplo ſunt celeberrime voces ὁμοούσιος, & ὁμοιούσιος, de quibus tanto animorum ardore inter noſtros, & Hæreticos antiquiſſimis ſæculis diſputatum eſt: quæ quidem verba, ut minimum ſono, mirum tamen, quantum inter ſe ſignificatione differrent. Exemplo voces ὑπόστασις, hypoſtaſis,

ſis, & ὑσία, uſia, de quibus adiri poteſt vel una ad Damaſum Hieronymi epiſtola. Exemplo voces, *unus de Trinitate paſſus eſt*, exemplo vox creatura, vox ſubſtantia, vox Chriſtotocos, atque aliæ propemodum infinitæ, quæ magnopere ſummorum Patrum, atque Theologorum exercuerunt ingenia. Locus ille Hilarii, *poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*, itemque alter S. Ildefonſi, Toletani Pontificis, *qui per adoptivi hominis paſſionem, dum ſuo non indulſit corpori*, quæ videntur, Chriſtum adoptione eſſe Dei Filium declarare, ne latum quidem unguem a religionis regula diſcedunt, ſi, quid adoptandi verbum ſignificet, ex elegantiori Latinæ linguæ uſu explanetur. Qua de re copioſe diximus nota 9. ejus Diſſertationis, quæ eſt de cultu puero Chriſto a Magis adhibito. Similiter probe intellecta, interpretataque voce homo, ſexcenta Majorum noſtrorum teſtimonia, quæ duas in Chriſto perſonas videbantur inducere, copias nobis ſuppeditabunt, quibus Neſtorianam perfidiam comprimamus (§. 56.): ut idcirco præſtet omnino, atque ad tuendam religionem permultum valeat interpretationem locorum difficilium, quotieſcumque res, aut tempus poſtulat, ad Grammaticæ leges, & præceptiones exigere. Quæ cum, auctor cum primis eximius, & commemorabili doctrina præditus, Laurentius Bertius, probe intellexerit, mirum, quantum identidem ſe profiteatur Grammaticum, & quam graves controverſias, expoſitis Græcis, vel Latinis vocibus, dirimat; ut, verbi gratia, cum adverſus Cameronem diſputans de extrema unctione adhibenda ægrotantibus, in poteſtatem, ac vim verbi ἐγερεῖ, *alleviabit*, quo Jacobus utitur, ſtudioſe inquirit. Grammaticos ergo, ſi libet, nos appellet, habeatque Cadonicus; nos contra, modo Auguſtini rite interpretemur ſententias, omne id in lucro ponendum putabimus, nedum nobis dedecori non vertemus.

227. In vindicando ſexto teſtimonio diutius non immorabor, cum ex ſuperioribus, ut mox conſtabit, perfacilis ſit, atque perexpedita explicatio. Extat autem is locus in lib. 9. Confeſſ. cap. 31., ubi Auguſtinus de Nebridio, amico ſuo, mentionem injiciens, *nunc vivit*, inquit, *Nebridius in ſinu Abrahæ. Quidquid illud eſt, quod illo ſignificatur ſinu, ibi Nebridius meus vivit.... Nam quis alius tali animæ locus? Ibi vivit, unde me multa interrogabat homuncionem inexpertum.*

tum.

*tum. Jam non ponit aurem ad os meum, ſed ſpiritale os ad fontem tuum, & bibit, quantum poteſt, ſapientiam pro aviditate ſua ſine ſine felix. Nec ſic eum arbitror inebriari ex ea, ut obliviſcatur mei, quum tu, Domine, quem potat ille, noſtri ſis memor* (a). Scribit Lamius, eo teſtimonio Cadonici adverſarios adduci in anguſtias (b): nos contra ita ſtatuimus, firmum nobis, novumque offerri argumentum, quo doceamus, quod ſupra poſuimus (§.198—201.), Abrahæ ſinum, reſpectu ad Chriſti tempora habito, Eccleſiæ, & Patribus idem valere, ac cœlum, aut piorum, qui Dei adſpectu fruantur, ſocietas: atque adeo abſurde facere, & pueriliter Millenarios, qui ea dicendi formula ad quærendum impietati ſuæ præſidium abutuntur. At hinc nullo modo fit conſequens, piorum animos, qui in illum ſinum Abrahæ immigraſſent, etiam ante Chriſti obitum, de Auguſtini ſententia in Dei conſpectum veniſſe, aut, quod perinde eſt, verba illa idem quoque Auguſtino ſonare, ſi accipiantur de piis, qui Chriſti tempora anteceſſerunt (§.201. 203. 211.). Argumentis id enim propriis, & ſuis oportet efficere: ac Muratorius ipſe, ad quem Lectores rejecit Cadonicus, paullo ante nos docuit (§.212.), eſſe eam loquendi formulam ambiguam, & quæ interpretationis indigeat, cum varie, ut vidimus, accipi, atque intelligi debeat, habita temporum, atque hominum ratione (§.198-201.). Plura ergo non dicam, illud tantum profeſſus, ſimiliter judicandum eſſe de ſeptimo teſtimonio, quod in medium Cadonicus profert ex lib. 83. quæſtionum, ſatis eſt autem deſcribi. Deſcribere enim eſt explicaſſe: adeo veritas præſidentem me facit. *Cum ergo miſer homo congemiſcit, & dolet, omnis creatura congemiſcit, & dolet uſque adhuc*. Uſque adhuc *autem recte dixit* Paulus, *quia etiamſi ſint aliqui jam in ſinu Abrahæ; & Latro ille cum Domino in Paradiſo conſtitutus illo die, quo credidit, dolore deſtitit: tamen uſque adhuc omnis creatura congemiſcit, & dolet, quia in his, qui nondum liberati ſunt, omnis eſt, propter ſpiritum, & animam, & corpus* (c).

228. Subjicio igitur octavum locum, ex quo firmum peti a Cadonico argumentum idem, quem ſemper honoris gratia nomino, Joannes Lamius arbitratur (d). Ibi Auguſtinus

(a) Apud Cadon. in Vindic. cap. 15. (b) Nov. apud Cad. pag. 274.
(c) Quæſt.67. num.5. apud Cadon. in Vind. cap.13. pag.223. (d) Ibid.

nus ſermonem de Lazaro rurſus facit. *Quomodo putatis, deteſtatos homines tranſeuntes ulceroſum pauperem, jacentem ante divitis januam? Quomodo forte hunc occluſis naribus conſpuebant? Noverat autem Dominus illi ſervare Paradiſum* (a). Quis neget? At numquid ſtatim a morte adeundum? Doce, ſi potes. Quamquam etſi Lazarus confeſtim Deum non adierit, neque coram, præſentemque conſpexerit, vel unus tamen ſinus Abrahæ, ubi receptus eſt, Paradiſus dici, haberique poteſt, idque Auguſtini ipſius judicio, præclaram cujus de hac re doctrinam perhumaniter meus mihi ſuppeditat in Dialogis adverſarius. Libro enim 12. de Gen. ad litt. cap. 34. ſermonem de Paradiſo inſtituens, quo ſe Paulus fuiſſe raptum ſignificat, pergit illa Auguſtinus: *ſi enim proprie quidem nemoroſus locus, translato autem verbo, omnis etiam ſpiritalis quaſi regio, ubi animæ bene eſt, merito Paradiſus dici poteſt, non ſolum tertium cælum, quidquid illud eſt, quod profecto magnum, ſublimiterque præclarum eſt, verum etiam in ipſo homine lætitia quædam bonæ conſcientiæ Paradiſus eſt. Unde & Eccleſia in Sanctis temperanter, & juſte, & pie viventibus Paradiſus recte dicitur, pollens affluentia gratiarum, caſtiſque deliciis: quandoquidem & in tribulationibus gloriatur, de ipſa patientia plurimum gaudens, quia ſecundum multitudinem dolorum in corde, conſolationes Dei jucundant animam ejus*. Quanto magis credibile eſt, ſuperiore loco, quem objecit Cadonicus, Paradiſum ab Auguſtino ſinum Abrahæ appellatum fuiſſe, ubi etſi Lazarus jucundiſſimo Dei aſpectu nondum frui propter conditionem temporum poſſet, multa tamen habebat & oblectamenta miſeriæ, & calamitatis ſolatia, multiſque ex rebus, & fontibus pax, tranquillitas, requies, jucunditas, lætitia, gaudium in ejus animum ſuaviſſime influebant?

229. Nonum, atque ultimum teſtimonium (exitum enim nullum reperiret oratio, ſi omnia explicare inſtituerem) depromit adverſarius ex eiſdem & libro & capite de Geneſi ad litteram, quorum ego mox memini. Nam ibi vir ſanctus verba de loco faciens, in quem Dei Filius pium Latronem induxit, ita loquitur, ut bonos fuiſſe olim apud Inferos, plane negare videtur. *Quapropter animæ*, ait, *illius Latronis, cui dixit*, hodie mecum eris in Paradiſo, *non utique Inferos præſti-*

(a) Enarrat. 2. num. 7. in pſal. 36. apud Cad. in Vind. cap. 15. pag. 245.

*præſtitit*, *ubi pœnæ ſunt peccatorum: ſed aut illam requiem ſinus Abrahæ; non enim alicubi non eſt Chriſtus*, *cum ipſe ſit ſapientia Dei*, *attingens ubique propter ſuam munditiam: aut illam Paradiſum*, *ſive in tertio cœlo*, *ſive ubicumque alibi eſt*, *quo poſt tertium cœlum eſt raptus Apoſtolus* (*a*). Enimvero cum inquit Auguſtinus, *non utique Inferos præſtitit*, *ſed aut illam requiem ſinus Abrahæ &c.*, locum, ubi ſedem Abrahamus habebat ſuam, videtur omnino ab Inferis diſtinguere, ac ſecernere. Sed, alte ſpectare ſi voles, ac diligentius totum teſtimonium expendere, multo aliter feres, credo, jucium. Non enim Auguſtino dictum, Dei Filium non præſtitiſſe Inferos Latroni, ſed hoc magis non præſtitiſſe illos Inferos, ubi impii pœnas luebant, *ubi pœnæ ſunt peccatorum*. Propterea quia ſubjicit, *ſed aut illam requiem ſinus Abrahæ*, non continuo ſequitur, eum ab Inferis ſinum Abrahæ tollere, ſed rectius conſtituere poſſumus, duas veluti in partes omnem Inferorum regionem tribuere, quarum alteram, veluti honeſtum quoddam diverſorium Abrahamus cum ſuis incoleret, ſceleratorum altera ſedes eſſet, ac regio.

230. Sine ulla vero affirmatione, dubitanter loquitur Auguſtinus de loco, in quem pius Latro diſceſſit, quia id inter Patres liquide non conſtabat, nec ſatis perſpectum, atque exploratum videbatur, quid his Chriſtus verbis, *hodie mecum eris in Paradiſo* (*b*), ſignificare apud Lucam voluerit. Varias illorum, diſſidenteſque ſententias enumeravit Petavius (*c*), fuſiuſque, atque eruditius proſecutus eſt Muratorius (*d*); ex quibus illa paucorum opinio, qui pium Latronem in Paradiſum terreſtrem una cum Dei Filio conceſſiſſe affirmabant, tota, quantacumque eſt, vanuit, atque obſolevit. Profligata eſt autem jam inde ab antiquiſſimis ſæculis a Juſtino Philoſopho, nobile cujus ea de re, & ſplendidum teſtimonium ſua nobis diligentia ab interitu vindicavit Anaſtaſius Sinaita (*e*). En hujus orationem, ut latine eſt ab Erneſto Grabio reddita (*f*). *Unde etiam divinus in omnibus Ambroſius*, *& Juſtinus Martyr*, *a Deo inſpiratus*, *in ſuis ad Hexameron commentariis ea perſequentes*, *quæ dicta ſunt de Paradiſo*, *poſtquam dixerunt de ſenſibilibus arboribus*, *& aquis*, *& fructibus*,



(*a*) Apud Cad. in Vind. cap. 9. pag. 114. (*b*) Cap. 23. ver. 43.
(*c*). De Deo, Deique propr. lib. 7. cap. 14. (*d*) De Parad. cap. 14.
(*e*) Lib. 7. in Hexam. (*f*) Tom. 2. Spicil. SS. Patr.

*ſtibus , & Paradiſo a terra genito ; in medium adduxerunt propoſita divini Ezechielis verba de Paradiſo cœleſti , eaque perſequuti magnam , & ſubtilem de iis examinationem , & contemplationem ſubjunxerunt , dicentes , quod ſit turpiſſimum , & Deo invisum dicere , aut omnino cogitare , beatam , & adorandam Dei Verbi divinitatem cum juſto Latrone ingredi in fluxum , & materialem Paradiſum . Et quænam eſt digna merces illius venerandæ , & quæ Deum decet , confeſſionis , malorum punicorum , pyrorum , uvarum , & ficuum eſum , tanquam mercedem , reddere Latroni ?*

231. Hæc ex Juſtino Anaſtaſius . Cæterum , cum ſententias , & teſtimonia antiquorum , quos Petavius ipſe , & Muratorius in medium adduxerunt , accuratius , ſtudioſiuſque conſidero , in id etiam conſentire pleroſque video , ut , quocumque tandem nomine appellent locum , in quem optimus Latro migravit , conſtanter tamen affirment , ſummam illi a Dei Filio , atque inexplicabilem felicitatem non promiſſam , ſed etiam impertitam fuiſſe : quod rurſus ex Origene ( §. 28. ) , Cyrillo Hieroſolymitano ( §. 35. ) , Paulino Nolano ( §. 41. ) , Hieronymo ( not. 34. & §. 135. ) , atque aliis liquet veterum teſtimoniis , quæ nos ipſi loco , & tempore expoſuimus . Ac ſane præclara Chriſti vox , promittentis Latroni , illum eodem ipſo die futurum ſecum in Paradiſo , maxima , & ampliſſima præmia , atque adeo beatitudinem , quæ in videndo Deo poſita eſt , pollicetur ; ut idcirco recte omnino , nullo modo vitioſe argumentari intelligam Æſtium , Habertum , Tournelyum , Gottum , Bertium , Muratorium , qui ex Chriſti verbis concludunt , & colligunt , poſt illius obitum , piorum animos , qui ſumma vitæ innocentia floruerint , ſtatim a morte beatitudinis poſſeſſionem , quam Dei conſpectus facit , arripere : quandoquidem ubi Deus ſuam hominibus declarat præſentiam , ibi vere Paradiſus eſt , immo , ut loquitur Auguſtinus , Paradiſorum omnium Paradiſus .

232. Expoſui breviter cauſſas , quamobrem Auguſtinus dubius hærere videatur de loco , quo , obita morte , pius Latro immigravit . Verum etſi in eodem teſtimonio , quod interpretandum , atque illuſtrandum ſuſcepi , ſinum Abrahæ ab Inferis homo ſapientiſſimus removiſſet , Cadonicus tamen ne digitum quidem proficeret . Cur vero ? Quia ſcilicet docui antea , cum diſputaſſem de loco , ubi is ſinus conſtitui debeat ,

nullo

nullo pacto concludi hoc poſſe : Abrahæ ſedes ad Inferorum regionem non pertinet : illius igitur incolæ intuebantur in Deum; ſed eſſe id, niſi vitioſe de rebus graviſſimis velimus diſserere, alia ratione, & via oſtendendum (§. 122.). Potuit autem, cum ſuperiora illa ſcriberet, in ea eſſe Auguſtinus ſententia, piorum olim ſedem, & locum apud Inferos non fuiſſe, & eiſdem tamen jucundiſſimum Dei conſpectum, qui unus beatam efficit, & complet vitam, eripere: cum duo iſta, ut poſui, neceſſario inter ſe non cohæreant.

233. Quamquam ne illud quidem tam præpropere, atque inconſiderate conceſſerim. Nam Auguſtini libros ſtudioſius dum lego, & diligenter evolvo, reperio aliud teſtimoniorum genus, quo non adverſarium ſolum victoriæ ſpe exſultantem reprimere, & arcere a me poſſum, ſed præterea illo adigere, ut gravia fortaſſe vulnera accipere, tela certe depellere a ſuo corpore debeat. Neque enim ita a nobis egregius doctor diſſentit, quin interdum Abrahæ ſinum in infimis terræ partibus locatum eſſe tradiderit, eoque optimos quoſque migraſſe olim putaverit, Dei interim adſpectu, conſuetudinéque prohibitos. Non obſcure id profitetur, ac docet in viceſimo de Civit. Dei cap. 15., cum interpretatus illud oraculum, quod eſt in Apocal. capite item 20. ver. 13. *mors, & Infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant*, his pergit verbis ad reliqua. *Si enim non abſurde credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem, locis quidem a tormentis impiorum remotiſſimis, ſed apud Inferos fuiſſe, donec eos inde ſanguis Chriſti, & ad ea loca deſcenſus erueret; profecto deinceps boni fideles, effuſo illo pretio jam redempti, prorſus Inferos neſciunt, donec etiam, receptis corporibus, bona recipiant, quæ merentur*. Ac mirum, quam ſe Cadonicus torqueat, in quot partes ſe vertat, ut hujus veluti laqueos auctoritatis effugiat; ſed, ne nobis elabatur de manibus, omni ope, atque opera providebo.

*Sed quanto ille magis formas ſe vertet in omnes,*
*Tanto, gnate, magis contende tenacia vincla* (*a*).

234. Reſpondet primum, plaudente Lamio, ut ſolet (*b*), non fuiſſe Auguſtino propoſitum de hac controverſia decidere, quam ſæpe alibi, accuratiſſimeque tractaverat, ſed expo-

Oo 2 nere

(*a*) Virg. Georg. lib.4. ver.411. (*b*) Nov. in Dial. Cad. pag.75.

nere ſuperius Apocalypſis teſtimonium (*a*). Fateor, fuiſſe id Auguſtino propoſitum, atque adeo antea de induſtria monui, ne in eandem, in quam Honoratus Tournelyus, Cadonici reprehenſionem inciderem (*b*); ſed tamen una illud, quod poſui in medio, docuit. Nihil attinet hoc loco quærere, qua tandem occaſione tradiderit, bonorum animos fuiſſe apud Inferos, ſed, an reipſa tradiderit, an mentis ſuæ ſenſa perſpicue, ac dilucide expreſſerit, hoc cognoſcere intereſt. Quid occaſionem quæram, cum facta habeam? At ſinum Abrahæ longiſſimo dixit ab impiorum tormentis diſtare intervallo, quod nunc totum contra eſſet, ſi damni pœnam, quæ Auguſtino præcipua eſt, boni æque, ac mali habuiſſent communem. Neque enim res ex ſpatiorum diſtantia æſtimanda. Hoc vero orationem meam non poſtulat. Atque ut intelligatur, quantum valeat, ſat eſt in memoriam redire eorum, quæ toto capite 12. de tranquillitate vitæ, & ſolatiis, quibus pii in ſinu Abrahæ utebantur, & quæ ibidem §. 161. de varia illius pœnæ vi ex ipſo Auguſtino explicavi.

235. Illud etiam pugnat, enititurque adverſarius, Auguſtinum non affirmate concedere, bonorum animos ad Inferos abjiſſe, ſed conditionate dumtaxat loqui. Vult nempe, inquit, efficere hoc, etiamſi olim boni de aliquorum ſententia perrexiſſent ad Inferos, vocem tamen *Infernus* apud Joannem (vid. §. 233.) ad malos tantum, non ad bonos referri oportere. De re ipſa vero nihil decernit, nec eam ſibi opinionem probari ſignificat. Acute id quidem. Sed primum in toto orationis contextu nullum ego deprehendo veſtigium, ex quo appareat, id eum agere, ut aliorum argumenta vel occupet, vel objectis perſolvat. Deinde cum ſtatuat, non abſurde illud credi, quod ponit, eſt ne, obſecro, ullo modo probabile, non ipſius judicium cum aliorum judiciis concordare? Eo magis, quod utens his verbis, *non abſurde credi videtur*, tacite indicat, eſſe eam, quam in medium affert, doctrinam, non privatam aliquorum opinionem, ſed communem citius Eccleſiæ fidem, aut Chriſtiani populi ſententiam. Ad extremum, Auguſtinum loco ſuperiore ſenſiſſe, voluiſſeque aſſeveranter docere, piorum ſedem locatam fuiſſe apud Inferos, planum faciam locupletiſſimis teſtibus, quibus cauſſa juſtiſſima eſt, cur ſcire potuerint, quam tandem animo ſa-

(*a*) Vind. cap. 16. pag. 252. (*b*) Ibid. pag. 253.

ſapientiſſimus vir opinionem imbiberit. Eundem enim, quem Auguſtinus, Apocalypſis locum tractarunt, & in illius doctrinam cum meditatione, tum ingenio penetrarunt. Sunt autem Primaſius, Adrumetinus Pontifex, & Ambroſius Autpertus, quorum teſtimonia a me tantum alibi indicata, nunc proferam. Ex his Primaſius, in Auguſtini ſchola, ac diſciplina diu, multumque inſtitutus hæc ſcribit, quæ verbo ad verbum ex illo excerpſit. *Non abſurde credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem, locis quidem a tormentis impiorum remotiſſimis, & apud Inferos fuiſſe, donec eos inde Chriſti ſanguis, & ad ea loca deſcenſus, erueret* [52]. Apertius, atque etiam paullo fuſius Autpertus. *Si enim non mendaciter, ſed veriſſime creditur, antiquos etiam Sanctos, qui diſpenſatoris Chriſti fidem non ſolum verbis, verum etiam ſanctis prophetaverunt actionibus, etſi apud Inferos, locis tamen a tormentis impiorum remotiſſimis, fuiſſe, donec eos Chriſti ſanguis, deſcenſuſque ejus ad eadem loca, exinde eriperet: profecto deinceps boni Chriſtiani, qui ea fide pollent, quæ per dilectionem operatur, effuſo illo pretio jam redempti, Inferos prorſus neſciunt* (a). Quid vultis amplius, ut Auguſtini ſententia in optimo lumine collocetur? Ut conſtet, planeque liqueat, non ſub ulla eum conditione, ſed affirmate omnino dixiſſe, univerſam quondam piorum familiam ad Inferos immigraſſe, fuiſséque Dei adſpectu privatam?

236. Eodem accedit, quod idipſum vir ſanctus docuit enarrat. in pſal. 85. num. 18. Tom. 4. editionis Maurinorum ſodalium, nec eget locus interprete. Ibi enim explanans illud Davidis teſtimonium „ eruiſti animam meam ex Inferno inferiori „ *nondum enim*, inquit, *Dominus venerat ad Infernum, ut erueret inde omnium Sanctorum præcedentium animas, & tamen Abraham in requie ibi erat. Et quidam dives,*

(a) Lib. 9. in Apocal. Tom. 13. Bibl. PP. Lugd. pag. 628.

52 Lib. 5. in Apocal. Tom. 10. Biblioth. PP. Lugd. Ne quis autem novam hic litem inſtruat, aut de hujus teſtimonii pondere addubitet, alter facit Primaſii locus ſatis luculentus. Is enim in commentariis in epiſtolam ad Hebræos interpretans hæc Pauli verba, *defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus*, admonet, priſcos Hebræorum patres ante Chriſti in has terras adventum magnifica illa Dei promiſſa, *centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis*, conſecutos non eſſe. Ibid. Quæ res facem ſine dubio intelligendis Primaſii, & Auguſtini locis præferre debet.

*ves*, *cum torqueretur apud Inferos*, *cum videret Abraham*, *levavit oculos*. *Non eum poſſet levatis oculis videre*, *niſi ille eſſet ſuperius*, *ille inferius*. Non me latet, quid Matthias Martinius, homo Heterodoxus moliatur, ut argumenti auctoritatem extenuet (*a*). Tradit, dubitanter, ſine ulla affirmatione locutum eſſe, dum Davidis locum exponeret, Auguſtinum: ac revera paullo poſt hæc noſter adjungit, quæ Martinius profert, ne quid temere dixiſſe videatur: *fortaſſe duo Inferna*, *quorum in uno quieverunt animæ juſtorum*, *in altero torquentur animæ impiorum*. Sed qui Auguſtinum in manus ſumpſerit, facile is deprehendet, mala prorſus fide in hoc negotio verſatum eſſe Martinium. Debuerat enim totum, atque integrum locum producere, cujus partibus ſtudioſe conſideratis, collatiſque inter ſe, intelligi multo commodius poteſt, quid ſibi vir magnus velit. Ecce igitur teſtimonium. *Inter iſta duo fortaſſe Inferna*, *quorum in uno quieverunt animæ juſtorum*, *in altero torquentur animæ impiorum*, *attendens quidam orans hic*, *jam hic in corpore Chriſti poſitus*, *& orans in voce Chriſti*, *eruiſſe Deum animam ſuam ab Inferno inferiore dixit*. Quibus ex verbis non obſcure conſtare arbitror, particulam *fortaſſe*, qua pugnat Martinius, referendam non eſſe ad *Inferna*, ſed ad Davidem precantem, atque hanc idcirco eſſe totius loci ſententiam: inter hæc, interea videlicet, duo Inferorum loca, pius Rex ſecum fortaſſe animo reputans, exclamavit, Deum animam ſuam ex Inferno illo inferiore, ac teterrimo eripuiſſe, atque abſtuliſſe. Ubi non Auguſtinus dubitat, quin bipartiti ſint Inferi; ſed illud unum ſignificat, fortaſſe Davidem, cum diceret, *eruiſti animam meam ab Inferno inferiori*, de duabus hiſce inferorum partibus, & quaſi regionibus cogitaſſe: ex quo poſtea ſequebatur, quod ipſe paullo ante affirmare poſuerat de diviſione Inferorum, id ex hoc etiam optimi Regis teſtimonio cogi poſſe. Deinde particula *fortaſſe* non ſemper, ſi neſcis, dubitantis eſt animi indicium, ſed interdum hominis etiam blande aliquid, & ſuaviter affirmantis, cujus rei complura ſunt vel in hoc opere exempla. Sic cum nobis certo, ac perſpicue quidpiam demonſtraſſe videmur, ſæpe addimus, niſi forte exiſtimandum eſt, niſi fortaſſe dixeris, aut alia id genus ſimilia. Immo ea vis, ac poteſtas, ut alibi ex Boſſuetio mo-

(*a*) Lexic. Philol. art. *Limbus*.

monui (*a*), non raro particulæ *forſitan* in ipſis novi Teſtamenti libris tribuitur (*b*). Tandem omnem penitus, ſi quis adhuc te pungit, evellunt ex animo ſcrupulum proxime ſuperiora verba Auguſtini; in quibus cum nullam conditionem adhibeat, nullam voculam, quæ dubitandi vim præ ſe ferat, boni certe ſcriptoris fides poſtulare videbatur, ne ea Martinius Lectori occultaret, prætermitteretque ſilentio.

237. His autem cognitis, & contra adverſariorum vim probe ſtabilitis, ac fixis, exiſtit hoc etiam, probari nobis non poſſe quoddam Maurinorum ſodalium, graviſſimorum cætera, & ſapientiſſimorum hominum, argumentum, quo moveri ſe dicunt, ut Auguſtino librum de vera, & falſa pœnitentia inſcriptum abjudicent. Non eum nos librum germanum eſſe Auguſtini fœtum volumus: tantum rationem, qua ad illius νοθείαν patefaciendam utuntur, rejicimus. Argumentis, inquiunt, quæ id operis alienum ab Auguſtino eſſe, eique ſupponi demonſtrant, adde, quod auctor capite ſexto ſignificat, bonos quoſque ante Chriſti tempora commoratos fuiſse apud Inferos, Auguſtino in duodecimo de Gen. ad litteram capitibus 33., & 34. diſsentiente ea de re, aut certe ambigente. Quæ agendi ratio placet Cadonico (*c*). Nos autem legitimis auctoritatibus perſuadere conati ſumus, probavimus quidem certe (§. 233. 236.), vere illud agnoviſse Auguſtinum, putaſse videlicet, omnium olim piorum animos ad Inferos diſceſſiſse, ubi, etſi in magna eſsent tranquillitate vitæ, eiſdem tamen nondum Deus in conſpectum ſe dabat, nec ſua ſe forma oſtendebat. Quapropter argumentatio illa a Maurinis adhibita nequit eſſe ad docendum idonea: alioquin ſuperiorum etiam librorum, unde nos teſtimonia decerpſimus, auctoritatem vocare in dubium oporteret; quod hercule omnium mentes adſpernabuntur, ac reſpuent.

238. Et de Auguſtino hactenus. Perfectum eſt autem, quod mihi ab initio præcipuum propoſueram. Nam divinum illud animorum concilium, qui ante Chriſti obitum migraſſent ab hominibus, in ſinumque Abrahæ convolaſsent, jucundiſſimo Dei adſpectu, & præſentia, quæ beatæ vitæ effectrix eſt, caruiſse, donec idem Dei Filius, oppetita morte, ſe ad Inferos contulit, certo, ut arbitror, & manifeſte, atque omni argu-

(*a*) De Cultu J. C. a Magis adhibito §. 24. pag. 53. (*b*) Premier inſtruction &c. pag. 565. Tom. 6. edit. Argent. (*c*) Vind. cap. 9. pag. 114.

argumentorum genere demonſtravi. Demonſtravi autem graviſſimarum rationum momentis (cap. 11.), demonſtravi compluribus ſacrarum litterarum oraculis (cap. 10.), demonſtravi Eccleſiæ auctoritate, & doctrina (cap. 9.), demonſtravi admirabili Theologorum conſenſu, ipſorumque Hebræorum judiciis (cap. 8.), demonſtravi ad extremum omnium Patrum teſtimoniis, jam inde ab ultima antiquitatis memoria repetitis (cap. 2—8.). Effectum præterea eſt, quod nunquam fortaſse crediditſet Cadonicus, non ſolum nullo modo Auguſtinum a ſuperiorum Patrum abhorruiſse ſententia, ſed ſuis illam ſuffragiis non obſcure approbaſse. Quæ vero a Cadonico, a Lamio, ab Heterodoxis hominibus allata contra ſunt, aut excogitari poſse intellexeram, ita refelli omnia, atque occupavi, ut, nemo eſse poſſit, cujus, me quidem judice, dubius in hac cauſsa hærere animus debeat: eo magis, quod docui, magnam huic controverſiæ affinitatem eſse, neceſſitudinemque cum fide (§. 192—196.). Ita illud unum eſse reliquum videas, ut recedamus de medio, finemque operi, & labori imponamus.

CA-

Digitized by Google

# CAPUT XVI., ET ULTIMUM.

*Doctrinæ, quæ toto operæ conſtituta a nobis eſt, conſectaria. I. Nullum eſſe Hæreticorum genus, qui non convincantur, Dei Filium re, ac præſentia ad Inferos deſcendiſſe. II. Pios autem nunc temporis ſtatim a morte in cælum aſcendere, Deique frui præſentia. Novi contra recentiſſimorum ſcriptorum conatus. III. Chriſtum digreſſum ad Inferos nec veniam impiis, nec ſalutem dediſſe. Porro ne imminutas quidem illorum pœnas fuiſſe, & nullo unquam tempore eſſe allevandas. Vetus ea de re Miſſa, ex Codice Bononienſi per Trombellium deſcripta. Obſcuriſſimus Petri locus de concione, ut putant, a Chriſto apud Inferos habita. IV. Patere adverſus Socinianos, hominum animos eſſe immortales. V. Propterea bonis præmia, malis ſupplicia poſt mortem deferri. Utilitas operis ex aliarum rerum tractatione. Bernardi de Rubeis, & Antonii Genuenſis ad auctorem epiſtolæ. Cadoniciani operis, necdum in lucem editi, de veterum beatitudine exitus.*

239. EST nihilominus, cur paucis adhuc, amice Lector, te velim. Spero equidem fore, ut hujuſce operis utilitatem, ac pretium ex ipſius argumenti, cui tantam lucem attulimus, magnitudine, atque præſtantia doctus, & optimus quiſque, ut recta poſtulat ratio, metiatur: eo magis, quod ſcitiſſime in Catechiſmo Romano traditum novimus, ut maxime referat *noſſe gloriam ſepulturæ Domini noſtri Jeſu Chriſti*, *pluris* tamen intereſſe *fidelis populi*, & Eccleſiæ *cognoſcere illuſtres triumphos, quos ex devicto Diabolo, & ſpoliatis Inferorum ſedibus deportavit* (a). Quoniam tamen futuros eſſe aliquos video (& jam nonnulli fuerunt, partim eruditi illi quidem, ſed tamen indocti homines, qui bonæ Theologiæ guſtum non habent, partim ex eo genere Ariſtarchorum, qui, cum multis vitæ commodis affluant, ſibi propterea ſoli & ſapere, & pulchri eſſe videntur, faſtidium autem, arrogantiam, ſuperbiamque non fugiunt), quoniam igitur futuros eſſe aliquos video, qui propter nominis mei obſcuri-



(a) Part. 1. de ſymb. cap. 6. num. 1.

ſcuritatem obtrudent Caſſianum illud, cui bono?, ſciſcitantes a me, ecquis tandem fructus percipi ex hoc opere debeat; alii, ut opinor, paullo humanius, ac liberalius dicturi ſunt, melius me horas collocaturum fuiſſe, ſi gravius argumentum, & nobilius ſuſcepiſſem, in quod ſtudia mea omnia, cogitationeſque conferrem: faciendum mihi extremo loco putavi, ut his hominum vocibus, curioſitatique perſolverem. Et quamvis vel una ſapientiſſimi, ac ſummi viri auctoritate, qui me ad ſcribendum impulit, poſſem illos cumulate refellere, placet tamen ſubjicere oculis, & conſectaria exponere totius doctrinæ, quæ hoc libro conſtituta a me eſt; ut, quando de operis pretio ex argumento ipſo ſtatuere aut nolunt, aut neſciunt, ſtatuant ſaltem ex conſectariis, ex quibus maximus eſt fructus, jucunditaſque Theologo. Hæc ergo breviter perſequar, in lucemque proferam veritatis: niſi quod eiſdem loco, & tempore nonnulla alia diſputabo, quibus magna cum argumento operis neceſſitudo intercedit, quæque fortaſſe non pigebit Lectores cognoſcere.

240. Primum igitur ſequitur, nullam eſſe Hæreticorum nec diſciplinam, nec genus, qui aperte non convincantur, Dei Filium re, & præſentia ad Inferos, in abditas ſcilicet, atque infimas terræ partes migraſſe. Eſt autem ſine dubio maximarum rerum ignarus, qui neſciat, quanto omnes duobus abhinc ſæculis ſtudio tam illuſtre Chriſtianæ religionis decretum moliantur evertere, Pearſonius nominatim, Lightfootus, Curcellæus, Heylin, Limborchius, Clericus, Cattenburghius, Burnetus, Deylingius, alii. Quid enim horum patres, ſectarumque duces commemorem, qui poſteris ſignum veluti aliquod ad inſaniendum inſani ipſi ſuſtulerunt? Ex his recentibus ſat eſt adiri, ſi per Eccleſiam licet, Limborchium, &, qui Limborchii Theologiam novis erroribus cumulavit, atque amplificavit, Cattenburghium; ex noſtris Henricum Vicum in opuſculo, cujus ſæpe meminimus, ubi hunc locum dedita opera tractavit. Alii nodum omnino ſecantes, negarunt plane incredibili audacia, deſcendiſſe Chriſtum ad Inferos; alii ut deſcenſionem illam oratione videantur relinquere, re prorſus tollunt; alii novas ſacrorum librorum editiones parantes teſtimonia eo ſpectantia depravarunt; alii hæc interpretati ita ſunt, ut ſententias ex libidine omnino perverterint; alii, Magdeburgenſes cum primis, perpetuam, & conſtantiſſimam Patrum

Digitized by Google

trum traditionem labefactare conantur, illorum loca mala fide occultantes, omnes inter ſe, & cum tota religione mirabiliter pugnant. Eos nos quidem §. 8. 9. & not. 3. partim divinis teſtimoniis, partim aliis rebus breviter confutavimus; majori tamen cum fructu, quæcumque eidem aut noſtra, aut ſuperiori memoria callidiſſime excogitarunt, ut doctrinam illam de Chriſti migratione ad Inferos varia ratione, & via corrumperent, in nihilumque, ſi poſſent, redigerent, ex ipſa ſerie, continuationéque operis ſublata de medio eſſe perſpicies. Habent hic, quibus premantur, certiſſima, atque innumerabilia totius antiquitatis teſtimonia, habent locupletiſſima etiam Hebræorum judicia, habent auctoritatem Eccleſiæ, habent alia divinæ ſcripturæ oracula (§.117.), habent, ut verbo complectar omnia, ubique plurima, quæ locum nullum relinquunt hominibus, quo perfugiant.

241. Sequitur ſecundo, poſtquam Chriſtus ad Inferos abiit, bonos, a quibus nulla anteactæ vitæ macula delenda eſt, ſtatim a morte in cœlum conſcendere, Deique frui plane beatos præſentia. Plerique enim Patres, quorum ſententiis Cadonici opinionem refellimus; evidenter hoc etiam, & manifeſte ſignificant. Quo ex numero, verbi gratia, ſunt Hermas (§.19.), univerſus Chriſtianus populus apud Tertullianum (§. 24.), Cyprianus (§. 25.), Clemens Alexandrinus (§. 27.), Origenes (§.28.), tota cum Thaddæo Edeſſena Eccleſia (§.31.), Cyrillus Hieroſolymitanus (§. 35.), Baſilius, Epiphanius, Gregorius Nazianzenus (§.37.), Hieronymus (§.38. 39. 135. &c.), Paulini duo, Mediolanenſis, & Nolanus (§. 41.), Maximus Taurinenſis (§. 42.), Cæſarius, Gennadius (§. 43.), Philo Carpathius (§. 47.), & alii infiniti, quorum deinceps auctoritates capitibus tertio, quarto, quinto, ſexto, atque alibi ſæpius proferuntur. Ubi animadvertas, velim, me hic ea ſolum Patrum loca indicaſſe, quæ teſtata ſunt, & illuſtria, aut argumentatione non egent. Præterea de cœleſti Martyrum felicitate teſtis eſt locuples Irenæus (§. 22.); de felicitate autem piorum omnium conſentiunt Juſtinus Philoſophus (§.21.), Macarius (§.34.), Hilarius Pictavienſis Epiſcopus (§.38. not.8. §. 201.), Joannes Chryſoſtomus (§. 5. 126. 130. V—VII. 131. 203.), Auguſtinus (§. 200. & cap.15.), Bernardus (§. 75. 175.), in quorum doctrinam Millenarii erroris ſuſpicionem nullo modo cadere oſtendimus. Accedunt his tot, tantorumque viro-

rum auctoritatibus ipſa Patrum concilia, ut Arelatenſe, cujus juſſu ſententias Lucidus ſuas mutavit (§. 43. & not. 9.), Romanum deinde (§. 12.), Valentinum (§. 69.), & alia. Demonſtratum eſt etiam, ſinum Abrahæ, reſpectu ad pios habito, qui ad Chriſti tempora pertinent, non aliud ſonare Eccleſiæ, & Patribus, niſi cœleſte regnum, aut cœtum, ſocietatemque piorum, Dei adſpectu, qui beatam complet vitam, fruentium (§. 198—201. &c.). Atque ut omittam univerſam Theologorum familiam, quorum Hetero doxi rationem non habent, planum idipſum faciunt, ac teſtantur Eccleſiæ auctoritas (cap. 9.), divinorum librorum oracula (cap. 10.), argumenta etiam ex ratione deſumpta, primum præſertim, ſecundum, & quartum (cap. 11.), tum quæ ſuperiore capite de pio Latrone explicavimus (§. 232.). Nonne undique diſſentientes Hæretici appetuntur? Nonne omnis generis teſtibus, plurimiſque aliis rebus evicti coguntur agnoſcere, honeſte parum, & invide ſanctorum ſe hominum felicitatem, ac præmia in longinqua tempora rejeciſſe?

242. Burnetum quidem, ut ſæpe monuimus, nuper Muratorius confutavit; ſed tamen quot alii, Burneto vivo, & poſtea prodierunt in ſcenam ſcriptores, qui nunc pios abeſse cœlo, Deumque præſentem non cernere editis peſtiferis libris aggreſſi ſunt demonſtrare, quorum ne mentionem quidem vir magnus fecit, quaſi, præter Burnetum, nulli eiſdem temporibus eſſent in Anglia, aut alibi gentium pravo ingenio homines, a quibus eidem errores diſſeminarentur in vulgus (*a*)? Inveni autem ego, intentis dum oculis omnes Cadonicus Muratoriani operis partes intueri me jubet, inveni ego, inquam, non qui apud Muratorium Cadonici partibus ſtudeant, ſed quos una cum Burneto refutare Muratorius debuiſſet, quando noſter eo, ut profitetur, movebatur conſilio, ut ne venenum longius ſerperet, nec latius per Britanniam funderetur. Eſt enim ex hoc numero ſcriptor pernicioſi operis, *Renouvellement de quelques dogmes de l'Egliſe primitive*, quod Londini prodiit anno 1713. Ibi auctor & ſacris litteris, & Patrum teſtimoniis efficere nititur, piorum, atque impiorum animos neque cœlum, neque Inferos, ſed alias quaſdam oras, ſive loca habitare, quas uſque ad extrema mundi tempora incolent. Quibus ex rebus colligit, de hominibus, & ratione vitæ, quam ſecu-

(*a*) Ex præfat. ad Lect. & cap. 1.

ſecuti fuerint, non ſtatim ab obitu ferri a Deo judicium, abſonos porro eſſe, & abſurdos Latinos, qui Mariam, cæteroſque ſanctos viros veneramur, & colimus, eſſe denique Purgatorium, ubi bonorum manes expiari definito tempore credimus, purum putum Pontificiorum commentum. Hickes ei operi ſermonem quendam ſuum, vel diſputationem adjunxit, nec eaſdem ipſe ſolus tuetur, defenditque ſententias, ſed admonet, a multis Angliæ Theologis ornatas, atque approbatas fuiſſe, præſertim a Tovverſon, &, quod caput eſt, ab Andrevvs, Montague, & Coſen, Epiſcopis. Rurſus Londini ipſo illo anno, quem diximus, 1713. Nelſonius exire in lucem publicam voluit opuſcula poſthuma Georgii Bulli, apud S. Davidem Antiſtitis, quæ tribus voluminibus in 8. magno complexa inſcribuntur, *ſermons, & diſcours ſur quelques dogmes importans de l'ancien Chriſtianiſme*. Enimvero hic homo, qui egregie alias de Chriſti divinitate meritus fuerat, ſermonibus ſecundo, & tertio eoſdem, quos auctor Anonymus, & Hickes conſtituere errores molitur, eoque propterea, repugnantibus Lucæ verbis, detorquet illud, quod eſt in Actis cap. 1. ver. 25. de Juda, proditorem nempe hunc, *de Apoſtolatu prævaricatus cum eſſet, abiiſſe denique in locum ſuum*. Apud Swindenium, cujus de Inferni ſede opinionem nota 2. profligavimus, ſimilia ſtatuit Wallius, illuſtris apud ſuos, & nobilis hiſtoriæ Pædobaptiſmi ſcriptor, niſi quod errores, ut ſolet, erroribus cumulans, & adaugens vetus ſomnium de terreſtri mille annorum regno, in quo pii omni fruentur voluptatum genere, renovavit. Colliberius, a nobis alias nominatus, edidit etiam Londini anno 1734. opus ſic inſcriptum, *Penſées libres ſur l'Ame en quatre Eſſais*. In eorum extremo de futuræ vitæ ſtatu longam diſputationem inſtituit, propoſitumque homini eſt non divinis ſolum litteris, ſed rationibus demonſtrare, neque bonis præmia, neque ſupplicia impiis ſtatim a morte deferri, ſed utrumque ſupremo illo mundi tempore eventurum. Argumentis noſtrorum, quæ ex ſacrorum librorum auctoritate promuntur, copioſe reſpondet, &, qua impudentia eſt, addit, præter lucri ſtudium, atque avaritiam, in Sacerdotum animis penitus inſitam, cauſſam fuiſſe nullam, quamobrem contraria ſententia, quæ totis quindecim ſæculis latiſſime in Eccleſia percrebuerat, in Florentino tandem concilio proſcriberetur. Cultum porro delatum cœlitibus, eorumque imaginibus, & reli-

reliquiis, inſtituta Romani Pontificis, ſumma vitæ innocentia homines ſanctos eſse, regnaréque cum Deo edicentis, pia, quæ religionis cauſsa ſuſcipiuntur, itinera, vota, ſacrificia, cæteras, ut loquitur, ſuperſtitioſas cæremonias, quæ Romanam Eccleſiam opima pecuniæ dote locupletant, ei Florentino decreto originem ſuam debere, unaque illud oſtendere, doctrinam, quæ medium quendam vitæ ſtatum inducit, decretis noſtris, qui ſtatum illum rejicimus, infinitis eſse partibus præferendam: eo magis, quod in cujuſque obitu privatim quidem a Deo fieri judicium dicitur, nullis id tamen neque rationibus, neque divinis auctoritatibus affirmetur. Quid ego nunc loquar de ſcriptoribus, qui per hoſce annos Theologiæ corpora confecerunt, ſingulaſque illius partes tractarunt? Quid de Iſaaco Beauſobrio, qui in Manichæorum hiſtoria multa & ipſe in hoc argumento turbavit, fœdiſſimaſque ſanctiſſimis Patribus imponens calumnias, conſtare, eiſdem teſtibus, & auctoribus, ſcripſit, piorum adhuc animos in obſcuris quibuſdam, & ſubterraneis locis conſiſtere? Nonnulli ejus errores legi poſſunt apud Henricum a Porta.

243. **Hominum**, quos dixi, opera prodierunt in publicum, antequam ſuum adverſus Burnetum Muratorius edidiſſet. Secuti alii poſtea illorum veſtigia ſunt, *ſcribendique* licentiam. Ut ecce nonus nondum exivit annus, ex quo Londini duo in vulgus emanarunt opuſcula, alterum de mundi origine, & antiquitate, alterum de animo hominis. Priore illo autem opuſculo, toto capite tertio perſuadere ignotus auctor conatur, primos quoſque Chriſtianos Millenariorum fabulas docuiſſe, exiſtimantes, bonos nec ſtatim a morte in cœlum conſcendere, ibique Deum conſpicere, &, reſtitutis corporibus, regnaturos una cum Chriſto mille annos in terra: quam, & alias hominis opiniones breviter Actorum Trevoltienſium ſcriptores exagitant (*a*). Porro his de rebus, errorumque portentis tantis, tamque pernicioſis Eccleſiæ neque ſatis me commode dicere, neque ſatis graviter conqueri poſſe intelligo. Illis tamen toto hoc libro diligentiſſime a nobis occurritur, aperimus diſputatorum fraudes, atque fallacias, nec ſolum ramos amputamus opinionum tam deteſtabilium, ſed omnes radicum fibras evellimus. Quandoquidem demonſtratum eſt, repugnare pluribus Theologiæ locis medium quen-

(*a*) Memorie per l'an. 1751. Magg. art. 67. ediz. di Peſaro.

quendam vitæ ſtatum inducere, piorum vero familiam jamdudum cœleſtium bonorum poſſeſſionem una cum Dei Filio adiiſſe (§. 241.). Et erunt qui dicent, me tempus non ſatis utiliter collocaſſe, aut qui de magnitudine, ac pretio inſtituti a me operis dubitabunt?

244. I. Sed jam ſequitur tertio, Chriſtum in ſubterraneam illam ſedem, atque regionem mortuorum profectum vitam, ſalutemque impiis, qui æternas maleficiorum ſuorum pœnas luebant, non attuliſſe. Ea etiam in re multi ab omni antiquitate fuerunt, partim qui licentius erraverint, partim qui levius quidem, & minus periculoſe, ſed non nihil tamen offenderint, partim qui talia ſcripſerint, quæ univerſæ Eccleſiæ doctrinæ penitus non conſentiunt: plane ut intelligam, acri ingenio opus hoc loco eſſe, & incredibili diligentia, ne fortaſſe, dum eruditionis laus quæritur, male de Patribus mereamur. Vidimus §. 11., & 12. de perſpicuis nonnullorum in hoc genere erroribus. Vidimus quoque §. 27. Clementem Alexandrinum putaſſe, Dei Filium ad Hebræos, Apoſtolos ad Gentiles concionem de Evangelio apud Inferos habuiſſe, qui vero aſſenſi dictis ſunt, eis, teſte Herma, adminiſtratum eſſe Baptiſmum, atque una ſalutem datam. Fuit in eadem ſententia, ſi pauca excipias, libelli de defunctis auctor, qui Damaſceni perſonam ſumpſit, abjecta ſua (§. 68.), tum Jobius Monachus apud Photium (*a*), & Nicetas (*b*). Neque ab illa Petavii judicio (ego enim fateor, nihil me habere, quod liqueat) abhorruit auctor libri de myſterio Paſchæ, & commentariorum in Pauli epiſtolas, Ambroſii nomen præferentium (*c*). Hoc exploratum ſine dubio eſt, Clementis præceptoris ſui veſtigia perſecutum Origenem reſpondiſſe Celſo Philoſopho, quod fuit minime omnium neceſſarium, concionanti Chriſto apud Inferos crediḋiſſe, atque adeo ſalutem adeptos eſſe aut qui voluerunt, aut quos Chriſtus ipſe ad ſuſcipiendam religionem magis eſſe idoneos occultis quibuſdam de cauſſis, ſibique notis perſpexerat (*d*). Ex his fontibus manavit fabula de Platonis ſalute, quam ſurdis narrant Nicetas, & alii.

II. Opinati ſunt alii, Joannem Baptiſtam, qui in hac hominum vita Chriſti præco fuit, & nuncius, idem munus etiam

(*a*) Cod. 222. ex lib. 9. de Incarnat. cap. 38. (*b*) Not. in orat. 42. S. Greg. Naz. (*c*) Petav. de Incarn. lib. 13. cap. 18. n. 6. & 7. (*d*) Lib. 2.

etiam in Inferis obiiſſe, Evangeliumque mortuis prædicaſſe. Eſt in his ſine dubio Hippolytus (§. 29.), ad cujus locum admonuit Albertus Fabricius, id vulgo ſtatutum a Græcis, ut apud Leonem Allatium (*a*) videri poteſt; tradidit autem Cotelerius (*b*), auctoritate nixum eſſe Origenis (*c*), Hippolyti, Gregorii Nazianzeni (*d*), Hieronymi (*e*), Epiphanii cujuſdam, vel alterius ſcriptoris (*f*), Anaſtaſii Antiocheni (*g*), & Nicephori (*h*). De Hippolyto, atque Hieronymo dubitari non poteſt: de cæteris ſponſor erit Cotelerius: prædem enim dare me nolo, cum loca non viderim. Multo minus illud aſſentior, quod ait Fabricius: ideo quia docet Vallarſius in notis ad Hieronymianam epiſtolam ad Algaſiam, alios Patres poſt Chryſoſtomum eam ſententiam refelliſſe, ipſe autem Fabricius, ut nos mittat ad Leonem Allatium, teſtimonia tamen non producit. Ego autem in hoc prorſus obdurui, ut, niſi ſi aliunde de hominum diligentia penitus liqueat, auctoribus ſic agentibus fidem nullam adhibeam, præſertim nimis generatim, atque univerſe loquentibus. Longa id enim experientia didici & ſæpe alias, & nunc potiſſimum, cum inſcriptionem hujus libri incumberem. Deceptus quippe ſum quam creberrime, &, quod ſatis dolere nequeo, incredibilem pretioſiſſimi temporis jacturam feci, ipſe ſimiliter decepturus identidem Lectores meos, niſi loca a ſcriptoribus deſignata patientiſſime ſuis in fontibus quæſiviſſem. Leve id quidem totum hoc negotium videbitur fortaſſe multis, qui ſola doctrinæ ſpecie contenti ſunt, laboremque refugiunt, cœlum autem digito ſe putant attingere, ſi ſedentes in officina libraria multa auctorum nomina uno ſpiritu oris pronuncient: ego contra, qui tam beatus non ſum, eum Theologicarum rerum ſcriptorem vel ſummis in cœlum laudibus efferam, qui ſuam mihi diligentiam, ac fidem in producendis, deſignandiſve auctorum locis probaverit. Cæterum antiquorum, quos appellant Cotelerius, & Fabricius, opinio tales habere explicatus poteſt, ut omni erroris culpa vacet. Fortaſſe enim nihil ſibi aliud, plerique ſaltem, voluerunt, niſi hoc, Joannem Baptiſtam,

(*a*) De Libris Eccleſ. Græc. pag. 303. & ſeqq. (*b*) Not. in Herm. lib. 3. ſimil. 9. num. 16. (*c*) Hom. 4. in Luc., & ad Joan. cap. 1. ver. 39. ex Cotel. (*d*) Orat. 20. (*e*) Epiſt. 151. ad Algaſ. quæſt. 1. & ad Matth. 11. ver. 3. (*f*) Orat. in ſepulch. Chr. Tom. 2. S. Epiph. (*g*) Quæſt. 111. (*h*) Hiſt. lib. 1. cap. 19. 21. ubique ex Cotel.

ſtam, cum, morte obita, ad reliquorum piorum cœtum, atque concilium apud Inferos profectus fuiſſet, eis ſignificaſſe, appropinquare jam regnum cœlorum, futurumque idcirco, ut eidem primo quoque tempore ex his locis erepti ad beatitudinem pervenirent. Quod meo judicio coargui erroris non poteſt. Certe hæc ſententia ſubjicitur verbis Hippolyti (§. 29.), itemque Hieronymi, apud quem Joannes interrogans Dei Filium, num ad Inferos deſcenſurus ſit, *hoc autem*, inquit, *ſcire deſidero, ut qui in terris hominibus te nunciavi, etiam Inferis nunciem, ſi forte venturus es* (*a*). Nihilominus nullo opus præcurſore fuiſſe, videbimus paullo poſt (VII.) ex Chryſoſtomo, opinionem illam, veluti puerorum nugas, graviter irridente. Ac facile intelligas, poetis magis, ut Sannazario, & Agnellio permitti poſſe, quam dignam eſſe lucubratione Theologi.

III. Jam quod loco ſuperiore e veſtigio addidit Cotelerius: *per Chriſtum autem Evangelium prædicatum fuiſſe Inferis a quo non dictum? A quo ex Petri Apoſtoli ſermone epiſt.* 1. *cap.* 3. *verſ.* 19. 20. *&* *cap.* 4. *verſ.* 6. *non collectum?* ne id quidem inducere animum poſſum, ut credam. Nimis generaliter agere, Coteleri, docte ſane vir, nimis fidenter mihi homini cum primis timido videris loqui. Scribis tu quoque, Joannes Pottere, Oxonienſis Epiſcope, qui nuper Clementis Alexandrini opera ediḋiſti (*b*), ſatis multa veterum eam in rem teſtimonia legi poſſe apud Spencerum (*c*), & Cotelerium; at noſti illud, puto:

*Nil agit exemplum, litem quod lite reſolvit*,

mihi vero non levis cum Cotelerio certatio eſt. Quid, amabo vos, quæritis? Dei Filium prædicaſse apud Inferos, ſcio dictum Cyrillo Alexandrino (§. 47.), Moſi Barcephæ (§. 71.), & Procopio Gazæo (*d*). Dictum præterea aliis. Cyrillus tamen, Barcephas, & Procopius vocem illam *Evangelium* non ponunt; quod ſane cognoſcere intereſt. De re enim gravi cum agitur, & diſtincte de unoquoque dicendum, & nihil a bono ſcriptore omittendum eſse cenſeo. Ad concionem vero ipſam quod attinet, utrum illud a tot veteribus traditum ſit, a quot veſtro uterque teſtimonio fuiſse traditum confirmatis,

Q q

(*a*) Epiſt. 121. ad Algaſ. quæſt. 1. Tom. 1. edit. Vallarſ. (*b*) Not. 6. in lib. 6. Strom. cap. 6. edit. Ven. 1757. (*c*) Not. ad Orig. cont. Celſum lib. 1. pag. 85. edit. Cantabrig. (*d*) Loc. cit. ad §. 54.

tis, ego equidem, ut de ignorantia mea confitear, neſcio. Immo, quantum ex lectione profeci, facile exiſtimaverim, eſse numerum minuendum. Etſi enim Patres, quibus potiſſimum in locis de Chriſti deſcenſione ad Inferos locuti ſunt, cum ſæpe, tum diligenter adierim, atque pervolutaverim, paucos tamen reperire potui, qui ibi illum prædicaſse affirmaverint. Diſtat autem hæc ſententia, & accuratiſſime ſecerni debet ab errore illo veterum, a quibus mali dicti ſunt peccati veniam, liberationemque pœnæ impetraſse. Nam ſi vel maxime docuiſsent Patres, Servatorem noſtri generis Evangelium mortuis prædicaſse, non propterea efficitur, malos ſalutem adeptos eſse, ſed quid opinatus quiſque ſit, quid eis verbis intelligi velit, ex ipſorum doctrina ſtudioſius inquirendum. Quamquam de hac concione dicemus poſterius, cum perobſcurum Petri locum ediſseremus.

IV. Jam Marcion quantopere inſaniverit potius, quam erraverit diſputans de glorioſa illa Chriſti ad Inferorum ſedes profectione, explicavimus §. 117., & nota 25. Commentus eſt homo hic veſaniſſimus, atque ad improbitatem natus, Hebræorum patres ſanctiſſimos, Prophetas, bonoſque cæteros, qui vitam pie, innocenterque traduxerant, ab omni ſalutis ſpe excidiſſe, atque adeo relictos fuiſſe apud Inferos; malos autem ſaluti deſperare vetitos, ab Inferis, pœniſque omnibus vindicatos non ſolum, ſed felicitati etiam reſtitutos. Simile quidpiam effutitum poſtea ab Albigenſibus, videlicet, *omnes veteris Teſtamenti Patres damnatos*, *Joannem Baptiſtam unum eſſe de majoribus Dæmonibus*, quod ex Petro Monacho narrat vir clariſſimus Petrus Lazeri in exercitat. de Hæreſi Albig. cap. 1. pag. 4. Teſte denique viro ſancto, Bernardo, Petrus Abaylardus agens de eadem divini Filii deſcenſione affirmavit quidpiam Catholicorum auribus inauditum, & animis abſonum, atque abſurdum (*a*).

V. Sed imprudens fere prætermieram, quam in prætermiſsis minime omnium relictam velim, admirabilem plane rationem, qua Baptiſmus ex ſententia Theodori Abucaræ adminiſtratus eſt mortuis, iis dico, qui pie obierant. Hic propoſitæ quæſtioni, quo tandem modo, cum Chriſtus dixerit, neminem introire in cœlum poſſe, niſi natum ex aqua, & ſpiritu, boni tamen ante illius adventum de vita egreſſi, nec bapti-

(*a*) Epiſt. 188. ad Epiſc., & Cardinales Curiæ.

baptizati in cœleſte regnum intraverint, ſic ſatisfacit, & perſolvit. Chriſtum pro illis ablutum fuiſſe, & ipſos vere, ac proprie baptizatos. Quæ enim ex divino latere profluxit aqua, hanc in elementa mutatam piorum animos Chriſto venienti ad Inferos credentes, & in elementa quoque reſolutos baptizaſſe; incredulis autem, & impiis, omnis plane ſenſus, vitæque expertibus nihil profuiſſe (*a*). Sed hoc eruditionis gratia memini. Tale eſt enim, ut confutatione non egeat.

VI. Quod autem propoſueram, Dei Filium, cum migraſſet ad Inferos, ſalutem impiis, ac veniam non dediſſe, id ex totius operis ſerie luculentiſſime compertum eſt. Patefactum eſt enim jam inde a principio §. 11. & 12. Quibus rebus, veluti cumulus, accedunt alia graviſſimorum Patrum, atque hominum teſtimonia. Gregorius enim Nazianzenus, interprete, atque auctore Niceta (§. 37.), Petrus Chryſologus (*b*), Beda (§. 67.), univerſum Valentinorum Patrum concilium, & omnes, qui Goteſchalco faverunt (§. 69. & not. 14.), auctor Gloſſarum in Exodum editus a Mingarellio (§. 81.), Eccleſia Lugdunenſis (§. 98.), Smaragdus Abbas (§. 71.), & Huguccio, Ferrarienſis Antiſtes (§. 74.), diſerte, ac perſpicue teſtantur, unam piorum familiam vitam a Chriſto, ſalutemque accepiſſe. Teſtantur idipſum, mutatis verbis, ſed immutatis ſententiis, innumerabiles alii, qui videlicet confirmant, ideo Chriſtum ad Inferos deſcendiſſe, ut *electos*, ut *ſanctos*, ut *Patriarchas*, ut *fideles* ſuos eriperet, vitamque eis, ac felicitatem tribueret, aut qui docent, Chriſtum redeuntem in cœlum *juſtos* ſecum, vel *ſanctos*, tanquam captivos, duxiſſe, aut qui aliis id genus loquendi formulis utuntur. Quem in numerum, exempli gratia, venire debent Juſtinus (§. 20.), Irenæus (§. 22.), Tertullianus (§. 24.), ipſe Origenes (§. 28.), Hippolytus (§. 29.), Cyrillus Hieroſolymitanus (§. 35.), Ephræmus Syrus (§. 36.), Baſilius, Epiphanius (§. 37.), Paulinus Mediolanenſis (§. 41.), &, quoniam ſingulos nominare moleſtum, ac longum eſt, tota Patrum, & conciliorum antiquitas. Conſtat etiam res argumento, quod ex ſacris litteris inſtituimus (§. 117.), conſtat ex auctoritate Eccleſiæ (cap. 9.), conſtat denique ex concordi Theologorum omnium conſenſione (cap. 8.): ut nihil dicam de commentariolo in primam Petri epiſtolam, Clemen-



(*a*) Opuſculo 17.

(*b*) Serm. 123.

ti olim Alexandrino attributo. Factum propterea eſt, ut qui vetuſtis temporibus diſſentirent, ii inter hæreticos referrentur (§. 11.), vocabuloque proprio, & ſuo Ἁδηκερδῖται (quod ſignificat lucrari ſalutem in Inferis) vocarentur, quemadmodum eſt in hæreſi 79. ejus Anonymi, cujus opus ſub Prædeſtinati nomine emiſit in lucem Sirmondus. Etſi autem ea ſit Marcionis, Albigenſiumque ſtultitia, atque opinionum perverſitas (IV.), ut a viro gravi refutari non debeat (§. 117.), eiſdem tamen rebus apertiſſime convincitur: facile ut appareat, hos nebulones talia ſine cauſſa voluiſſe ſcribere, propter quorum impudentiam univerſo hominum generi ludibrio eſſent, atque deſpectui.

VII. Hic ego, ut Eccleſiæ ſententia uberius eluceat, aureum Chryſoſtomi locum ſubjiciam ex homilia 36. in Matth., ubi non aliquorum ſolum opinionem de commentitio illo Joannis Baptiſtæ apud Inferos munere vellicat, ſed etiam Clementis Alexandrini de parta impiis ſalute diſputationi ſatiſfacit, tacito dumtaxat nomine, ob egregia ejus in Chriſtianam rempublicam merita. Ibi eximius orator, idemque ſummus Theologus Joannis apud Matthæum verba, *tu es, qui venturus es, an alium exſpectamus* (*a*)? interpretari exorſus progreditur hunc in modum. *Sed quod magis riſu dignum eſſet, dicunt, hoc ideo dixiſſe Joannem, ut in Inferos veniens prædicaret; quibus opportune dicatur*: fratres, nolite pueri effici mente, ſed malitia parvuli eſtote (*b*). *Nam præſens vita bene agendi tempus eſt, poſt mortem vero aderit judicium* (audiant recentiores Hæretici), *& ſupplicium. Nam ait*: in Inferno quis confitebitur tibi (*c*)? *Quomodo igitur contritæ ſunt portæ areæ, & vectes ferrei confracti ſunt? Per corpus ejus. Tunc enim primo apparuit corpus immortale, quod mortis tyrannidem ſolveret. Alioquin vero id oſtendit, mortis vim eſſe ſublatam, non autem eorum, qui ante adventum ejus mortui fuerant, ſoluta peccata fuiſſe. Quod ſi res non ita ſe habet, & ſi omnes antea mortuos a Gehenna liberavit, quomodo ait*: tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæ (*d*)? *Illud enim eos puniendos eſſe declarat, remiſſius quidem, ſed puniendos tamen. Etiamſi hic extremas dederint pœnas, attamen non hoc illos liberabit. Si autem hos non eruet,*

(*a*) Cap. 11. ver. 3. (*b*) 1. ad Cor. cap. 14. ver. 20.
(*c*) Pſal. 6. ver. 5. (*d*) Luc. cap. 10. ver. 12.

*eruet*, *multo minus eos*, *qui nihil hic paſſi ſunt*. *Quid ergo*, *inquiunt*, *injuſte ne agitur cum iis*, *qui ante adventum ejus vixerunt*? Eſt hoc Clementis Alexandrini argumentum (§.27.), quod ita diluitur. *Nequaquam*. *Poterant enim nec Chriſtum confeſſi ſalutem conſequi*. *Non enim hoc ab illis exigebatur*, *ſed ne idola colerent*, *& ut verum Deum noſſent*. Dominus enim, *inquit*, Dominus tuus, Dominus unus eſt (*a*). *Ideoque Machabæi admirationi fuerunt*, *quia pro legis obſervatione paſſi ſunt*, *ac tres pueri*, *multique alii apud Judæos*, *qui vitam optime geſſerunt*, *& hujus cognitionis modum ſervarunt*, *nihil aliud obſervare debuerunt*. *Tunc enim ad ſalutem ſufficiebat*, *ut dixi*, *Deum tantum cognoſcere*; *nunc vero id ſatis non eſt*; *ſed Chriſtum noſſe oportet*: *idcirco dicebat*: ſi non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo (*b*). *Sic eſt de vitæ inſtituto putandum*. *Tunc cædes homicidam perdebat*; *nunc vel iraſci vetitum eſt*. *Tunc mœchari*, *& cum aliena muliere commiſceri ſupplicium afferebat*; *nunc autem impudicis oculis reſpicere*, *idem affert*. *Sicut cognitio*, *ſic & vita nunc ſublimior requiritur* 53. *Itaque nihil prodromo opus erat*. *Alioquin ſi ii*, *qui poſt mortem crederent*, *ſalutem conſecuturi ſunt*, *nullus unquam peribit*. *Omnes enim tunc pœnitentiam agens*, *& Chriſtum adorabunt*. *Quod autem illud ſit verum*, *audi Paulum dicentem*: omnis lingua confitebitur, & omne genu flectetur cœleſtium, terreſtrium, & Infernorum (*c*), *&*, ultima inimica deſtruetur mors (*d*). *Sed nullam utilitatem ex hac ſubjectione conſequentur*: *non enim ex*

*bona*

(*a*) Deuter. cap. 6. ver. 4. (*b*) Joan. cap. 22. ver. 22.

(*c*) Ad Philip. cap. 2. ver. 11. (*d*) 1. ad Cor. cap. 15. ver. 26.

53 Ex hac loquendi ratione, & ipſis exemplis, quæ attulit, tum ex rebus, quas paullo ante de Prophetis diſputavit, attentis Lectoribus planum fiet, atque perſpicuum, Joannem Chryſoſtomum nullo modo inficiari, neceſſariam ad ſalutem fuiſse in veteribus eam in Chriſtum fidem, quam Theologi implicitam dicimus, ſed agnoſcere potius, ac probare. Hoc enim dumtaxat inter noſtram, & cognitionem veterum intereſt, quod hæc confuſa eſt, illa *ſublimior*, ad certa ſcilicet, atque diſtincta credendarum rerum capita revocatur. Probe autem Chryſoſtomus, vir ſane in divinis litteris verſatiſſimus, noverat, quod in concione ad Hebræorum Sacerdotum principes habita teſtificatus eſt Petrus, *non aliud* eſse nomen, præter Chriſtum, *ſub cœlo datum hominibus*, *in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Act. cap. 4. ver. 12. Hæc interdum a bono ſcriptore monenda ſunt, ne Patres deſerti Heterodoxorum audaciæ, licentiæque dedantur.

*bona voluntate proficiſcitur*, *ſed ex ipſa rerum*, *ut ita dicam*, *neceſſitate*. *Ne illa*, *quæſo*, *inducamus anilia dogmata*, *&* *Judaicas fabulas*. *Audi enim*, *quid de his dicat Paulus*: quicumque enim ſine lege peccarunt, ſine lege peribunt (*a*), *loquens de iis*, *qui ante legem erant* (*b*). Mitto cætera, plena ſapientiæ omnia, & ponderis. Duo hinc enim apertiſſime poſſunt intelligi, primum adverſus Cadonicum, adverſus Α'δηκεςδίτας alterum. Adverſus Cadonicum manifeſte cognoſcimus, pervagatiſſimam ætate Chryſoſtomi noſtrorum fuiſſe ſententiam, omnium plane hominum animos ante Chriſti obitum ad Inferos immigraſſe, ubi pii jucundiſſimo Dei adſpectu carebant. Adverſus vero Α'δηκεςδίτας ſimiliter liquet, Chriſto in illas oras profecto, omnes impiis aditus miſericordiæ Dei penitus fuiſſe præcluſos.

245. Sed quæret fortaſſe quiſpiam, num ſaltem Dei Filius aliquo intervallo temporis illorum pœnas, & cruciatus minuerit, ne ullum penitus hominum genus eſſet, ad quos paſſionis, mortiſque ejus ſalutaris fructus non pervenerit. Dictum & hoc aliquibus, quos memini me legiſſe, ſeverioreſque eſſe vellem. Nam tantum abeſt, ut miſeri illi ullum tunc pœnarum ſuarum levamentum habuerint, ut certum, atque exploratum ſit, nihil unquam de ſummo ſupplicio remittendum fore, quemadmodum ex conſtanti Patrum doctrina, *diviniſque* teſtimoniis facillime oſtendi poteſt. Antequam tamen id breviter doceo, placet hic paullo antiquiorem Miſſam exſcribere, quam mecum pro ſingulari ſua, atque propenſa erga me voluntate perhumaniter communicavit optimus, & clariſſimus vir, Joannes Chryſoſtomus Trombellius, depromptam ex codice, qui ſæculo undecimo exaratus eſt, atque in Bononienſi S. Salvatoris Bibliotheca aſſervatur. Qua in Miſſa precatur Sacerdos Deum, ut is, de cujus ſalute dubitatur, aliquam doloris levationem, ac pœnæ reperiat. Illam, ut ſolent Heterodoxi cupide omnia arripere, quæ conflare Romanæ Eccleſiæ invidiam poſſunt, etſi non produxerit, commemoravit tamen in Theodicæa Leibnitius. Ego nunc proferam, quantum ejus valere auctoritas debeat, dicturus poſterius.

*Miſſa*

(*a*) Ad Rom. cap. 2. ver. 12.
(*b*) Num. 3. & 4. Tom. 7. edit. Montfauc.

*Miſſa pro cujus anima dubitatur.*

*Oratio.*

*Omnipotentem, ac miſericordem Deum, fratres chariſſimi, qui habet poteſtatem mortificare, & vivificare, deducere ad Inferos, & reducere, & vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt, cujus poteſtas in cœlo, & in terra, in mari, & in Inferis pleniter adſtat, humiliter deprecemur pro anima famuli ſui N., quem ſubito evocavit a præſenti ſæculo abſque pœnitentiæ ſpatio, &, ſi forſitan ob gravitatem criminum non meretur ſurgere ad gloriam, per hæc ſacroſancta oblationis libamina tolerabilia fiant ipſa tormenta. Per &c.*

*Secreta.*

*Suſcipe, Domine, clementiſſime Pater, pro commemoratione famuli tui N. hoſtiam placationis, & laudis, ut ſacrificii præſentis oblatio ad refrigerium animæ ejus, te miſerante, perveniat. Per &c.*

*Poſt-Communio.*

*Miſerator, & miſericors, patiens, & multum miſericors Domine, ſi iniquitatem obſervaveris, quis ſuſtinebit? Precamur ergo immenſam clementiam tuam pro anima famuli tui; ut cui parva fiducia ſuppetit actionum, ſola gloria tua copioſe reſplendeat, ut vel veniam opera manuum tuarum ſentiat in Inferis, quam ad imaginem tuam creare dignatus es. Per &c.* [54].

246. De recentibus etiam Heterodoxis opinantur complures, eorum, qui perpetuis in Gehenna anguntur doloribus,

54 In alio ejuſdem Bibliothecæ codice, cujus ætas ad ſæculum duodecimum referri debet, legitur Miſsa *pro omnibus fidelibus defunctis*. Apparet autem ex collecta, quam dicimus, id, quod ſupra (§. 198.) eſt a me conſtitutum, ſinum Abrahæ his temporibus accipi ab Eccleſia ſolere pro cœlo, aut pro ſocietate piorum cum Deo regnantium, ejuſque adſpectu, majeſtatéque fruentium. Eam igitur repræſentare hoc loco placet, quoniam ad confutandos Cadonicum juxta, ac Millenarios, qui his vocibus abuti ſolent, aliquid valitura eſt.

*Oratio.*

*Suſcipe, Domine, piiſſime Pater, in ſinu Abrahæ Patriarchæ animas famulorum, famularumque tuarum, omnium Sacerdotum, omniumque fidelium defunctorum, vel parentum noſtrorum, nec non & eorum, qui ſe in noſtris orationibus commendaverunt, & qui nobis ſuas largiti ſunt elimoſinas, ſive omnium* utriuſque *ſexus fidelium defunctorum, eaſque cum Sanctis omnibus, & electis adjunge, nec eis noceat culpa carnis in pœna, ſed proſit illis tuæ gratiæ miſeratio ad veniam. Per &c.*

bus, pœnas interdum, atque ſupplicia mitigari: quod alii ſic intelligi volunt, ut ſupplicia atrociſſima aliquando tolerabiliora conſequantur; alii, ut certis quibuſdam intervallis temporum, longioribus, aut brevioribus pro ratione culparum, & ſcelerum, omnis pœna intermittatur, ac ceſſet. Eſt autem in his, præter cæteros, Franciſcus de Roches, Genevenſis Theologus in epiſtola 37. (*a*). Quos ſi interroges, quo tandem argumento in eam opinionem inducantur, taceant, neceſſe eſt, atque obtumeſcant. Habent enim, quod reſpondeant, nihil. Ad hæc Dionyſius Petavius, etſi ſcripſerit, ab omni ſemper antiquitate certum Eccleſiæ, ac perſuaſum fuiſſe, impiorum pœnas non ſolum finem nunquam eſſe habituras, ſed ne imminui quidem poſſe, adductus eſt tamen, ut crederet, nonnullos Patres, ut Auguſtinum, Joannem Chryſoſtomum, Joannem Damaſcenum, & Prudentium poetam a communi Eccleſiæ doctrina ea ſuper re deſciviſſe (*b*). Sed egregie & monitum, & demonſtratum Patuzzio (*c*), feſtinanter nimis Petavium tuliſſe ſententiam, nemini vero ex his Patribus unquam in mentem veniſſe cogitare, de Inferni pœnis, atque ſuppliciis poſse interdum diminutionem aliquam fieri.

247. Ac ſane, ne quid contra temere moliamur, perſpicua vetant, ut ſilentio veteres tranſeam, divinorum librorum oracula. In Apocalypſi enim de his, qui beſtiam ſecuti fuerint, eique honorem, cultumque adhibuerint, dicitur: *& fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum, nec habent requiem die, ac nocte* (*d*); tum de Diabolo, ejuſque ſatellitibus: *& Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris: ubi & beſtia, & pſeudopropheta cruciabuntur die, ac nocte in ſæcula ſæculorum* (*e*). Rogo vero te, ſi ſcelerati, atque impii nullam reperire in ſuppliciis quietis partem poſsunt, ſi nocte, ac dies torqueri, atque excruciari debent *in ſæcula ſæculorum*, ideſt tota æternitate, fingi ne poteſt, futurum, ut aliqua interdum fiat a dolore intermiſſio, aut diminutio? Eæ quippe verborum formulæ pœnas nobis ante oculos ponunt, in quibus infeliciſſimi illi in omnem conſequentis temporis perpetuitatem ſine ullo remedio, atque allevamento permanebunt: & eadem plane

(*a*) Defenſe du Chriſtianiſme Tom. 2. (*b*) Lib. 3. de Angelis cap. 8.
(*c*) De futuro impior. ſtatu lib. 3. cap. 12. (*d*) Cap. 14. ver. 11.
(*e*) Cap. 20. ver. 9. & 10.

plane ratione debent intelligi, qua illud ſimiliter Apocalypſis de quatuor animalibus, quæ *requiem non habebant die, ac nocte dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens* (*a*), vel illud de his, *qui venerunt de tribulatione magna, & ſunt ante thronum Dei, & ſerviunt ei die, ac nocte in templo ejus* (*b*), vel illud Pauli in priori ad Theſſalonicenſes epiſtola, *memores enim eſtis, fratres, laboris noſtri, & fatigationis, nocte, ac die operantes, ne quem veſtrum gravaremus* (*c*). Ac rem ita ſe habere, exemplo, & teſtimonio ſuo perſuadere nobis poteſt dives ille voluptarius, de quo Lucas. Nam cum Abrahamum etiam, atque etiam rogaſset, ut ad ſe Lazarum mitteret, qui *intingens extremum digiti in aquam*, atrociſſimam, qua enecabatur, ſitim non ille quidem a ſe depelleret, ſed tantum aliqua ex parte allevaret, tam beneficum, & miſericordem patrem exorare non potuit (*d*). Quamquam de his plura apud Patuzzium, qui hanc cauſsam dedita opera, accurateque tractavit (*e*).

248. Miſſa autem, quam protuli, obſtare, atque officere nequit. Privata enim Miſſa eſt, nec aſſenſu Eccleſiæ approbata, cujus quæ conſuetudo fuerit, & doctrina, exponam locupletiſſimo Auguſtini loco, una ut mercede duas res aſſequar. Nam & de Eccleſiæ ſenſu, inſtitutoque veteri dubitari non poterit, & conſtabit, Petavium de ſapientiſſimo homine paullo ſuſpicioſius judicaſſe, & criminoſius. *Eccleſia nunc pro eis orat*, ait Auguſtinus, *quos in genere humano habet inimicos, quia tempus eſt pœnitentiæ fructuoſæ. Nam quid maxime pro eis orat, niſi ut det illis Deus, ſicut dixit Apoſtolus, pœnitentiam, & reſipiſcant de Diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ſecundum ipſius voluntatem? ..... Si qui autem uſque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, numquid jam pro eis, ideſt pro talium defunctorum ſpiritibus orat Eccleſia? Quid ita? Niſi quia jam in parte Diaboli computatur, qui, dum eſſet in corpore, non eſt translatus ad Chriſtum? Eadem itaque cauſſa eſt, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne puniendis, quæ cauſſa eſt, ut neque nunc, neque tunc oretur pro Angelis malis:*

 *quæ*

(*a*) Cap. 4. ver. 8.
(*b*) Cap. 7. ver. 14. & 15.
(*c*) Cap. 2. ver. 9.
(*d*) Cap. 16. ver. 24—27.
(*e*) Loc. cit.

*quæ itidem cauſſâ eſt, ut quamvis pro hominibus, tamen nec nunc oretur pro infidelibus, impiiſque defunctis. Nam pro defunctis quibuſdam vel ipſius Eccleſiæ, vel quorundam piorum exauditur oratio: ſed pro his, quorum in Chriſto regeneratorum nec uſque adeo vita in corpore male geſta eſt, ut tali miſericordia judicentur digni non eſſe, nec uſque adeo bene, ut talem miſericordiam reperiantur neceſſariam non habere* (*a*). His verbis Auguſtinus teſtatur, abhorrere ab Eccleſiæ conſuetudine, ut pro illis preces Deo faciat, qui æternis cruciantur ſuppliciis, nec ullo modo ſignificat, miſerorum pœnas minui poſſe, atque allevari, ſed eſſe Purgatorium docet, ubi bonorum animi certo, ac præſtituto tempore expiantur.

249. Sed jam venio ad obſcuriſſimum, ac perdifficilem Petri locum, quo Clemens Alexandrinus, & alii moti ſunt, ut crederent, Chriſtum profectum ad Inferos Evangelium impiis promulgaſſe, atque adeo qui myſteriis aſſenſi ſunt, hos in libertatem reſtitutos fuiſſe, atque ab exitio ad ſalutem, beatitudinemque traductos. Petrus enim epiſtolæ 1. cap. 3. ver. 18—21. hæc ſcribit. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu, in quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando exſpectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca: in qua pauci, ideſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam: quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma*. Addit autem cap. 4. ver. 6. *propter hoc enim & mortuis evangelizatum eſt; ut judicentur quidem ſecundum homines in carne, vivant autem ſecundum Deum in ſpiritu*. Sed quamvis tota hæc Petri oratio maximis obſtructa ſit difficultatibus, ut Patribus, doctioribuſque Interpretibus crucem quodammodo fixerit, nullo modo colligi debet, miſeros illos, atque infelices, qui in æternorum ſuppliciorum locum detruſi fuerant, peccatorum veniam a Chriſto impetraſſe, de teterrimoque carcere eductos eſſe. Varia enim, ac multiplex adhiberi ei teſtimonio explicatio poteſt.

250. Joannes Harduinus nihil angitur. Turrianum fortaſſe ſecutus (*b*) ad Purgatorium ſtatim ſe recipit. Sed quoniam

(*a*) Lib. 21. de Civit. Dei cap. 24.
(*b*) Lib. 4. pro epiſt. Pontific. cap. 12.

niam de confirmanda interpretatione, qua utitur, magnopere non laborat, a me facile deſeretur. Nam quod ait, carceris nomen aptiſſime ad Purgatorium convenire, non ita vero ad ſinum Abrahæ, in quo veteres Patres placidiſſime quieſcebant (*a*); id tanti non eſt, ut in ejus opinionem relabi me cogat (vid. §. 166.): præſertim cum parum credibile videatur, eos, qui diluvii aquis enecati ſunt, tam multis ſæculis in Purgatorio relictos eſse; incerta autem res ſit, & dubia, ne quid gravius hoc loco ſtatuam, an Dei Filius digreſsus ad Inferos bonorum animos ex illo carcere eduxerit (§.15.16.).

251. Longe alia eſt Auguſtini ſententia, qui quo fuit ingenioſior, & ſolertior, hoc ſubtilius diſseruit. Interrogatus enim per litteras ab Evodio, reſcripſit (*b*), Petri locum nullo pacto ad Inferos pertinere, ſed intelligendum eſse de ipſius Dei prædicatione, & hominibus incredulis, qui vivebant Noemi temporibus. Nam his exiſtimat, Chriſtum, ſive Deum divinitatis ſuæ ſpiritu, interiore nimirum impulſu, & inſtinctu prædicaſse, ut reſipiſcerent, futurumque eſse diluvium crederent. Quæ interpretandi ratio valde placuit Thomæ Aquinati non ſolum (*c*), ſed Bezæ. Nec Suarezius deſerere Auguſtinum propterea debuit, quia ſpiritus, de quibus agitur, fuiſse dicuntur in carcere, vel græce ἐν φυλακῇ, quam ſcripturam cæteris omnibus præferendam putamus. Carcerem enim Petrus Auguſtini judicio ſcitiſſime, atque accomodatiſſime poſuit, ut uno, eodemque vocabulo deſignaret corpus, in quo animus hominis includitur, & mentis ſtuporem, ac cæcitatem, & dominatum, ditionemque Diaboli, ſub quam impii, atque increduli ceciderunt. Nec vero carceris vox tranſlata ad corpus Origeniſmum ſapit, ut ſuſpicatur Suarezius (*d*), aut Platonis errorem. Docuerat enim hoc ipſo loco Auguſtinus, de ejuſmodi carcere vehementer deſideraſse *liberari illum*, *qui dicit* „ educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo „. Nec tandem *infideles*, & qui vitiis turpiter ſerviunt, ſemel dumtaxat, vel iterum, ſed tertio etiam, ac ſæpius dicuntur a divinis ſcriptoribus ſedere in tenebris, captivi, mortui, tametſi vitam illam agant, quæ corpore, & ſpiritu continetur, quemadmodum tradidit Ber-

 tius,

(*a*) In hunc loc. (*b*) Epiſt. 164. num. 15. & ſeqq.
(*c*) 3. par. quæſt. 52. art. 2. ad 3.
(*d*) In 3. part. diſp. 43. ſect. 3. pag. 383. Tom. 2.

Digitized by Google

tius, qui totam hanc Auguſtini ſententiam maximis ſtudiis illuſtravit *(a)*.

*252.* Affinis autem ei doctrinæ eſt, & cognata Thomæ Alethini, ſive Clerici opinio, niſi quod ſpiritus noſter non hominum animos in corpore, tanquam in carcere, incluſos, ſed Angelos interpretatur cuſtodes, Græca non repugnante ſcriptura: *τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι*. Opinatur videlicet Clericus, divinitatem, ſeu ſpiritum, a quo Chriſtus revocatus in vitam eſt, Angelis cuſtodibus, ſeu, ſi verbum pro verbo velimus reddere, Angelis, qui ſunt in cuſtodia, comitantibus, prædicaſſe incredulis, qui fuerunt Noemi ætate, ut a vitiis, peccatiſque deſiſterent, vitamque honeſte, ac pie inſtituerent. Neque tamen exiſtimandum eſt, aut ipſum per ſe Deum, aut cuſtodes hominum Angelos palam, & voce, quæ ſub ſenſus caderet, priſcis illis prædicaſſe; ſed his tribuunt divinæ litteræ id, quod Noemus, ipſis auctoribus, ſuadentibus, incitantibus, opemque ferentibus, præſtitit. Hoc modo Dei Filius a Paulo in epiſtola ad Epheſios dicitur evangelizaſſe iis, qui longe eſſent, nempe Gentilibus, & iis, qui prope, nempe Judæis, *veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuiſtis, & pacem iis, qui prope (b)*, non quod Gentiles ipſe per ſe inſtituerit, ſed quod inſtitui, ad pietatemque, & cognitionem Dei informari a diſcipulis juſſerit.

*253.* Probatiſſima tamen, ait Calmetius, & quæ legentibus facile occurrere ſolet, interpretatio illa eſt, Chriſtum Jeſum in ſpiritu, ſive in anima abeuntem ad Inferos deſcendiſſe in carcerem, ſeu locum, in quo Patrum animi ipſius adventum tranquille una cum Abrahamo exſpectabant, optatiſſimumque eis ſalutis, ac libertatis nuncium attuliſſe. Quo modo videndum omnibus benigne ſe præbuit, ipſoſque ad agnitionem ſui, venerationemque convertit. Verba, *in quo*, græce autem, *τῷ πνεύματι, ἐν ᾧ*, manifeſte ad ſpiritum, ſive ad animam referuntur; eo magis, quod dicitur Chriſtus prædicaſſe, quæ proprie partes ſunt hominis a Deo miſſi *(c)*. Verbum autem *veniens* migrationem ex loco in locum ſignificat, indicaturque propterea, Chriſtum re, ac præſentia in illam mortuorum regionem, ſive ad Inferos abiiſſe. Erant porro in illo piorum cœtu, & concilio, quibus ſui copiam Servator noſtri

(a) De Theol. Diſcipl. lib. 28. cap. 9. de Verbo facto hom.
(b) Cap. 2. ver. 17. (c) Ad Rom. cap. 10. ver. 15.

noſtri generis fecit, homines etiam, qui vetuſtiſſimis ſæculis vixerant, atque adeo in prima mundi ætate, quam diluvium terminavit. Licet enim antea fuiſſent increduli, cum arca exædificabatur, neque ullam Noemi ſermonibus fidem adjungerent, poſtea tamen ſcelerum eos ſuorum pœnituit, inieruntque cum Deo amicitiam; quod particula *aliquando* plane, aperteque declarat. Ideo autem Petrus horum potiſſimum uſurpavit memoriam, ut ad omnes retro ætates, & homines pertinere beneficam redemptionis vim, & ſalutem oſtenderet; tum ut aditum ſibi opportunius muniret ad injiciendam mentionem Baptiſmi, cujus in diluvio figura tranſacta eſt. Neque enim aſſentiendum puto Harduino, qui diluvii aquas nullam figuram, ſimilitudinemque Baptiſmi præ ſe tuliſſe conſtituit (*a*). His ergo ſpiritibus, quos ſinus Abrahæ exceperat, Dei Filius digreſſus ad Inferos prædicavit, hoc eſt non concionem quandam, ut moris eſt hominum, habuit, ſed lætiſſimum attulit ſalutis nuncium, oſtenditque ipſa re, eſſe jam tempus, ut ex illa quaſi cuſtodia emitterentur, quam interim ſua ipſe divinitate, & præſentia in Paradiſum mutavit. Idcirco capite quarto adjungit Petrus, evangelizatum fuiſſe mortuis, bonum ſcilicet allatum eſſe, omniumque exoptatiſſimum nuncium.

254. Atque hac ratione, & via, pergit Calmetius, Petri verba intelligi volunt plerique Patres, & Interpretes. Sic enim nominatim judicant Athanaſius in epiſtola ad Epictetum, Cyrillus in libro de fide ad Reginas, Epiphanius hær. 77., Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. Juſtinus adverſus Tryphonem, Irenæus lib. 3. cap. 23., Hieronymus in Iſaiæ cap. 54., Hilarius in pſal. 118. ver. 82., Ambroſiaſter in epiſt. ad Epheſ. cap. 4. Ac vehementer ego quidem percuperem, ut Patres, quos appellavit Calmetius, ita de loco Petri ſtatuerent. Qua ego tamen fide ſum, fateri candide debeo, excipiendos eſſe nonnullos. Clementis enim Alexandrini doctrina ab hac plurimum diſcrepat (§. 244. I.). Juſtinus in Dialogo adverſus Tryphonem (§. 20.), & Irenæus lib. 3. cap. 23. nunc 20. alio ſpectarunt (§. 111.), immo nuſquam ſuorum operum de Petri loco ſcripſerunt. Hieronymum ad Auguſtini partes (§. 251.) adjungit Laurentius Bertius (*b*). Hilarius autem clarius fortaſſe ſententiam ſuam aperuit tract. in pſalmum

(*a*) Hic ad ver. 21. (*b*) Loc. cit.

mum 141. num.3., ubi de Davide Rege ſic loquitur. *Deinde rogat, ut anima ſua educatur e carcere. Si in carcere poſitis, etiam ante Noe tempora, reſurrectionem ſecundum B. Petrum Dominus prædicavit, carcer eſt Inferi; a quo ſe educi rogat, ut & in altero pſalmo erat precatus*: non contineat ſuper me puteus os ſuum. Alias & Bertius Baſilii Poncii, & Calmetius Du-Pinii interpretationes in medium proferunt. Sed nolo plura. Nam aut in Auguſtini ſententia, aut in explicatione, quam Petri verbis extremo loco adhibuimus, & ornavimus, facile acquieſcere poſſumus.

255. Ac de tertio totius operis confectario hactenus. Quartum ſequitur, perſpicue videlicet, ac manifeſte adverſus Socinianos conſtare, animos hominum eſſe immortales. Quid iſti ea de re opinentur, habes §. 114., ubi etiam pauca quædam ad labefactandum ipſorum errorem produximus. Concinit omni fere ex parte cum Socinianis Grotius, ut vir magnus, Boſſuetius demonſtravit (*a*). Sed apertiſſime toto illi hoc opere convincuntur, ut, ſi pertinaciam velint abjicere, mutare cogantur ſententiam. Omnis enim memoriæ Patres, qui *teſtantur*, ac docent, Dei Filium, obita morte, ad Inferos penetraſſe, ut inde piorum cœtum educeret, clare eadem opera, & luculenter loquuntur, ac tradunt, poſt diſceſſum a corpore permanere non ſolum, ſed in omne tempus hominum animos vivere (cap. 2—8.). Eſt autem traditio munitiſſimus Theologiæ locus, unde certa, atque firmiſſima ad comprobanda religionis dogmata argumenta deſumimus. Prælucent Patribus divinæ litteræ. Immortalitatem enim animorum noſtrorum ob oculos ponunt cujuſque generis teſtimonia: primum illa, quibus effecimus, Chriſtum in ſubterraneas regiones migraſſe (§. 8. 117. 253.), deinde quæ capite 10. ad minuendam Cadonici opinionem protulimus; rurſus quæ ibidem perſuadent, ſinum Abrahæ locatum fuiſſe apud Inferos (§. 121. II. III.); tum nonnulla ex iis, quæ probant, Hebræos Meſſiæ in has oras adventum inflammato ſtudio expectaſſe (§. 142); præterea quæ oſtendunt, cœli fores a Chriſto apertas, ac patefactas fuiſſe (§. 5. 131—137.); mox hiſtoria de Lazaro, & divite (cap. 12.), ad hæc pii Latronis petitio, Servatoriſque noſtri reſponſio (§. 211.), denique, ut alia taceam, quæ paſſim a nobis, aut a Patribus commemorata

(*a*) Differtat. ſur Grotius pag. 607. Tom. 6. ut ſupra.

rata ſunt, locupletiſſimus Pauli locus, cupientis diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, cujus mentionem fecimus quam creberrime. Et reſpondere ad hæc, aut omnino hiſcere Sociniani audebunt? Et hominum animos quaſi capite minuent? Et erunt ſcriptores Catholici, qui exiſtiment, veteres Hebræos aut nullam omnino, aut perobſcuram certe immortalitatis animorum habuiſſe notitiam, Machabæorumque dumtaxat memoria cœpiſſe in eam doctrinam diligenter inquirere? Arctius igitur tota hæc ratio adſtringatur. Verbo *immortalitas*, ſi acute philoſophari velimus, tres res debemus ſubjicere, 1. animos non interire cum corpore, 2. ab ejus interitu vivere, & functiones obire ſuas, 3. denique ſtatus, ac vitæ priſtinæ reminiſci: tria hæc autem perſpicue, & conſtanter docent tum Patres, tum ſacræ litteræ; ſequitur igitur, quod immortales ſint animi, dubitari a Socinianis non poſſe.

256. Sed & illud quinto loco exſiſtit, bonis ſtatim a morte deferri præmia, malis, & ſceleratis ſupplicia. Quod ego latius non diducam. Ita enim ex totius operis ſerie exploratum, atque compertum eſt, ut id unum egiſſe, ac machinati eſſe videamur. Quamquam ex ipſis his confectariis, quæ hoc capite complexi ſumus, ex ſecundo nimirum (§.241.), & tertio (§.244.), planiſſime, aperteque intelligitur; ſimiliter autem ex hiſtoria de Lazaro, & voluptario divite. Ut enim homo egentiſſimus in ſinum, gremiumque Abrahæ ſtatim ab obitu convolavit, ubi multis anteactæ vitæ ſolatiis, honeſtiſſimiſque voluptatibus fruebatur; ita miſer ille, atque infeliciſſimus dives præcipitem in Infernum ſe dedit, ibique ſempiternas Deo & ſuperbiæ, & mollitiæ, & inhumanitatis pœnas luit (cap. 12. &c.).

257. Eadem ratione, & via demonſtrare nunc poſſem, conſequens ſexto eſſe, divinitatem, ut nunquam a corpore, ita ne ad punctum quidem temporis diviſam ab anima Chriſti, aut ſejunctam fuiſſe. Sed ut ea, quæ doctrinæ a nobis conſtitutæ confectaria ſunt, aliquando tandem omittamus, ego equidem mihi hoc, opinione ſaltem, perſuadeo, de totius operis emolumentis, ac fructibus æſtimari facile etiam poſſe ex aliis rebus permultis, quas loco, & tempore tractavimus. Novam verbi gratia, & ſingularem Blackmorii de cœleſtis beatitudinis natura opinionem diluimus, complures Patres eripuimus Millenariis, præclara Tullii, & Auguſtini voce

ad

Digitized by Google

ad reprimendam Heterodoxorum licentiam uſi ſumus (not.5.), Swindenii de Inferni ſede, & loco conatus fregimus, formulam, *Filius Dei aſſumpſit hominem*, a vetuſtiſſimis quibuſque, & doctiſſimis frequentatam, omni erroris ſuſpicione vacare oſtendimus, Baſnagium negantem, infantes pueros, Herodis crudelitate interfectos, in Martyrum numero, ac loco habendos eſſe, refellimus (§.107.), ſinum Abrahæ pertinuiſſe ad Inferorum regionem confecimus, ac, ne longus ſim, & Heterodoxorum calumniis, aut erroribus paſſim occurrimus, & Patrum doctrinæ ne qua labes adſpergeretur, ſæpiſſime operam dedimus, & divina interdum teſtimonia luce aliqua colluſtrare conati ſumus, Interpretumve audaciæ, libidinique ſubtraximus, & multa tandem explicavimus, quæ religioni utilia ſunt, vel fortaſſe, niſi meus me fallit animus, eruditorum ad ſe ſtudia, & curioſitatem allicient. Revocantur ad primum genus, quæ ad defendendam Abrahami innocentiam (§. 130. V. VI. & not. 31.), & de Suicidio (§. 158. III.) docui; ad alterum quæ de Romani Catechiſmi auctoribus, atque ſcriptoribus, de voluptatis, & perfectionis natura (not.41.), de Enocho, & Elia, de vitæ malis, & commodis, de beſtiis rationis expertibus, de novis aut libris, aut librorum editionibus, de rebus aliis multo pluribus, & gravioribus diſputavi. Quo magis bona ſpe ducor, futurum, ut optimus, & doctiſſimus quiſque de noſtri operis pretio, ac fructibus abjecte omnino, humiliterque non ſentiat, neque in tractanda cauſsa, quæ utilitatis habeat parum, & ponderis, abjeciſse me operam, & contriviſse tempus exiſtimet.

258. Præclare certe, atque honorifice de hujus libri argumento, qualiſcunque is tandem haberi debeat, judicavit ſumma ingenii gloria, & doctrina vir, Bernardus Maria de Rubeis, magnum Dominicanæ Familiæ ornamentum, & lumen. Qui cum a me ſchedulam, quæ hujus edendi operis nuncium eruditis afferret hominibus, accepiſſet, ponderoſam ad me dedit epiſtolam, quam ea etiam re commemorandam eſſe arbitror, ut officioſiſſimi hominis erga me benevolentiæ, ac ſtudio aliqua ex parte reſpondeam. Quod enim præterea de meis litterulis ſatis benigne ſentiat, judiciique ſui teſtimonio apud ſpectatiſſimum Equitem me ornare, atque augere voluerit, in eo virum ſummum naturæ ſuæ bonitati penitus obſecutum eſſe, facile intelligeres, epiſtolam ſi proferrem.

Sed

Sed ut comprimam, facit verecundia, quam mihi natura, pudorque meus attribuit. Illud reſcribit, argumentum a me tractari, quod nobiliſſimum, digniſſimumque eſſe cenſeat, in quo doctus quiſque elaboret: præſertim cum ſplendidas, ipſo auctore, quæſtiones in medio ponam de migratione Chriſti ad Infernum, de hujus ſede, ac veluti domicilio, de natura beatitudinis, de mille annorum regno, deque nonnullorum Patrum ſententiis. Hæc, atque alia etiam vir longe clariſſimus ſtatuit de dignitate, ac præſtantia operis ex illa, quam dixi, ſchedula, italice, *Manifeſto*. Et tamen, ut ex diligenti rerum collatione conſtabit, multo plura, atque uberiora præſtitimus, quam polliciti eſse videamur.

259. Reſtat unum genus reprehenſorum, quibus breviter ſatisfacere debeo. Erunt enim fortaſſe, qui ejus rei mihi crimen objicient, unde ego de utilitate ſuſcepti a me operis, totiuſque libri pretio, ac fructibus judicandum eſſe profiteor, præ meque fero. Dicent enim, me multa comportaſſe in hunc librum, quæ nihil cum argumento commune habent, quæque ad inanem potius conſectandam eruditionis gloriolam, quam ad ipſam rem, inſtitutumve conveniant. Ego tamen ſic habeas, velim, cum cauſſam perdifficilem in me recepiſſem, in qua perpetuis auctoritatibus agendum eſſet, & teſtibus, ne forte Lectorum animi tantam ferre contentionem non poſſent, eos me aliqua rerum varietate, & delectu relaxandos putaſſe. Propoſui igitur quæ pro mediocritate ingenii mei utiliora eſſe, aut jucundiora intelligerem, eademque loco, opinor, & tempore ita diſputavi, ut res ipſæ cum argumento operis, interque ſe ſe aptæ ſint, & cohæreant, ego vero a propoſito aberrare non videar. Quamquam bonis ſcriptoribus quædam interdum aberrandi viæ ſe offerunt (*ſcappate* italice ſignificantius diceres), quas, ſi commodum, & opportune ingrederis, tantum abeſt, ut vitio verti debeat aberratio, ut explicari vix poſſit, quam commoveat animum, quantaque delectatione, ac voluptate afficiat. Sed objectum crimen mallem Antonii Genuenſis, quam verbis meis depellere. Periculoſum eſt enim, & arrogantiæ finitimum de ſe loqui, verendumque, ne cito nobis placeamus. Adſcriberem igitur doctiſſimi, acutiſſimique ad me hominis litteras, in quibus de ratione, & via, qua nugas noſtras conteximus, nugiſque aliis cumulamus, atque adaugemus valde ille honorifice, atque benevole judica-

vit (a), artificium ſibi probari ſignificans, quo eruditionis veluti opes temere non abſumimus, neque inconſiderate profundimus, ſed apte ad cauſſam, quam ſuſcepimus, ad uſuſque doctrinæ neceſſarios cum delectu adhibemus. Sed quoniam ita mihi non blandior, ut negare cum Prexaſpe audeam, poſſe Apollinem certius ſagittam mittere (b), facileque non agnoſcam, & videam, libenter hominem amicitiæ dediſſe, quod liquido veritati daret, impedimento ea res eſt, ut ne hujus quidem epiſtolam producendam exiſtimem. Nam quod vir doctus, idemque humaniſſimus pro ſua erga nos voluntatis inclinatione enixe a nobis ibidem poſtulat, ut opus de Miraculis, quod ipſe graviſſimum fore, atque utiliſſimum duxerit, ſtudioſe urgeamus, ac maturemus, id, quoad facultas, & vires ferent, præſtabimus; atque ut promiſſa aliquando tandem ſolvamus, primum volumen, cœlitibus bene juvantibus, ineunte circiter conſequente anno (adultum enim opus eſt, & affectum), emittemus in lucem.

260. Nunc, ut unde orſa eſt, in eodem terminetur diſputatio, unum de Joanne Cadonico adjungi volo, de quo, totius negotii mire inſcium, certiorem me fecit Florianus Dalhamus noſter, cum nuper ad Comitia Ordinis conveniſſet, operis vero editio jam longe, multumque proceſſerat. Novum ſcilicet, præter Dialogos, & Vindicias, librum ſcripſit Cadonicus de beatitudine veterum. Ibi nimirum dedita opera demonſtrandum ſuſcepit, antequam Chriſtus ſe morti objiceret, piorum animos coram vidiſſe Deum, conſtitutáque illis ab omni æternitate præmia conſecutos fuiſſe. Opus, qua potiſſimum ratione inſcribatur, neſcio. Hoc ſcio, illud Œnipontem delatum a quibuſdam probatum eſſe, improbatum ab aliis, & rejectum, atque adeo ne prodire quidem potuiſſe. Œniponte ſuperiore anno Viennam miſſum eſt, & ab Archiepiſcopo complurium Theologorum, in his Dalhami, permiſſum judiciis. Verum hic quoque, variatis eruditiſſimorum hominum ſententiis, intueri lucem non potuit. Fortaſſe etiam, quantum ex Cadonici ad Dalhamum epiſtola (§.172.) ſuſpicor, Viennam Roma allatæ ſunt litteræ, ut ne in vulgus exiret. Interim cum edendi mei operis nuncius eo perveniſſet, plurimorum ſtudia, atque admirationem commovit, non intelligen-

(a) In epiſt. data Kalendis April. 1759.
(b) Vid. Herod. lib. 1., & Senec. lib. 4. de ira cap. 15.

Digitized by Google

ligentium videlicet, qui ego auderem ad confutationem libri aggredi, qui adhuc lucem hominum publicam intueri non cœperat. Nam de Vindiciis, & Dialogis nihil cognoverant. Narravit hæc mihi, multis adſtantibus, libenterque, ut fit, audientibus, idem Dalhamus, honeſtiſſimus vir, mecumque ab eo tempore conjunctiſſimus, cujus teſtimonio fides tota adjungatur, velim. Scribo enim quæ accepi, memoriaque in præſentia complector. Fortaſſe quæ in novum illum librum ad dicendam cauſſam Joannes Cadonicus contulit, ego aut omnia, aut certe multa occupavi. Sed nolo vaticinari: nihil enim neceſſe eſt. Illius ego opinionem, quibus maxime potui, argumentis refelli, labefactare conatus ſum, & proſternere; perſonam verbo ne læderem, aut ne qua in parte hominis exiſtimationem, doctrinam, dignitatemque minuerem, diligenter providi. Sed quia labi proclive eſt, ſi quid mihi per imprudentiam fortaſſe excidit, quod moderationis parum, acerbitatis plus habeat, id dictum, & cogitatum nolo, mihíque, ut benevole ignoſcat, vehementer rogo. Nam neque is ſum, qui magnis cupiam inimicitiis clareſcere, multiſque laboribus invidiam tandem, atque odium quærere, & plane abhorret a naturæ meæ conſuetudine, ac moribus quemquam vel arroganter factis, vel maledictis laceſſere.

*F I N I S.*



Digitized by Google

# SERIES

## Quæ inſtar indicis eſſe poteſt

# CAPITUM

## TOTIUS OPERIS.

PRÆFATIO Pag. 1

CAP. I. *Initia quædam, ac veluti fundamenta dirimendæ controverſiæ. De variis Inferorum locis, potiſſimumque de Limbo. An Gebenna, quam dicimus, in Sole conſtitui debeat. De Chriſti ad Inferos deſcenſione. Abſurda Burneti explicatio. Quæ Inferorum loca re, ac præſentia Dei Filius adierit, quos illinc eripuerit, ſalvoſque eſſe voluerit, quorum pœnas aliqua ex parte allevaverit. Ordo totius operis.* pag. 5

CAP. II. *Ex Patrum doctrina jam inde a principio tradita conſtare, optimos, & ſanctiſſimos quoſque Dei adſpectu privatos fuiſſe, antequam Chriſtus moreretur. Teſtimonia Patrum, qui tribus primis Eccleſiæ ſæculis vixerunt, afferuntur, atque opportune illuſtrantur. Ex his Juſtinus in Millenariorum numero non reponendus. Fragmentum libri adverſus Platonem ſit ne, ut exiſtimant, Hippolyti Portuenſis.* pag. 22

CAP. III. *Producuntur, atque expenduntur auctoritates Patrum, qui quarto, & quinto ſæculo floruerunt. Repellitur jacta a Burneto in Macarium calamnia. Hilarius Pictavienſis ereptus Cadonico, & Millenariis. Trombelliana ejuſdem epiſtola. Elegans, graviſque Hieronymi in rem noſtram argumentatio. Nova Blackmorii opinio de natura cœleſtis beatitudinis refutata. Auctoritate Auguſtini, etiamſi in eadem, qua alii Patres, non eſſet ſententia, Cadonicum non juvari.* pag. 36

CAP. IV. *Proferuntur in medium Patrum teſtimonia, qui in rerum divinarum cognitione ſexto ſæculo viguerunt. Argumentum capitis proximi. Egregius Euſtratii locus. Vetus loquendi ratio,* Filius Dei aſſumpſit hominem, *magnorum Patrum frequentata ſententiis, Theologiæ trutina examinatur.* pag. 56

CAP. V. *Doctrinæ hactenus conſtitutæ vis, lumenque ex iis etiam auctoribus adhibetur, quorum etſi nomina lateant, ad ſex tamen priora ſæcula ætas referri debet. Licere Theologo ex his fontibus argumenta depromere. Matthiæ Martini errores. Aurea Joannis Chryſoſtomi diſputatio de morte olim Judæis terribili, jucunda nunc, & optabili. Antiquiſſimus de* Reſurrectione Domini *ſermo in lucem a Trombellio emiſſus. Caſum ſæpe, & fortunam in litterarum ſtudiis dominari.* pag. 69

CAP. VI. *Reliquorum Patrum teſtimonia, qui conſequentibus fuerunt ætatibus. Plurium in his Conciliorum auctoritas. Libelli auctor de defunctis, qui Damaſceno tribui ſolet, rejectus. Fabula de ſempiterna Trajani ſalute, parta per Gregorium ſummum Pontificem, ejuſdem Gregorii doctrina confutata. Explicatio Canonis Valentini Concilii, qui eſt de ſalutari Chriſti morte. Huguccionis teſtimonium, & opuſculum per hoſce annos ex tenebris a Trombellio erutum. Optimos quoſque, qui poſt Chriſtum moriuntur, Bernardi judicio, ſtatim ab obitu Dei beari præſentia. Luculenta illius de Machabæis epiſtola a Theologis prætermiſſa.* pag. 76

CAP. VII. *Totius argumentationis ex Patrum teſtimoniis ductæ complexio. Quæ hinc adverſus opiniones Cadonici, & Lamii conſequantur. Gerardi Joannis Voſſii judicium. Futilis neſcio cujus Heterodoxi conatus, ut argumento vim detrahat. Alia adverſus hunc teſtimonia, præſertim ex opuſculis, a Gerberonio, & Mingarellio nunc primum editis, repetita. Vox, & conjectura Cadonici.* pag. 88

CAP. VIII. *Nova Cadonici opinio ex concordi Theologorum conſenſu, ipſorumque Hebræorum auctoritate refellitur. Hominis adverſus Theologos conatus ad nihilum redacti. B. Thomæ Aquinatis doctrina fuſe, lateque expoſita, atque illuſtrata. Animadverſio in Pocochium, & Colliberium. Variæ veterum, recentiorumque Hæreticorum in hac cauſſa ſententiæ.* pag. 94

CAP. IX. *Proponitur argumentum ex doctrina Eccleſiæ, ideſt ex Catechiſmo, & Breviario Romanis deſumptum. Quæ, & quanta ſit primi illius auctoritas. Quinam in eodem componendo operam ſuam poſuerint. Catechiſmum a Pogiano latine ſcriptum, atque explicatum fuiſſe. Pogiano ſimi-*

ſimiliter Romani Breviarii hiſtorias deberi. Objecta Cadonici, argumentum ſuperius nitentis infringere. Varia, ac multiplex eorum diſſolutio. Preces quædam Eccleſiæ explicatæ. Pii II. Romani Pontificis litteræ noſtram ſententiam illuſtrantes. pag. 104

Cap. X. Ponuntur in medio argumenta, deprompta ex divinis oraculis. Tale non eſſe teſtimonium, a Juſtino olim, Irenæoque uſurpatum. Convinci non poſſe Cadonicum ex formulis, quibus in veteri lege piorum obitus enarratur; ex his tamen Socinianorum errores de immortalitate animi refutari. Præcipua adverſus illum argumenta ſumi, primum quidem, & alterum ex Iſaia, tertium ex Paulo, & Davide, ubi & Marcionis notatur amentia, quartum ex locis, quæ §. 10. ſunt a nobis propoſita. Objecta Cadonici, & Lamii. Sinus ne Abrahæ ad Inferos pertineret. Argumentum quintum ex Pauli ad Hebræos epiſtola. Eccleſiaſtici locus exponitur, & Cadonicianis eripitur. pag. 127

Cap. XI. Explicata argumentationis, quæ regreſſus dicitur, natura, producuntur rationes Cadonico adverſariæ. Primam deſumi ex morte Judæis horribili, & luctuoſa, noſtris fauſta, & lætiſſima, eamque egregia Joannis Chryſoſtomi oratione illuſtrari. Alteram ex cœli aditu optimo cuique antea intercluſo, idque ſacrarum litterarum & oracula, & figuras oſtendere. Tertiam ex communi humani generis peccato, neque hanc everti vel Angelorum exemplo, vel ratione ducta ex divinæ gratiæ adjumento. Quartam ex vehementiſſimo Judæorum deſiderio, quo Liberatoris ſui, vel Meſſiæ ortum exſpectabant, itemque ex Eccleſiæ precibus. Poſtremam ex veneratione, & cultu, quem viris ſanctis receptis in cœlum, Deumque videntibus, adhibemus. pag. 159

Cap. XII. Piorum animos, etſi olim Deum non cernerent, non omni tamen felicitate, neque ſolatiis caruiſſe; eaque in re, præter antiquos, B. Thomam mirabiliter conſentire. Felicitatem vero piorum, & ſolatia ex variis cauſſis manaſſe, cum primiſque ex certa videndi Dei ſpe, ex ſtabili, & jucundiſſima cum ipſo Deo amicitia, ex bene actæ vitæ conſcientia, ex reliquorum piorum ſocietate, & cœtu, ex Angelorum conſpectu, ex vitæ hujus, quorum immuni-

*munitatem habebant, miſeriis. Bona tamen, quibus in hac vita fruimur, longe plura eſſe, quam mala. De pœna, quæ damni eſt, ejuſque acerbitate, & natura. Diluitur hinc deſumptum argumentum Cadonici, & Lamii. Quæ fuerit Henrici Vici de eadem damni pœna ſententia.* pag. 188

CAP. XIII. *Poſt brevem cum nupero Lucii Ferraris editore, certationem de loco, ubi Abrahæ ſedes conſiſteret, refutantur argumenta, quæ Cadonicus ex voce Limbi, ex piorum ſanctitate, ex ſuæ opinionis uſibus, præſtantiaque, deſumit; tum quæ hiſtoria de Lazaro, & mors Simeonis ſuppeditant, quæ denique a Martinio, Cattenburghio, & ſimilibus afferuntur. Agitur de obſcuritate, & tenebris ſinui Abrahæ opinione vulgi attributis. Fas eſſe Theologis novo rem unamquamque nomine appellare. Num quæſtio, quæ nobis eſt cum Cadonico, eruditionis fines egrediatur, ſeſeque in religionem inſinuet. Toletani IV. Concilii locus in hanc rem animadverſione digniſſimus.* pag. 221

CAP. XIV. *Occurritur argumentis Cadonici, Lamii, & Voſſii, ex Patrum auctoritate depromptis. Sinum Abrahæ, reſpectu ad Chriſti tempora habito, idem ſignificare Eccleſiæ, & Patribus, ac ipſum cœlum, aut ſocietatem piorum cum Deo regnantium. Itaque neque Hilarium Cadonico, neque Ambroſium Voſſio, neque rurſus Cadonico Joannem Chryſoſtomum faviſſe. Perdifficilis hujus locus, ignotus adverſario. Dimiſſo Petavio, enudataque vocis* cœlum *multiplici intelligentia, ac vi, explanatur. Agitur interim de bonis, fucatiſque Politicis; atque hi carpuntur. Reliquorum Patrum teſtimonia a Muratorio contra Burnetum collecta, nobis, Muratorio judice, ſuffragari, non officere. Recens Cadonici opus de Incolis Planetarum. Quæ ibi diſputare adverſum nos videatur.* pag. 253

CAP. XV. *Facem ne Cadonico Auguſtinus prætulerit? Si prætuliſſet, ipſo tamen teſtante Cadonico, deſiſtendum non eſſe a ſententia. Explicantur plura Auguſtini loca, quibus noſter adjuvari ſe putat: ubi & labes, quam in ejuſdem ſcriptis inſidentem reliquit, eluitur. Ad interpretandos Patres ſæpe Grammaticam, & reconditiorem Latinæ linguæ elegantiam vehementer conducere. De promiſſis pio Latroni a Chriſto factis, & perſolutis. Aliud teſtimoniorum*

*rum genus, in quibus nobiſcum vir ſanctus conſentit. Ex his alterum Primaſii etiam, atque Autperti auctoritatibus illuſtratur: alterum adverſus Martinium, mala illud fide conantem evertere, ſtabilitur. Non probari quoddam Maurinorum argumentum, librum* de vera, & falſa Pœnitentia *inſcriptum Auguſtino abjudicantium.* pag. 278

Cap. XVI., et Ult. *Doctrinæ, quæ toto opere conſtituta a nobis eſt, conſectaria. I. Nullum eſſe Hæreticorum genus, qui non convincantur, Dei Filium re, ac præſentia ad Inferos deſcendiſſe. II. Pios autem nunc temporis ſtatim a morte in cœlum aſcendere, Deique frui præſentia. Novi contra recentiſſimorum ſcriptorum conatus. III. Chriſtum digreſſum ad Inferos nec veniam impiis, nec ſalutem dediſſe. Porro ne imminutas quidem illorum pœnas fuiſſe, & nullo unquam tempore eſſe allevandas. Vetus ea de re Miſſa, ex Codice Bononienſi per Trombellium deſcripta. Obſcuriſſimus Petri locus de concione, ut putant, a Chriſto apud Inferos habita. IV. Patere adverſus Socinianos, hominum animos eſſe immortales. V. Propterea bonis præmia, malis ſupplicia poſt mortem deferri. Utilitas operis ex aliarum rerum tractatione. Bernardi de Rubeis, & Antonii Genuenſis ad auctorem epiſtolæ. Cadoniciani operis, necdum in lucem editi, de veterum beatitudine exitus.* pag. 297

INDEX

# INDEX

## ALIARUM RERUM NOTABILIUM

*Quarum nulla in inſcriptione capitum mentio*

Littera *n.* notas deſignat.

CAP. I. *Maximam humani generis partem ruere, præcipitarique in Infernum.* pag. 11. n. *Ejus capacitas* 12. n. *Ciceronis locus ad refrænandam Heterodoxorum in ſcribendo licentiam adhibitus* 20. n.

CAP. II. *Obſcuriſſimum Hermæ teſtimonium illuſtratum* 22. *De Martyrum multitudine imminuta a Dodwello* 29. n. *Totius Chriſtiani populi apud Tertullianum ſententia Cadonico adverſaria* 30. *Thaddæi apud Euſebium hiſtoria, & auctoritas* 34.

CAP. III. *Jacobi Niſibeni editio a Cardinali Antonellio adornata. Illius ſcientia* 34. *Paulini Mediolanenſis locus in opuſculo a Mingarellio edito* 45. *Lucidi Presbyteri teſtimonium fuſe adverſus Cadonicum explicatum* 47. n. *Ejus libellus, Arelatenſiumque Patrum concilium* 48. n.

CAP. VI. *Edictio Theophylacti curata, tum ætas diligentiſſime conſtituta a Bernardo Maria de Rubeis* 83. n.

CAP. VII. *Jodoci Coccii in noſtra controverſia conatus, & ſcribendi ratio* 90. n. *Petitur venia a Cadonico, & Lamio* 93.

CAP. VIII. *Calvinum in cauſſa, quam agimus, repugnantia loqui, & contraria* 102. n.

CAP. IX. *Romani Breviarii correctio, Pio IV. Pontificatum gerente, quibus debeatur* 119. *Fruſtra negare Baſnagium, ſanctiſſimos pueros, Herodis juſſu interfectos, in Martyrum numero venerandos* 124. *Cadonicus ex Rubricis, Amalarioque refellitur* 125. n.

CAP. X. *Lamii ad argumenta noſtra reſponſio* 141. *Henrici a Porta adverſus Theodoricum Hackſpanium de Purgatorio opuſcula* ibid. *An Zacharias, Romanus Pontifex, Antipodas nullos eſſe voluerit* 147. n. *Veterum Poetarum, ac Philoſophorum ſententiæ de loco, in quem pii de vita egreſſi diſcederent* 148. *Joannem Chryſoſtomum Burneti erroribus non faviſſe* 155. *Sed neque Cadonico* 156.

CAP. XI. *Injuria Abrahamo, Saram, ut ſororem ſe eſſe ſuam diceret, roganti, a Manichæis, & Buddæo illata, repellitur* 166—169. *Sybillas locutas eſſe de Chriſto* 183.

CAP. XII. *Amicitiæ vis, & utilitas* 191. *Vermis pœna, qua torquentur apud Inferos impii* 193. *Voluptatis, & perfectionis ratio, ac natura* 197. 198. n. *Gloria, qua pii ex præclaris aliorum de ſe judiciis in ſinu Abrabæ fruebantur* 199. *Plinius de natura, & Deo querens coarguitur, & convincitur* 201. n. *Suicidium probari non poſſe* 204. *Deſideria bipartienda, nec omnia quietem homini, & tranquillitatem adimere* 206. *Longa cum Harduino certatio de quibuſdam Actorum locis, Chriſti ad Inferos deſcenſionem*

Digitized by Google

*nem ſonantibus* 217—220. *Deylingii errores, atque in noſtros petulantia* 220. n.

CAP. XIII. *Vigilii Tapſitani opinio de novitate Verbi homouſion* 226. *S. Paterium adverſari Cadonico* 227. *Hujus ad Florianum Dalbamum de Scholis Piis epiſtola* 228. *Piorum in cælo felicitas qua verborum magnificentia in ſacris litteris exprimatur* 234. *Deum in hac vita neminem vidiſſe de facie* 239. *Num Maria?* 240. *Enochus, & Elias quo migraverint* 242. *Adhuc vivunt* 244. *Claudii Taurinenſis ea de re teſtimonium ex quæſtionibus in libros Regum a Trombellio divulgatis* ibid. *Nondum Dei adſpectu fruuntur* 246. *Enochi ſanctitas a Procopii ſuſpicionibus vindicata* 247.

CAP. XIV. *Sinus Abrahæ cur ad cæleſtem beatitudinem ſignificandam a Dei Filio uſurpetur* 271. *Veterum convivia* 272. *Beſtiarum animos ſpirituales dici, haberique non poſſe* 274.

CAP. XVI. *Probandam eſſe fidem, ac diligentiam in producendis, deſignandiſve auctorum locis* 304. 90. n., *& ſæpiſſime alias. Joannes Baptiſta aliquorum opinione Chriſti apud Inferos præco fuit, & nuncius* 303. *Falſo id traditum* 308. *Joannem Chryſoſtomum agnoſcere, neceſſariam ad ſalutem fuiſſe in veteribus eam in Chriſtum fidem, quam Theologi implicitam dicimus* 309. *Auctoris opus de Miraculis. Poſtero circiter ineunte anno emittetur* 322.

Habes igitur, amice Lector, quæ ego præterea toto hoc libro, ſuis tamen loco, & tempore, diſputavi. Poſt hæc autem generalem rerum, ut ſolet, contexere indicem, laborioſum non modo, mihique graviſſimum, in his præſertim caloribus, ſed inutile arbitror. Ego autem pervelim, opus ut magis legas, quam a me indicem flagites. Sed valebis.

Digitized by Google

| | MENDORUM. | CORRECTIO. |
|---|---|---|
| Pag. 21. lin.17. | nemo unius | nemo unus |
| 32. lin.35. 36. | abſolret | abſolveret |
| 39. lin.16. 17. | corbus | corpus |
| 48. lin. 8. in not. | tnnc | tunc |
| lin.10. | ad fundendi | ſed fundendi |
| lin.26. | Prædeſtinationis | Prædeſtinatianæ |
| lin.27. | utrum | utrum- |
| 52. lin.37. | *ſatutem* | *ſalutem* |
| 57. lin.20. | 43. Quoniam | 53. Quoniam |
| 86. lin. ult. | ſimpliciter | tripliciter |
| 92. lin.13. 14. | duodecimo | undecimo |
| 98. lin.36. 37. | ſotia | ſolatia |
| 114. lin.15. in not. | cſſet | eſſet |
| 131. lin.30. | dominatus | dominatu |
| 138. lin.37. | (§. 33.) | (§. 37.) |
| 140. lin.20. | Pontificis (§.10.) | Pontificis (§. 109.) |
| ibid. lin.21. | (III.) | (V.) |
| 141. lin. ult. | Eccleſiaſticis | Eccleſiaſtici |
| 155. lin.12. | *memris* | *membris* |
| ibid. lin.19. | quidam | quodam |
| ibid. lin.24. | audiendum | audientem |
| 160. lin.11. | Baſilii | Gregorii Nyſſeni |
| ibid. lin.17. | firmabimus. Hebræi | firmabimus. I. Hebræi |
| 180. lin.37. | cogitare | concitare |
| 194. lin.27. | ehariſſimos | chariſſimos? |
| ibid. lin.37. | exemplum? | exemplum. |
| 199. lin.24. | putamus | putabimus |
| 200. lin.28. | principatam | principatum |
| 247. lin.34. | (*c*) | (*d*) |
| 259. lin.11. 12. | cum a Deo | cum Deo |
| 261. lin.23. in not. | probatæ | aut probatæ |
| 264. lin.29. | (§. 195.) | (§. 188.I.) |
| 267. lin.21. | *gration* | *gratiam* |
| 273. lin.14. | (§. 211.) | (§.212.) |
| 285. lin.36. | celeberrime | celeberrimæ |
| 292. lin.24. | referti | referri |
| 297. lin. 1. | *operæ* | *opere* |
| 312. lin.31. | nocte | noctes |

*Leviora errata Lectori benevolo emendanda relinquimus.*

Digitized by Google

Digitized by Google